


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google
~~194~~
*EL

Digitized by Google

ANNALES

ACADEMIAE GRONINGANAE.

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES
ACADEMIAE GRONINGANAE

CIↃIↃCCCCXVI – CIↃIↃCCCCXVII.

SEERPIO GRATAMA

RECTORE MAGNIFICO,

ALB. IAC. DUYMAER VAN TWIST

ACTUARIO.

NEW YORK PUBLIC LIBRARY



NEW YORK PUBLIC LIBRARY

GRONINGAE, APUD
I. OOMKENS,
Academiae Typographum.
1818.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

EORUM, QUAE HOC ANNALIUM VOLUMINE CONTINENTUR.



Digitized by Google

Digitized by Google

SERIES LECTIONUM

IN ANNUM DUCENTESIMUM TERTIUM

1816—1817.

IN ILLUSTRI ACADEMIA QUAE GRONINGAE EST PROPOSITA.

IN ORDINE THEOLOGICO.

HERMANNUS MUNTINGHE, diebus Lunae, Martis, Iovis et Mercurii, hora XI, lectione et interpretatione pericoparum selectarum iuvenes, Theologiae operam navantes, in exegesi et crisi librorum Veteris Foederis exercere conabitur, iisdemque diebus hora XII, *Religionis et Ecclesiae Christianae Historiam* enarrabit. Si qui praeterea sint, qui disputando vires suas exercere cupiant, iis officium suum non defuturum pollicetur.

EELCO TINGA, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora VIII, Veneris autem XI, *Theologiam Naturalem et Revelatam;* diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora IX, Veneris autem XII, *Doctrinam Christianam Moralem;* denique diebus Lunae et Mercurii, hora X, *Sacrorum curandorum rationem* tradet. De ceteris cum commilitonibus consilium inibit. Si qui praeterea in *Disputationibus* habendis eius uti velint opera, illorum desideriis non deërit.

ANNAEUS YPEIJ, die Martis, hora X, et Mercurii, hora IX, diebus autem Iovis et Veneris, hora VIII, *Theologiam Christianam* tradet, duce I. VAN VOORST, viro clarissimo; diebus Iovis et Veneris, hora IX, *loca selecta*, quae, ex quatuor Euangeliis depromta, optimi *Servatoris doctrinam docendique rationem* contineant, interpretabitur; iisdemque diebus Iovis et Veneris, hora X, *disciplinae homileticae* praecepta dabit, exemplis illustrata. Ceterum commilitonum in sanctiori disciplina provectiorum commodis adiuvandis faciet satis die horaque posthac significanda.

*

Digitized by Google

IN ORDINE IURIDICO.

SEERPIUS GRATAMA, sexies in hebdomade, die Lunae hora IX et XI; diebus vero Martis, Mercurii, Iovis ac Veneris, hora IX tantum, Pandectis vacabit, ordinem secutus WESTENBERGII. Bis in hebdomade, die Lunae et Martis, hora X, examinibus vacabit *de natura iuris ac legum*. Bis in hebdomade, die Mercurii ac Iovis, hora X, Institutionibus Iustinianeis vacabit; hoc anno calamo nil daturus. Ter in hebdomade, diebus Martis, Mercurii ac Iovis, hora XI, *historiam* dabit *Iuris Romani*. Lectionibus solitis *de natura iuris ac legum* (Ius naturae dicunt) horis deinde indicandis vacabit. Disputationum exercitiis tertia quavis hebdomade; recipiendis examinandisque legum, aliorumque de iure locorum, a discipulis scripto compositis, explicationibus quoque vacabit, horis deinde indicandis.

ALBERTUS IACOBUS DUYMAER VAN TWIST, diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, hora XII, Codicem civilem interpretabitur. Die Mercurii, hora XII, et Veneris hora XI, capita selecta ex iure privato, quo in hac et vicinis regionibus ad medium fere annum 1809 usi sumus, tractabit. Leges, ad mercaturam pertinentes, horis commodis lubens exponet. Disputationibus publicis de iure hodierno vacabit die Mercurii, hora post meridiem II,

CORNELIUS ADRIANUS VAN ENSCHUT, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora VIII, Encyclopaediam iuris tradet; eadem hora, diebus Veneris et Saturni, ius gentium, inprimis Europaeum, expositurus. Diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora X, ius criminale tractabit. Diebus denique Martis, Mercurii et Iovis, hora XII, iuris publici lectionibus vacabit. Si qui praeterea de gravissimis iuris quaestionibus disputando exercitium cupiant instituere, illis operam suam pollicetur; reliquis commilitonum desideriis non defuturus.

IN ORDINE MEDICO.

PETRUS DRIESSEN, diebus Mercurii, hora III, Iovis et Veneris, hora II, *Pharmaciam* tradet secundum *Pharmacopoeam Batavam*. Diebus Lunae et Martis, hora XI, *Historiam remediorum simplicium* ex eodem Codice ex-

Digitized by Google

plicabit. Diebus Iovis et Veneris, hora IX, *de viribus remediorum, et formulas concinnandi* methodo aget.

EVERARDUS IOANNES THOMASSEN A THUESSINK, diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, hora XI, *Medicinam Practicam* proprio fibi ordine explicabit. Diebus Martis et Iovis, hora X, *Diaeteticam* tradet. Diebus Mercurii et Saturni, hora XII, de *Medicina Forenfi et Politica* aget. Denique in Nofocomio Academico, hora XII, fingulis diebus ad aegrotantium lectulos ad ipfam *praxin clinicam* exercendam aptos reddere tirones medicos conabitur.

GERBRANDUS BAKKER, diebus Lunae hora VIII et IX, Martis et Mercurii hora VIII, *Phyfiologiam* docebit; *artem* vero *obftetriciam* diebus Iovis et Veneris, hora VIII, Saturni, hora VIII et IX, iisque, qui hunc curfum fequuntur, ad eiusdem artis praxin in Nofocomio Academico exercendam aditum aperiet; *fceleti* praeterea et *osfium ftructura* explicabitur die Mercurii, hora IX, et Saturni, hora X, hasque lectiones tempore hiberno excipiet *demonftratio Anatomica Corporis humani univerfi* fexies hebdomade, hora deinceps indicanda.

SIBRANDUS ELZO STRATINGH, diebus Lunae et Veneris, hora X, *Pathologiam*, et diebus Mercurii et Saturni, hora X, *Therapiam generalem* tradere conftituit. Singulis etiam diebus in Nofocomio Academico aegrotis curandis vacabit, morbosque tractatos Medicinae ftudiofis fubinde de induftria paulo uberius exponet. Qui disputando vires fuas periclitari velint, illorum defideriis lubens obtemperabit.

IN ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

IACOBUS BAART DE LA FAILLE, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XI, *Mathematum Elementa* explicabit, et iisdem diebus hora XII, *Phyficam experimentis demonftratam*. Diebus Lunae et Mercurii, hora XII, *Astronomiam* non folum Mathematicam, fed etiam Phyficam docebit. Praeterea diebus horisque commodis *Mathefin fublimiorem*, Mathefin, *Hydraulicis legibus* corroboratam, *Phyficam Mathematicam*, itidemque *Aftronomiam, arti nauticae* applicatam, exponet.

Digitized by Google

PETRUS DRIESSEN, diebus Lunae et Martis, hora II, *Chemiam generalem et applicatam* tradet; diebus Mercurii et Saturni, hora II, *Botanicen* et *Phyſiologiam plantarum* exponet.

THEODORUS VAN SWINDEREN, diebus Lunae et Mercurii, hora VIII, *Historiam Naturalem animalium* et *foſſilium*, et quoad animalia cum *Anatome comparata* coniunctam; diebus Lunae et Martis hora III, et Saturni hora VIII, *Historiam naturalem Mammalium*; Die Saturni, hora V, *Philoſophiam Naturae*; die Mercurii, hora III, *Encyclopaediam Philoſophiae naturalis* tradet, cui praemittet praecepta *de huius ſtudii ratione recte inſtituenda*.

IACOBUS ALBERTUS UILKENS, die Veneris, hora X et III, et die Saturni, hora IX, *Oeconomiam Ruralem* exponet, ac bis quavis hebdomade hora Auditoribus commoda *Technologiam* docebit.

IN ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

CORNELIUS DE WAAL, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora ſive IX, ſive XII, Metaphyſicam tradet; hora X, Philoſophiae moralis partem alteram, id est Ethicam, hora XI, Logicam exponet. De ceteris cum discipulis conſilium inibit.

IOANNES RUDOLPHUS VAN EERDE, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora ante meridiem IX, et die Lunae, post meridiem, hora II, *Historiam Univerſalem*; iisdem diebus, hora ante meridiem X, *Antiquitates Romanas*, et hora XI, *Historiam Patriae* exponet. Disputationum etiam exercitiis lubens vacabit.

GERARDUS WOLTERS, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora matutina VIII, *Antiquitates Hebraeas* exponet; hora ante meridiem IX, *librum Geneſios* analytice explicabit; hora X, *Literaturam Orientalem* tradet; hora XII, *Grammaticam Hebraeam* interpretabitur.

IANUS TEN BRINK, diebus Iovis, Veneris et Saturni lectiones ſuas habebit; nempe *Graecas*; hora VII matutina (praeter menſes Novembrem, Decembrem, Ianuarium et Februarium, per quos hora III pomeridiana his lectionibus dabitur), *Latinas* hora X. *Antiquitates* vero *Graecas*, duce Cl.

Digitized by Google

BOSIO, exponet eorumdem dierum hora XII. Nec reliquis studiosorum desideriis deërit.

BARTHOLDUS HENRICUS LULOFS, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XII, lectiones suas, *ad Literaturam et Eloquentiam Belgicam* facientes, habebit. Exercitiis, quae actioni, sive vocis et gestuum, in pronuntiandis Belgicis, moderationi (*Oratorium* hic vulgo dicitur) inserviant, commoda hora indicabitur.

* * * *

PETRUS HENDRIKSZ, Med. Doctor, Chirurgiae et Artis Obstetriciae Lector, hocce anno Academico *Cursum operationum Chirurgicarum* habebit, et *Operationes in Cadavere* monstrabit et explicabit diebus Lunae hora X, Martis IX, Mercurii et Saturni XI. Singulisque diebus hora XII, in Nosocomio Chirurgico Praxin Chirurgicam ad lectos aegrotantium docebit.

Disputationes publicae per omnes Facultates instituentur, diebus Mercurii et Saturni, *ab hora matutina undecima ad primam, aut a secunda ad quartam.*

Bibliotheca Academiae, diebus Lunae, Mercurii et Saturni, *ab hora* II *ad* IV, *studiosis, aliisque literarum amantibus patebit, iis legibus, quae in aditu ipsius Bibliothecae publice affixae sunt.*

Peregrinarum linguarum, inprimis Anglicae et Gallicae, cupidi suum hic reperient Praeceptorem, G. A. de S^t. Glain, *publica auctoritate ad id constitutum, ut civibus nostris inserviat; quemadmodum et ii, qui artibus gymnasticis cuiuscunque generis corpora sua formare ac se erudire gestiunt, et qui equitandi, pingendi ac Musices arte instrui desiderant, suis non destituuntur magistris.*

Digitized by Google

LECTIONES

IN

ATHENAEO FRISIACO,

SECUNDO ANNO

(1816—1817)

RECTORE MAGNIFICO

W. A. VAN HENGEL,

HABITAE.

EV. WASSENBERGH L. Gr. Ant. Gr. et L. Belg. in Acad. Frisior. antea Professor Ordinar. nunc emeritus, quater per hebdomadem Novi Testamenti particulas: bis Euripidis explicuit Tragoediam Phoenissas.

W. A. VAN HENGEL Theol. Prof. quater per hebdomadem Historiam tradidit Societatis et Religionis Christianae usque ad aetatem Caroli magni: bis Hermeneutices Sacrae disciplinam explicavit.

GABINUS DE WAL Iur. Prof. Ius Naturae docuit, et disputationibus privatis praefuit.

S. ENS Anat. et Physiol. Prof. quater per hebdomadem Physiologiam C. H. explicavit, bis vero Osteologiam docuit; tempore denique hiberno lectiones suas cadaverum humanorum sectionibus, demonstrationibusque anatomicis quotidie illustravit.

I. G. S. VAN BREDA A. L. M. Phil. et Med. Dr. Chemiae et Botan. Prof. quater per hebdomadem Chemiam generalem et applicatam tradidit; bis Physiologiam plantarum et systema Linnaeanum exposuit.

Digitized by Google

I. G. DE CRANE I. U. D. Lit. Hum. Prof. quater per hebdomadem Historiam universalem, bis vero Antiquitatis Romanae disciplinam explicuit.

I. PIERSON THOLEN quater per hebdomadem Elementa Geometriae demonstravit: ter vero Physicam generalem exposuit, et bis Algebram docuit.

H. A. HAMAKER Litt. O. O. Prof. literas docuit Hebraicas et Arabicas, nec non disputationibus privatis et publicis praefuit.

Digitized by Google

ORDO LECTIONUM,

ALIARUMQUE EXERCITATIONUM ACADEMICARUM

QUAE IN ILLUSTRI

DAVENTRIAE

ATHENAEO,

AB A. MDCCCXVI AD MDCCCXVII,

HABITAE SUNT.

IACOBUS VERBURG, *Theol. Doctor, Literaturae Orientalis Professor h. t. Rector Magnificus*, diebus Martis et Mercurii, hora XI, et die Iovis hora X, SCHROEDERI Institutiones Grammaticae Hebraeae tractavit. Diebus Iovis et Veneris, hora XI, provectioribus discipulis occasionem praebuit cognoscendi varii styli Hebraei. Diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora X, Antiquitates Hebraeas tradidit. Praeterea lectiones de Grammatica Arabica, et alias, ad penitiorem cognitionem auctorum Arabicorum pertinentes, habuit.

CORNELIUS FRANSEN VAN ECK, *Theol. Doctor, eiusdemque et literarum Belgicarum Professor*, diebus Lunae et Martis, hora post meridiem tertia, Ethicae Christianae praecepta tradidit: eadem hora, diebus Iovis et Veneris, *priorem* Pauli ad *Timotheum* Epistolam interpretatus est. In literis Belgicis docendis, hoc anno, ita versatus est, ut diebus Lunae et Martis, hora meridiana, Grammaticam WEILANDI minorem exposuerit; eadem autem hora, diebus Iovis et Veneris, specimina eloquentiae Belgicae, a SIEGENBEEKIO ex HOOFDII scriptis desumta, tractaverit.

Digitized by Google

PETRUS BOSSCHA, *Philoſ. Theor. Mag. Liter. Hum. et Iur. Doct. Hist. Antiq. Eloq. et Ling. Graec. Profesſor*, Historiae Univerſalis veteris elementa tradidit diebus Lunae, Martis, Iovis ac Veneris, hora IX, et inſuper die Lunae hora post meridiem prima; Literas Graecas expoſuit interpretandis Xenophontis de vita ac disciplina Cyri maioris libris, diebus Lunae, et Martis, hora XI, Veneris, hora VIII. Latinas vero explicando diebus quidem Lunae et Martis, hora X, Ciceronis Oratore ad Brutum, Iovis autem et Veneris hora XI illustrando Ovidii libro XIV. Metamorphoſeon.

IACOBUS NIEUWENHUIS, *A. L. M. Philoſ. Doctor, Philoſophiae et Matheſeos Profesſor*, tradidit Elementa Geometriae, diebus Lunae et Martis; Analyſin finitorum diebus Iovis et Veneris, hora VIII; *Elementa Philoſophiae theoreticae*, diebus Mercurii et Saturni hora IX; *Selectos Phyſices locos experimentis* illustravit, iisdem diebus, hora meridiana. Denique *Calculum differentialem* et *integralem* docuit.

ADRIANUS CATHARINUS HOLTIUS, *D. I. et Profesſor*, praeter lectiones de iure naturae, Iustiniani Inſtitutiones, duce BÖCKELMANNO, expoſuit, diebus Martis, Iovis et Veneris, hora pomeridiana III, Mercurii et Saturni, hora ante meridiem XI; historiae iuris elementa tradidit per dierum hebdomadem ter, Mercurii et Saturni diebus, hora matutina VIII, die Iovis hora X.

I. ANRAAD, *Lector Anatom. Chirurg. et Art. Obſt.* Lectiones Obſtetrit. habere ſibi propoſuit die Lunae et Veneris post meridiem ab hora II ad III.

* *

PROGRAMMA

CERTAMINIS LITERARII

A

RECTORE ET SENATU ACADEMIAE GRONINGANAE

INDICTI

CIↃIↃCCCXVI.

Ex decreto Regis Augustisſimi, Academiarum civibus atque Athenaeorum alumnis in nostra patria a ſingulis Ordinibus Academicis quaestiones, ad quas reſpondeatur ante diem 1 Augusti anni 1817, proponuntur ſequentes:

AB ORDINE IURIDICO.

Quid ſunt pacta, *quid ſunt* contractus *in Iure Romano? Quid ſunt contractus, qui dicuntur* nominati, *quid* innominati?

In commentatione ad hanc quaestionem cum vera cauſa doceatur quare pacta *apud Romanos, ubi prima iurisprudentiae Romanae iacta fuerunt fundamenta, actionem non produxerint, tum vero etiam ostendatur, quando contractus* innominati, *qui dicuntur, vim iuris acceperint, et quodnam incrementum iurisprudentia Romana acceperit receptis in foro contractibus innominatis.*

AB ORDINE MEDICO.

Quaeritur, ut praemisſa conſideratione Phyſiologica, et Pathologica bilis, ſive mutationum illarum, quas illa in ſtatu praeternaturali ſubit, accuratius determinetur, quae ſit differentia inter morbos ſtricto ſenſu bilioſos, pſeudo-

Digitized by Google

biliosos et gastricos? et quid sit statuendum de illorum caussis, natura, et curatione?

AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

1.

Cum, licet Naturae corpora vario modo inter se different, ex huc usque cognitis observationibus tamen constare videatur, ita comparatam esse rerum Naturam, ut lento quasi passu ab una specie ad alteram progrediatur, atque sic continuam quasi catenam efficiat, ex variis quidem annulis, intime tamen iunctis, compositam, haec catena in Mammalium classe demonstranda quaeritur.

2.

Qualis fuit veterum cognitio de agrorum incensione ad fertilitatem adiuvandam? Quomodo pro soli diversa natura haec incensio in Anglia, Gallia, et speciatim in patria nostra, instituitur? Qua ratione hic effectus ex legibus Physicis et Chemicis colligendus? Et quae inde sequelae pro re agraria sunt ducendae?

AB ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

Quandoquidem in praesenti studii Philosophici conditione, haud paucos statuere videmus, duas esse disciplinas, quarum utriusque homo est subiectum, alteram Ius Naturae, Ethicam *alteram, utramque peculiari proprietate distinctam.*

Quaeritur: Num ius Naturae, et Ethica vere discreta sint inter se, et *fonte idearum, ex quibus utraque harum disciplinarum expromatur,* et *obiectis, quae utraque consideret,* et *fine, ad quem utraque tendat.*

Digitized by Google

AB ORDINE THEOLOGICO.

Ut brevis veraque ortus et progressus allegoricae sacrarum literarum interpretationis historia exponatur, eiusque simul perversi in religionis Christianae doctrina explananda effectus ex dogmatum historia ostendantur.

Responsa oratione Latina, manu aliena, satis nitide scribenda, et dicto tempore, Auctorum sumtibus, mittenda sunt ad Virum Cl. ALB. IAC. DUYMAER VAN TWIST, qui Senatui Academico est ab actis, observatis iis, quae leguntur Art. 210 Decreti Regii, facti 2 Aug. 1815, N°. 14.

Victoribus in honestissimo hoc certamine praemia distribuentur die 10 Octobris anni 1817, quo novus Rector munus suum est auspicaturus.

Digitized by Google

SERIES

DISSERTATIONUM INAUGURALIUM

IN

ACADEMIA GRONINGANA

DEFENSARUM.

1816. 20 Decemb.	ALEXANDRI VAN SONSBEECK, Zwollani, Specimen Iurid. inaug. *ad L. 20 et 21: D. de Legibus*, pro Doctoratu Iuris Romani.
1817. 28 Ianuarii.	IOHANNIS FRANCISCI NICOLAÏ CREMERS, Groningani, Spec. Iur. inaug. *ad locum Iuris Romani de revocatione donationum inter vivos propter liberos ſupervenientes;* pro Doctoratu Iuris Rom. et Hodierni.
22 Febr.	IURIENI SMIT, Appingedamo Omlandi, Disſert. Medica inaug. *de Miliaribus* pro Doctoratu Medicinae.
26 Febr.	FOKKONIS SYTSES REIDING VAN LYPHART, Friſii, Specimen Iurid. inaug. *ad verba Articuli 4. Codicis civilis:* pro Doctoratu Iuris Rom. et Hodierni.
29 Mart.	IOANNIS RUARDI TRESLING, Groningani, Spec. Iurid. inaug. continens *ſelecta quaedam de reconventione, et ſpeciatim de exceptione cauſae praeiudicialis, reconventionem excludente;* pro Doctoratu Iuris Rom. et Hodierni, *publice* defenſum.

Digitized by Google

14 Maii. **ANTONII MODDERMAN** Groningani, Disfert. Iurid. inaug. *de pauperibus*, pro gradu Doctoris Iuris Rom. et Hodierni, *publice* defenfa.

17 Maii. **IACOBI BAART DE LA FAILLE** A. L. M. Philof. Doctoris, Groningani, Disfert. Phyfiologico-Medica inaug. *de asphyxia (vel morte apparente) et fpeciatim neonatorum*; pro Doctoratu Medicinae, *publice* defenfa.

6 Iunii. **HERMANNI VAN SONSBEECK**, Zwollani, Disfert. Iurid. inaug. *ad locum Codicis civilis de communione inter coniuges*, pro Doctoratu Iuris Rom. et Hodierni, *publice* defenfa.

7 Iunii. **IDSERTI FRANCISCI VAN EYSINGA**, Frifii, Disfertatio Iurid. inaug. *de fecundis nuptiis ex ratione Codicis civilis*, pro Doctoratu Iuris Rom. et Hodierni.

eod. die. **MONTANI HETTEMA**, Frifii, Disfert. Iurid. inaug. *ad locum Codicis civilis, de ufufructu legali parentum in bonis liberorum*; pro gradu Doctoratus Iuris Rom. et Hodierni.

13 Iunii. **GODSCHALKI HORATII VAN KNYFF** Ferwerda-Frifii, Disfert. Iurid. inaug. *ad locum Codicis civilis de regimine dotali*, pro gradu Doctoris Iuris Rom. et Hodierni, *publice* defenfa.

16 Iunii. **PETRI CHRISTIANI DE BOER**, Hogezanda Groningani, Disf. Phyfiologico-Medica inaug. *de transfufione fanguinis*, pro Doctoratu Medicinae.

17 Iunii. **ALBERTI SMITH**, Termunto-Oldamtini, Specimen Med. inaug. continens *animadverfiones quasdam de fcabie*, pro Doctoratu Medicinae.

19 Iunii. **CORNELII IOANNIS THEMMEN**, Daventrienfis, Disfert. Med.

Digitized by Google

inaug. *historiam Epidemiae morbillosae Groningae anno* 1816 *observatae*, exhibens; pro gradu Doctoratus Medicinae, *publice* defensa.

19 Iunii. SALOMONIS NEUMARK, Frisii, Diss. Iur. inaug. *de probationibus in Iudicio criminali*; pro Doctoratu Iuris Rom. et Hodierni, *publice* defensa.

20 Iunii. WERNERI ANTONII CRONE Ph. filii, Groningani, Diss. Obstetricio-medica inaug. *de prolapsu funiculi umbilicalis*, pro Doctoratu Medicinae, *publice* defensa.

Digitized by Google

SERIES

DISSERTATIONUM SUB PRAESIDIO DEFENSARUM.



1816.

18 Dec. Praeside Cl. S. GRATAMA Iur. Prof. disputationem Iuris Historicam, *de Lege Sacra Romuli de Nuptiis*, defendit HERMAN DE RANITZ, Groninganus, Iuris Candidatus.

1817.

23 Maii. Praeside Cl. C. A. VAN ENSCHUT Iur. Prof. Specimen Iurid. *de matrimonii natura et Iure* defendit EDO IOANNES OFFERHAUS, Groninganus, Iuris Candidatus.



Digitized by Google

SEERPII GRATAMA
ORATIO

DE

HERMODORO EPHESIO VERO XII TABULARUM AUCTORE

PUBLICE HABITA

A. D. X OCTOB. CIↃ IↃ CCC XVII,

CUM MAGISTRATUM IN UNIVERSITATE
QUAE GRONINGAE EST DEPONERET.

Digitized by Google

Digitized by Google

RERUM ACADEMICARUM APUD UNIVERSITATEM, QUAE GRONINGAE, CURATORES, VIRI ILLUSTRISSIMI! — QUI IIS ES AB ACTIS VIR GRAVISSIME!

QUORUM NOMINIS FAMA DOCTUM ORBEM LATA PERVAGATUR, VIRI CLARISSIMI! — ERUDITISSIME LECTOR!

OMNIUM ORDINUM QUOTQUOT ADESTIS AUDITORES EXOPTATISSIMI; RERUM NOSTRARUM FAUTORES HUMANISSIMI!

CARA IUVENTUS ACADEMICA! — IN CERTAMINE LITERARIO VICTORES MERITO LAETI!



Haec quatuor a me dies exigit, ut, quae nominatim ſic dici ſolet, orationem habeam, hoc loco veſtrisque auribus non indignam; ut, quae, anno magistratus mei, Academiae fata fuerint, enarrem; ut ab auguſtisſimo Rege creatum in annum ſequentem Rectorem Magnificum publice renuntiem; ut tandem victricibus horum adoleſcentum capitibus, quas virtute meruerunt, coronas publice imponam.

Illa vero omnia cum ſpatio duarum horularum ſint peragenda, facile vos perſpicitis A. A., noſtris hominibus quam difficilis ſit argumenti electio, quod orationi ſit aptum: namque requiritur, ut integrum ea brevitate posſit abſolvi, ita ſaltem posſit, ut de ſummis rerum nihil omittatur praecipuum; praeterea et hoc fere volunt, ut oratoris perſonae, quam in docto ordine ſuſtinet,

Digitized by Google

ſit conveniens; tandemque res ipſa poſtulat, ut tale ſit, in quo aliquando exſultet orator, ne ſcilicet in ſermonem aberret, quae dicitur, oratio.

Ne igitur miremini A. A. me diutisſime dubium haeſisſe, de qua re hodie ad vos verba facerem: tandem apud animum decrevi, decernendum enim erat, dicere *de Hermodoro Epheſio vero XII tabb. auctore.*

Perſonae conveniens argumentum dicunt omnes, ad quorum notitiam pervenerit, me eum esſe, in quem, inſtaurata Academia, ex voto illustrisſimi Ordinis et ex deſideriis meorum in Facultate iuridica collegarum, historiae iuris Romani docendae collata ſit provincia; Iuris doctore dignum dicunt, cui ſcilicet curae cordique ſemper ſit, humani ingenii indagare progresſus in arte legum condendarum, praeſtantisſima una omnium, in qua ſero ſapiunt mortales: ſed non uno, idque Vos velim intelligatis, non uno laborat difficultatum genere: namque, neſcio qua brevitate, oculis est exponenda priscae legis praeſtantia, quae ad remotisſima tempora pertinet et ad populum a nobis, vitae genere, diverſitate loci, moribus, opinionibus, religionibus, ingenii cultu plane diverſum; quae lacera ad nos venit et non, niſi adhibita industria, intelligi potest: veluti tribus verbis mores depingendi ſunt Quiritium, Optimatum in primis in urbe Roma, inde ab eiectis Regibus, aut a morte Publicolae ad tempus, quo lata lex est, docendumque, eos tales exſtitisſe, ut ab his hominibus ea proficisci non potuerit: de Hermodoro dicendum Epheſio, de quo apud recentiores incertisſima ſunt omnia; apud Veteres vero, quod ad rem praeſentem, nihil occurrit non dubium, quod ad cetera, parum, ut artis ope atque argumentatione ſit efficiendum, quod res postulat: dubia tandem a nostris opinionibus hic illic ſunt removenda.

Videtis A. A. quid in ſe ſuſceperit orator, qui iam in ordine militat ſenescentium, ubi omnia ire ſolent tardius; ubi iuvenilis deferbuit ardor, omnia ſuperare paratus: at quo maioribus is ſe periculis obiecit, ut ſcilicet aliquid vobis dignum proferret, eo paratior vestra in hominem ſit benevolentia, qui post ſollemnem hunc diem in haec rostra non est rediturus — haec dico ſepulcri memor illius in hoc templo, ubi iacet mea Hendrina, et mea Margaretha, quae, turbato mortalitatis ordine, ante patrem eo abierunt, quorſum et nunc ipſe ſum abiturus non multo tempore post — ſed haec mea ſunt — publica iam res agitur — de XII tabulis dicendum et exponenda est earum praeſtantia.

Digitized by Google

Vultis procul dubio, et ipse volo, ut in limine operis nostri, non multis quidem, sed expendatur tamen sedulo, quid ipsi Veteres de XII tabb. statuerint; namque hi, et tempore, et loco, et usu, cum iis erant coniunctissimi.

Unus est apud Tullium Ciceronem locus, unde non inmerito colligas, ipsius aetate, inter Ictos ac Philosophos aemulos, de virtutibus ac vitiis XII tabularum hinc inde aliquid iactitatum fuisse: his alteroationibus, si quae fuerunt, omissis, septem dicas effluxisse secula, antequam unum aliquem apud ipsos Romanos offendimus, qui XII tabularum praestantiam in dubium vocaverit; ut primus dici possit Favorinus philosophus apud Gellium, qui adversus eas disputare fuerit aggressus: ita vero ille, ut nescias, an non ipse tandem omnia ad earum laudem voluerit convertere: namque erat Favorinus de familia eorum, qui dubia meditando conquirere ac proponere amabant, non adeo, ut suam adversus alios vindicarent sententiam, quam quidem, ut veritas eliceretur ac clariori luci exponeretur.

Uti nulla apud Veteres XII tabb. vituperatio, ita earum laudatio summa. — E multis pauca velim audiatis — Cicero in XII tabulis *non tantum rerum, sed et verborum admiratur elegantiam.* — Subtilioris ingenii Ictus, Caecilius, is, quem adversus Favorinum disputantem habemus apud Gellium, *inquisitis et exploratis multarum urbium scitis, eleganti atque absoluta brevitate verborum scriptas eas esse* contendit. — Livius *etiam sua aetate fontem* dicit *omnis publici privatique iuris.* — Tacitus eas *finem* apud Romanos dixit *aequi iuris;* potuit etiam dicere *initium.* — Macrobius, *nihil umquam melius et sanctius ipsis Decem-virorum scitis excogitari posse* pronuntiat. — Habetis satis; sed permittite A. A. ut unum addam Ciceronis locum, eum puto, cuius iam antea memini, qui de altercantibus testari videtur Ictis ac Philosophis: *si quis civilem,* ait, *scientiam contemplatur, totam hanc, descriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus, XII tabulis contineri videbitis:* pergit Tullius; nec dicat quis, eum in hoc loco oratorem agere! *fremant omnes licet, dicam, quod sentio; bibliothecas mehercule omnes philosophorum unus mihi videtur XII tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare.*

Hisce, quae verbis continentur, rerum accedant testimonia. — Nolo dicere

Digitized by Google

A. A. de usu, quem earum per secula fecerint Romani; nec de sancta earum apud Populum veneratione, quamvis haec quidem in hoc genere sint maxima; sed hoc a vobis mihi liceat impetrare, ut ipsos mecum respiciatis Quirites, post Gallicum incendium, quod ignis deleverat, recordatione anxie conquirentes, restituentes, cumque retro spectantes vidissent, quae lapsos memoria pericula mansissent, iubentes, ut pueri eas in scholis, veluti necessarium carmen ediscerent — o providam parentum curam! o cives suo pretio leges aestimantes! (a)

Nulla vero in re magis videtur elucescere, quam magnifice Veteres de XII tabulis statuerint; quam quod Icti praestantiores, non tantum sub libera republica, sed etiam deinde sub Imperatoribus suis eas commentariis instruxerint: namque tales erant; —

Sextus aelius; — is, qui Iustiniano iuris antiqui dicitur conditor; —

Publius atilius, qui primus *sapiens* a Romanis fuit nuncupatus — eodem fere modo A. A. ac nostra memoria apud Frisios Salomonis nomine salutari solebat petrus ille wierdsma, qui, — ut in transitu de viro dicam, de quo nemo dicit, — qui mathematicis philosophicisque studiis nutritum caput in iurisprudentiam intulit; cui in praxi Ictum parem novi neminem; qui, ubi se in carcerem ab insana tumultuantium caterva vidit deductum, inturbato stetit animo, protinusque cepit consilium *codicem legum poenalium militarium* in carcere componendi, quem absolvere non potuerat, propter frequentissima, quibus undique fuerat circumventus negotia — publice id opus ipsi datum erat. —

Servius sulpitius — elegantioris ingenii et accuratae doctrinae Ictus, ab ineunte aetate Ciceronis amicus, quocum etiam Rhodum ivit, ut fieret melior doctiorque; cuius elegantissimae inter Tullianas exstant epistolae, quas inter eminet consolatoria illa ad ipsum Ciceronem de fragilitate rerum humanarum; namque Consulis Romani tunc fractus erat animus morte Tulliae, quem Catilinae furores frangere non potuerant; cui debetur, omnibus numeris absolutissima, illa tutelae definitio, quam utinam recentiores suo loco non turbarent; de quo tandem idem ille Tullius, harum rerum, si quis, peritissimus censor, *iuris civilis magnum usum apud Scaevolam et apud multos fuisse, artem in hoc uno.* — ...

Antistius labeo; — qui tempore Augusti vixit, unus omnium praestantissimus Ictus: Namque quod cum Ateio Capitone comparatus atque huic etiam aliquando fuerit postpositus, hoc tempori dandum atque adulantium studiis. —

Digitized by Google

Sive hominem spectes, sive peritum in arte artisque principiis, longissimo post se intervallo Capitonem relinquere Labeo videtur. Labeoni in pectore erat robur; temporibus inservire Capito erat doctior; et dic mihi, ubi deferbuerunt partium studia, nonne, relicto Capitone, omnes ex uno hauriunt Labeonis fonte? —

Caius tandem, — humanissimus ille caius, cui tot ac tanta, etiam hodie, debet studiosa iuventus.

Quid de praestantia XII tabb. Veteres statuerint, videtis. Inter Recentiores exstiterunt nonnulli, qui, licet tempore et loco essent remotissimi ac tanta haberent omnis generis apud Veteres testimonia, ab his tamen discedere et adversus XII tabulas satis acerbe pronuntiare non dubitaverint; quos inter utinam te non numerarem Christiane Thomasi! Veritatis amantissime vir! at vero illa recentiorum iudicia me hodie nil morantur. Quid ipse statuam, paucis conabor exponere.

(*Musica auditur*).

Duodecim tabularum non nisi fragmenta esse super, omnes sciunt et sane dolendum est, nos eas integras non habere. Quae quantaque pars perierit, non ego definiam. Magnam tamen earum partem ad nos venisse, mihi liceat suspicari. Scio equidem, si numeras, non multa esse, quae supersunt, at vero non ignoro etiam, qua fiebant, aetate, Quirites populum plane agrestem fuisse ac nondum excultum, in quo pauca eaque simplicissima erant agenda negotia, cuique adeo non magna fuit opus legum mole: adde, quod res ipsas intuentibus plura capita ita appareant integra, ut ab iis non nisi pauca abesse videantur, cum e contrario tota capita non multa ab iis exsulare dici posse videantur: adde, quod de libello dixerit Tullius, eumque pueri in scholis memoriis tenuerint. Ut ut est de codicis amplitudine, quae olim fuerit, ea supersunt naufragii fragmenta, ut ex his de toto Legislatoris consilio, eiusque eximia sapientia, praeeuntibus Veteribus, etiam hodie possit erui constituique iudicium.

A verbis fiat initium — Fateor, in his iam olim multa fuisse obscura atque obsoleta et hodie quidem sunt maxime: sed nolo, nolo A. A. ut aut illud miremur, aut habere censeatur aliquid ad contumeliam legis: non aliis verbis concepta lex fuit, aut concipi potuit, quam quae populo erant in usu, eo ipso tempore, quo ferebatur: vocabulorum migrationes, quae temporis sunt et loquen-

Digitized by Google

tium, Legislatori ne dentur! Quod vero ad dictionem attinet. — Cicero (namque ea repetenda hic funt) *non tantum rerum* in iis admirabatur; *fed et verborum elegantiam;* Caecilius eas dicebat *eleganti atque abfoluta brevitate verborum fcriptas,* nec video A. A. quare nobis in hanc duum-virorum fententiam non fit eumdum. Montesquievium eam toto animo fuisfe amplexum, novimus. Rogitantem tamen audio, unde, unde per Deos immortales, apud Romanos, rudem atque agrestem populum, ea elegantia, legibusque apta in dicendo brevitas, quae feculis post Tullii illius ac illius Caecilii excitaverint admirationes? unde excellentisfima ea in fermone legum apud Optimates in urbe Roma peritia, qui, quid lex esfet, et quare esfet, eo tempore non multum novisfe videntur? — non-ne fatius est talia Veterum, magna quaevis de Maioribus loquentium, testimonia non audire? non-ne ad antiquariam oratoris fuperftitionem pertinet omnis ea in XII tabulis elegantia ac legitima brevitas?

Quaefitor callide! non-ne tu vides (namque nunc tibi refpondendum erit) quod primum est in rogationibus tuis, verisfimum esfe; cum tamen falfisfima fit, quae inde, nefcio qua puerili levitate a te deducitur conclufio „*rudes atque inculti* „*erant Quirites* „esto" *ergo lex XII tabularum eleganti brevitate non est con-* „*fcripta*" hoc nego. Auctoritate Ciceronis, Caecilii, ipforumque etiam, quae fuperfunt, ruderum ftat vindicata, ftetque XII tabularum dictionis elegantia ac concinna brevitas. Cetera, quae de limato iactantur Romanorum ingenio, per me licet, corruant, namque fic, O lepidum caput et, fi quid pulcrius! fic fponte res decurrit ad id ipfum, quod hodie tueor. — Sed alio fe vertat oratio.

Commune bonum omnium libertas est, omnibus utilis res, necesfaria omnibus, nemini noxia, ad quam idem habent omnes ius, non hominum factis, non fcitis populorum, non fenatuum decretis, non regum imperiis abolendum: interim perpetua apud aegros mortales fpectatur pugna, qua finguli fingulis, pars hominum parti commune illud bonum invidere videntur et eripere conantur. — Haec ne fiant, civitates conftituuntur; haec ne fiant in civitatibus, iura conduntur, cum publica, tum privata. Primum igitur ac praecipuum in omni legislatione est, fitque *libertatis omnium cura;* haec ubi exfulat in legibus, quidvis potius, quam leges dicantur; haec ubi regnat, fpes laeta adest, fe rite habitura cetera omnia. — An igitur ea *libertatis omnium cura* in XII tabulis est confpicua? In nulla lege magis! — Audiatis velim.

Temporibus, quae XII tabulas praecesferunt, haec duo non infrequentia

Digitized by Google

Romae fuerunt, ut scilicet potentior liberum hominem, sed tenuiorem, servum suum esse diceret, sibique dominii ius in eum vindicaret; utque, quod alterum est, si testator testamento servum sub conditione liberum esse iussisset, ut tunc heres, interposita, ante praestitam conditionem, venditione spem libertatis eluderet; namque ingeniorum quadam, subtilitate dicam, an ruditate? res ea ad emptorem nil pertinebat, nec heredis obligatione emptor tenebatur. — Quid igitur Duodecim? — „Si *de rebus* contenditur, interim, dum litigatur, posses-„soris partes sunt potiores; si *de hominis libertate* non ita! Homo natura „liber, factaque libertatis iactura probanda est, nec arbiter audiat de posses-„sione dicentem." — O plus quam Romana eo tempore in arte boni et aequi prudentia! — O, quod Appii atque Appio similium superet ingenia! — Quod ad caput alterum — libertati testamento sub conditione datae ne ab herede fraus fiat, vetatur, utque emptorem sequatur heredis obligatio, lex iubet. — Haec de singulis!

Si de Civium libertate vultis, vultis autem certissime, oratori permittendum est, ut rem paulo altius repetat. — Romam initio Reges habuisse, iam pueri discebamus. Illimitatum eorum fuisse imperium mihi sedet certissimum. (*b*) Servius, animo maiora meditans, quam quae vulgus Regum, leges tulit, quibus et ipsi Reges obtemperarent: imo vero suspicor, eum in animo habuisse unius imperium abrogare. Quod Servius instituerat, et quae porro animo moliebatur, uno ictu disiecit, qui a superbia habet nomen, Tarquinius, priscumque is restituit Regum imperium. Eiectis Regibus Brutus, consilia Servii, opinor, secutus libertatem ac consulatum instituit. Valerius ea egregie fuit tuitus. Sapientissimis Valerii consiliis Optimatum male sana obstitit ambitio. Post Valerii mortem omnia Romae retro eunt, perpetuaque populum inter et patres conspicitur pugna; de qua mox. Quid vero XII tabulae? popularem libertatem ac Valerii consilia ad miraculum usque tuentur — „de vita, libertate, civitate, familia adimenda „Civi Romano, Populi iudicium esto, in Centuriatis comitiis! — iudices rerum „capitalium a Populo constituuntor!" quibus adde notissimum illud „privilegia „ne irroganto" quod etiam vel maxime pertinet ad tuendam communem civium libertatem. . . . .

Neque hic substitit Legislator: namque et a populis sociis iniurias avertere eorumque libertatem tueri fuit conatus; constituit enim, ut, qui populi socii a Romanis defecerint, sed deinde in amicitiam recepti sint, eodem iure utantur

Digitized by Google

ac qui in fidé manferint. Sciebat legis conditor, de quo luto esfent, quibus lex ferebatur, cavitque ideo, ne populi focii fub colore, ac fi aliquo tempore Romanis fideles non exftiterint, iniuriis afficerentur.

Aut ego fallor A. A. aut plane excellens in XII tabulis elucefcit libertatis omnium cura. Neque putetis, velim, me omnia excitasfe, quae ad hanc libertatis curam posfınt referri: namque in vexatisfimis etiam locis, uti est, *de in ius vocando* et *de debitore obaerato* eam ipfam video regnare.

De eo, quod in legislatione fummum est, dixi: quid dicam de ceteris? — hoc unum hodie A. A, habita temporis ac loci ratione, quae potui intelligere, me invenisfe omnia egregia atque ita quidem conftituta, ut, non nifi a limatisfimo atque in re legum confummatisfimo proficisci potuerint ingenio.

Et nunc eo delabitur oratio, ut inquiramus, an ab ipfis Romanis hoc opus potuerit proficisci. Hic videndum, quo ingeniorum cultu fteterint Quirites, iis temporibus, quae XII tabulas praecesferunt; quos fecerint progresfus in arte legum condendarum; qua fuerint prudentia civili; quo fuerint animo illi in urbe, a quibus profecta debuit esfe et profecta vulgo putatur Decemviralis legislatio.

Si annales volvimus; omnia nos docent Quiritium infantiam, ea tempestate, in arte legum. Non nifi fparfas aliquot, quas necesfitas et dies expresferant, leges Roma viderat, nec ftabiles eas. Frustra fuerant, quae Servius molitus erat; frustra Papyrii cura. Divinam legum vim ad commune bonum omnium rudia Quiritium ingenia nondum perfpexerant, nec commune illud bonum omnium Potentiores in urbe quaerebant; nihil aliud agentes, quam ut regium imperium fibi haberent, populum pro arbitrio regerent, fervum pecus; nihil aliud agentes, quam ut bona civilia ad fe traherent omnia, ceteris relicto paupertatis et aerumnarum onere.

O tua me docuit mors Valeri! quid ad rem publicam tuendam unius viri posfit virtus, qui rerum civilium peritia inftructus in pectore habet robur: namque te fublato, quae in animis potentiorum recondita erant, malorum femina, veluti uno impetu, in rempublicam video erumpere. (*c*)

A morte Valerii A. A. quae in urbe Roma currit aetas ad XII tabulas continua pugna teritur Patres inter Populi libertati infolentisfime invidentes, ipfumque Populum pro ea libertate pugnantem — Bella gerere, vicinis populis praedas, agros eripere, hoc egregie didicerant Patres illi; ftatum iuris tuti om-

Digitized by Google

nium introducere, iura omnium tueri, haec non item — de aere alieno et de agris dividundis laborant Quirites; de Consulari laborant imperio, ad Aristocraticas rationes omnia vertente, paucis favente, ceteros nil curante; de iurisdictione laborant Consulari, arbitraria, sine lege; in plebem novi magistratus creantur, fascibus secures adiiciuntur, quas abesse iusserat providum Valerii ingenium; pro plebe magistratus creantur, ut duos in una urbe habeas populos — Cum a lege pendere libertas sit, Populus petit, saepiusque petit, ut pro Consulum arbitriis, leges fiant, Patres nolunt; precibus orat Populus, ut leges fiant, frustra! Attendite! precibus orat Populus, ut leges fiant, ut leges fiant in civitate, quae sine legibus nulla. — Tandem coacti cedunt Patres; e Patribus creantur Decemviri et lex fit XII tabularum, praestantissima una omnium, in qua, ut hoc repetam, eximia regnat libertatis omnium cura. — An ab his hominibus, quo erant rudi ingenio, qua erant sine freno licentia limatissima, libertati omnium faventissima potuit proficisci legislatio? Non potuit! Felices Romani ter et iterum! quod in Hermodorum inciderint Ephesium exsulantem in Italia (propter meritorum excellentiam cives eiecerant) limatissimi ingenii virum et in arte legum condendarum peritissimum, qui praestanti suo ingenio atque auctoritate apud Decemviros ita valuit, ut tabulis, quas scriberet, consensum, saepius opinor inviti, dederint, nomenque.

Scio, veteres, nominatim Romanos, quos inter hic etiam eminet Tullius, ipsis Decemviris, suisque Maioribus legem tribuere et de Hermodoro ita loqui, ut nescias, an aliqua eius opera fuerint usi, an nulla. — Pomponius ait „*quosdam retulisse*, Hermodorum quemdam Ephesium Decemviris auctorem exstitisse legum ferendarum" Plinius Hermodorum nuncupat „*legum interpretem*, quas Decemviri scribebant" Straboni, auctori Graeco, Hermodorus *videtur quasdam leges Romanis scripsisse*. Sed bene cum Hermodoro! namque cuius est ea statua in Comitio publice dicata? — Hermodori Ephesii! neque Romani hanc homini statuam posuissent, si ipsi suarum legum auctores fuissent, hic interpretando, suggerendo Decemviris aliquid attulisset auxilii. Dicet forte quis, unum Plinium esse, nec ego diffiteor, cui huius statuae aliqua exciderit mentio: sed, non esse statuo, quare Plinio, in recensendis statuis occupato, ut ut unico testi, fides detrahatur: Ceterorum vero omnium silentia de Hermodoro ejusque statua, vel fato tribuantur, quo, quae olim tradita fuerunt, ad nos non venerint: vel locum occupent in vasto capite, quod est de populorum superbia, qua, quidquid laude dignum, Maioribus tribuunt, exteris detrahunt.

Digitized by Google

Legem Decemviralem, vel, ut nunc loquar accuratius, decem priores tabulas ab ipsis Romanis non esse profectas, tota confirmat Decemviratus historia; confirmant deinde adiectae duae tabulae, quibus etiam triste carmen continetur, „*patribus cum plebe connubia ne sunto*", uberrimus motuum civilium fons; unde famosissima Canuleia oratio et lex Canuleia; confirmant Appii furores, rebusque deinde pacatis, non una a XII tabulis facta secessio; sive, quod se ad Graecum ingenium flectere non potuerint Romani; sive, quod divinam legis alicuius vim ad commune bonum omnium non perspicerent. Exemplo vellem hic uti; vellem de furti distinctione dicere admodum singulari, eiusque diversissima poena in XII tabb., quae sapientissima mihi quidem videtur Legislatio, partim a Solone, partim a Lycurgo petita, Romanis, et, nisi ipse fallor, Recentioribus non bene perspecta. —

Quod igitur nonnulli iam olim, ipso Pomponio teste, tradidisse videntur, id uno ore nunc omnes statuamus; Hermodorum Ephesium legum Decemviralium *veri nominis auctorem* esse, qui eas composuerit, suis ordinibus disposuerit, suaque fecerit auctoritate, ut a Decemviris reciperentur, nec alia de caussa ipsi statuam publice positam fuisse.

Hermodorum veri nominis legis auctorem esse, libertatis omnium communisque boni confirmant studia, quae, uti in XII tabulis, ita in Hermodoro erant maxima; subtile confirmat Legislatoris ingenium, quod, uti in XII tabulis, ita in Hermodoro erat egregium. Qua virtute fuerit Hermodorus, qua in arte legum peritia, inter Graecanicas epistolae testentur Darii Regis et Heracliti philosophi: namque mihi non licet, quod doleo vehementer, tuas celebrare laudes o Hermodore! (*d*)

Caussa perorata est A. A. non ea dignitate, non ea arte, qua debuit, sed qua a me ea brevitate potuit. Fata Academiae nunc sunt enarranda.

(*Musica auditur.*)

In illustri Curatorum ordine omnia laeta. Nulla funera, non morbi. Urbis Consuli, qui primas tenet, Consul successit — quod igitur Spectatissime vir! initio anni civilis tecum feci, tuum nunc publice in hunc Ordinem adventum ex animo gratulor. Perge tu cum ceteris rerum Academicarum Curatoribus de Universitate nostra bene mereri; perge commoda Academiae et Urbis felicissimo nexu coniungere! Vestris Illustrissimi Curatores! conatibus, qui instituuntur ad augenda

Digitized by Google

Univerfitatis nostrae ac bonarum artium commoda, faveat, qui omnia fuo numine gubernat, Deus!

In docto ordine Uilkenfio dilectam coniugem lugebamus ereptam. Dolemus, vehementer dolemus omnes, adverfam Tingae valetudinem; fac Deus! ut brevi fuis rebus alacrior posfit fuperesfe. — Cetera bene!

Medio anno periculorum rumores ad Rectorem venerunt, ac fi Muntinghium fibi Leida vellet, Thuesfingium Ultraiectini peterent: nil ego metui; quid enim Muntinghium moveret, ut Groninga Leidam iret; nec fingi a me aliquid potuit, quo Thuesfingius moveretur. Sive quid fuerit periculi, five nihil, nostros vos esfe, Duumviri Clarisfimi! multum laetor. Pergite, diu pergite, ornamento esfe huic Academiae!

Ad iuventutem oculos convertenti tristisfima mihi occurrunt duorum iuvenum funera; O omnes dolebamus, dolemus etiam nunc: fed ab altera parte laetisfima multa: numerus ftudioforum egregie crescens; industria ac mores omni laude maiores. —— Rectoris Magnifici testimonium, nolo, fibi vindicent paucisfimi illi, qui funt de peiore luto! — Vos ceteri, praestantisfimi iuvenes, cara capita! audivistis, quid id fit, quod dixi; ipfi cenfeatis, quo pretio testimonium fit habendum hominis, qui fic ftatuit, hominibus, adolescentibus in primis, *adulari idem esfe, quod eos corrumpere.* Palam igitur profiteor, ut tota Civitas audiat, Vos mei magiftratus, in ceteris fatis difficilis, fecisfe gaudia.

Quid de rebus dicam A. A. quibus utimur. Non exigui fumptus publice funt erogati ad res nostras, Medicorum in primis, augendas, emendandas, ornandas; fuperfunt multa, etiam quae ad communem omnium utilitatem pertinent: Auditoria funt aedificanda ex lege, quae nulla habemus, fi unum iuridicum excipias; Curiae funt aedificandae, ubi Facultates conveniant, quae nullae: medica manu vehementer indiget fanctisfimum hoc templum, religionibus, Mufis, doctis disputationibus, iuvenum exercitiis in fermonibus facris a Maioribus dicatum: namque, fuo honore destitutum, collabitur, in commune omnium horreum convertitur, et, ubi hodie de Hermodoro Ephefio Academicus dicit orator, cras militum audiuntur clamores, tirones arma tractare docentium? Sed non uno ictu posfunt omnia A. A. Praecedant, quae gravius premunt; fequantur cetera!

Digitized by Google

In annum sequentem ab augustissimo Rege creatum Rectorem Magnificum publice renuntio PETRUM DRIESSENUM, virum clarissimum, in facultate medica Professorem ordinarium, de Academia nostra multis bene meritum; quem omnes ut talem respicere, venerari publice iubeo. —

Sceptra tibi trado vir Clarissime! unum, quod Ubbo Emmius, — O sanctum nobis Emmii nomen! — ante duo secula fieri iussit, alterum, quod ab instaurata Academia ad hodiernum usque diem rebus nostris deerat, quamvis lex iubeat, ut Senatui Academico, honoris ergo, duo sceptra praeferantur, Rectori unum; quodque igitur ad exemplum Ubbonis Emmii et ad tuendam Senatus Academici dignitatem ego Rector fieri iussi.

Tibi trado Sigilla Academiae, quae a sacris nostris itidem exsulabant, magno Universitatis dedecori, magno Civium Academicorum periculo. Ab aliis ea detinebantur non tantum; sed et in eorum usus convertebantur. — Apud Senatum Academicum auctor exstiti, ut sua sigilla sibi vindicaret; vindicavit feliciter.

Ipsam tibi trado Rectoris dignitatem, utinam non delibatam! utinam talem, qualem a Maioribus accepmtam Nos olim habuimus, qualem Universitas Leidensis et Traiectina ad hos dies usque habuit, qualem tu toto tuo animo desideras et recte desideras. Sed novisti, fracta res ad me fuit delata; eam restituere sum conatus. Feci, quod debui, quod potui facere; gravissimo sum usus argumentorum pondere: sed tandem adfertur Interpretatio, cui parendum. — Quae supersunt, tu tuere! Cave, cave, uti virum decet, ne quid in posterum detrimenti capiat dignitas nostra. Ita fungere tuo munere, ut abinde ad ipsum te multa redeat voluptas, ad rem literariam, nostramque Academiam fructus uberrimus! —

Professoribus, qui mihi in munere sustinendo suis adesse auxiliis voluerunt, gratum testor animum; in his te Muntinghi! et te Eerdeni! nominatim saluto, qui tempore feriarum, Prorectoris munere functi fuistis, quod quidem est ex lege; sed ita fuistis functi, ut fere omni eo tempore ipse beatus procul negotiis mea rura potuerim colere.

Digitized by Google

Pergo ad ea, quae mei muneris sunt ultima. — Te Cl. vir, qui Senatui Academico ab actis es, rogo, ut acta praelegas Facultatum, quae ad literarium huius anni certamen pertinent, ut de Victoribus legitime constet; quae pertinent etiam ad quaestiones, quae in sequentem annum iuventuti Academicae proponuntur enodandae.

(*Acta facultatum leguntur.*)

E certamine igitur Victores recesserunt.

HENDRIKUS IACOBUS HERMANNUS MODDERMAN Groninganus.
HENRICUS KUHL Hanoviensis.
HERMANNUS DE RANITZ Groninganus.
IOHANNES MUNTENDAM Muidensis.

Praestantissimi iuvenes! partos honores vobis gratulor — sed accedite ad me, ut accipiatis virtutis praemia, quae regia liberalitas dari iussit, maiorum etiam munerum auguria, si pergitis, qua incepistis, ire via, adeoque si spes non fallit, quam de vestris meritis animo suo concepit Patriae Pater.

(*Nummi traduntur.*)

Dulce est victoriam reportasse; publice laudarier dulce est. Prudentiae est, cavere, ne laudatio modestiae sensus in animis convellat; prudentiae est, victoria ita uti, ut ad maiora quaevis stimulet, excitet, impellat. Quid ego velim, vos intelligitis, optimi iuvenes! generosa capita! — Pergite honesta omnia sequi, pergite bonis artibus litare, pergite aliis exemplo esse: estis iam Academiae ornamenta et sic eritis certissime Batavi soli, (tu tuae patriae KUHLE!) ac docti orbis decora. — Conatibus vestris faveat Deus! — et nunc a me discedite!

Quid ad te dicam praestantissime VAN HASSELT? aurum tibi non trado, nam-

Digitized by Google

que non posſum. Cetera, quae ad illos dixi, ad te etiam pertineant. Quid ad alios dicam, quorum nomina ignorantur, ſed qui ita ſe in certamine gesſerunt, ut omnem Iudicum meruerint laudem? ne vos, ne ceteros, qui ſe palaestrae commiſerunt, ab aliis praerepta palma deterreat. In conſtante ac perpetua voluntate omnis conſpicitur virtus; pergite velle meritis praeſtare, pergite velle excellere et meritis aliquando praeſtabitis, excelletis.

Ad omnes me converto. Quid his evenerit vos ceteri vidistis, Victoribus denuo palmae propoſitae ſunt. — Honesta vos omnes agat aemulatio!

Omnia peracta ſunt. A. A. — Ite, licet!

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

(a) pag. 6. — *Cumque retro spectantes vidissent* etc. — Quod hic dixi de Quiritibus *post Gallicum incendium pueros iubentibus* in scholis XII tabb. ediscere ac memoriis tenere, id *coniectura*, vel, si hoc mavis, *leviori suspicione* nititur; namque non memini, me locum invenisse, ubi rei origo *huic tempori* et *huic caussae* nominatim tribuatur. — De re ipsa satis constat ex Tullio de legg. II. 4. 23. In his talibusque rebus saepius a *coniecturis* et ipsis *suspicionibus* esse ordiendum, quo tandem ad vera veniamus, nemo prudens negaverit. Sed an Oratori licuit dicere de re, quae tali coniectura nititur; ac si esset certissima? vix ipse dixerim. — Quid igitur? — Mihi scribenti, ut fit, satis certa res videbatur; sed videbatur tantum: scripta deinde mutare vix ac ne vix quidem potui: nolebam etiam: malui Lectorem monere, et, si forte peccaverim, veniam orare.

Quod ad ipsas *coniecturas*, earumque usum attinet, lubens mea facio, quae scripsit, elegantissimi ingenii vir, Cl. BORGER „omnino plurimarum optima„rumque rerum inventionem a *coniectura* profectam esse constat. — Hoc di„cimus, si nihil sit utile, nisi quod *evidentiae* vim demonstrationemque habeat, „ne a summis quidem ingenio viris, multum emolumenti ad bonas literas um„quam pervenisse."

(b) pag. 9. — *Illimitatum eorum fuisse imperium, mihi sedet certissimum.* — Meam hac de re sententiam his fere verbis exposui in scholis, quae, ut tempori parcatur, hic mihi liceat repetere. „Populus Romanus Romulum rerum suarum civilium Regem salutavit. Regia potestas lege definita, limitibusque circumscripta non fuisse videtur. Talis igitur, tantaque fuit, qualem quantamque mores Gentium, sensusque libertatis apud recens natum populum ferebant. — Naturaliter viris, ingenio aut alia quavis re excellentioribus aliquid datum; unde Senatus — Naturaliter populo libero ac feroci, proprie sic dicta lex non potuit imponi, nisi quam ipse voluisset; naturaliter ad arma et bellum populus liber non potuit cieri invitus; naturaliter magistratibus non paruit populus, nisi quos voluerit; unde tandem libertas illa Romana ac populi legum iubendarum potestas."

Digitized by Google

„Constitutio, quae hodie dici solet, Reipublicae, ante definita, literis et arte descripta, ab initio rerum Romanarum Romae non fuisse videtur, sed ea veluti sponte coaluit; eam natura rerum, rectique sensus veluti genuerunt: ut, si Romulus Senatores nominaverit, eosque identidem convocaverit, id prudentiae ac facti magis fuerit, quam legitimae necessitatis ac iuris. — Et profecto non aliter solent populi rudes ac rerum civilium ignari; vosque novistis, quantae molis sit opus, apud cultiores etiam populos, imperiis legem scribere."

„Quod dixi, egregie videtur confirmare Taciti locus, ubi dicit, Servium Tullium praecipue leges sancivisse, eas etiam, quibus Reges obtemperarent: sed totum dabo locum, qui exstat Ann. III. C: 26. *Romulus, ut libitum;* (id est, sine lege) *imperitaverat: dein Numa religionibus et divino iure populum devinxit; repertaque quaedam a Tullo et Anco: sed praecipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, quis etiam Reges obtemperarent.* Tacitus non dicit, Romulum, *sine lege* IUS DIXISSE, (sunt enim, qui ita locum explicant) quamvis et dixerit: Sed Tacitus dixit, eum IMPERITAVISSE, quod latius spectat, omneque civitatis regimen continet. Adde Pomponium in L. 2 D. de O. I. § 1 *et quidem initio civitatis nostrae Populus sine lege certa, sine iure certo primum agere instituit,* OMNIAQUE MANU A REGIBUS GUBERNABANTUR. — Uti Tacitus dicit, *Romulum imperitavisse,* UT LIBITUM, ita Pomponius ait, *a Regibus* MANU *gubernata esse omnia*; id est, *potestate, sine lege.* Uti Tacitus ait, Romulum *imperitavisse*, ita Pomponio Reges dicuntur *gubernavisse;* sed addit, eos OMNIA gubernavisse, ut nihil excludatur, nequeatque haec dictio ad solam iurisdictionem restringi: adeoque Pomponius voluisse dicatur, populum Romanum, initio nec publicum ius, nec privatum, lege descriptum, habuisse; omniaque, cum publica tum privata Regum arbitrio, a lege libero, fuisse gubernata. Mox § 2. Pomponius incipit praecipue dicere *de iure privato;* deinde ad *iura publica* redit, dicitque § 14 et 16 *quod ad magistratus attinet, initio civitatis huius constat Reges omnem potestatem habuisse — exactis deinde Regibus Consules constituti sunt duo, penes quos summum ius uti esset, lege rogatum est — qui ne per omnia regiam potestatem sibi vindicarent, lege lata factum est, ut ab eis provocatio esset, neve possent in caput civis Romani animadvertere iniussu populi.*" Dicit Pomponius, Reges *omnem potestatem* habuisse; dicit, habuisse *summum ius* et est *regia potestas* apud Pomponium nihil aliud, quam *illimitata potestas*, quam ne *per omnia* haberent Consules, lege cautum, ut ab eis provocatio esset etc.

Nostrae sententiae accessit robur invento atque edito opere IOHANNIS LAURENTII *de magistratibus Reipublicae Romanae*, qui, imperante Iustiniano, Constantinopoli floruit, origine Lydus. Is enim, Latine redditus, libro I. § 3. de Regio Romuli imperio dicit, „quod Itali *regium imperium* nuncupant, idem est; „quod *tyrannicum:* neque enim *regium* apud Romanos *nomen* LEGITIMUM, „ut nonnulli existimant, denotat IMPERIUM."

„Prima habetis, quae mihi quidem videntur, rerum civilium apud Romanos

Digitized by Google

initia: sed estis monendi, esse quam plurimos viros doctos, qui hic in alia omnia eant; atque hos sequitur vester commilito, praestantissimus BINKES in tractatu *de Senatus Romani auctoritate* § 2. Invenitur in Bibliotheca publica, in *annalibus Academiae Groninganae* Vol. I. p. 141 seqq. — FERGUSONUS res bene videtur exposuisse."

(c) pag. 10. — *Namque te* (Valerio) *sublato, quae in animis potentiorum recondita erant malorum semina, veluti uno impetu, in rempublicam video erumpere.*

Haec non ita tradi solent: de Valerii morte non ita dicunt, dicunt de morte Tarquinii Regis, quae septem annis post obitum Valerii in annum incidit ab U. C. 257. „*Insignis hic annus*, inquit Livius, *nuncio Tarquinii mortis — eo nuncio erecti Patres, erecta Plebes. Sed Patribus nimis luxuriosa ea fuit laetitia: Plebi*, CUI AD EAM DIEM SUMMA OPE INSERVITUM ERAT, *iniuriae a primoribus fieri coepere.*" Puto tamen, me de Valerio et de Valerii morte recte dixisse; idque constare videtur, cum ex tota temporis historia, tum etiam nominatim exinde, quod iam triennio post mortem Valerii, de aere alieno et de potentiorum acerbitate in debitores obaeratos querelae ac motus fuerint, quodque iam ante Tarquinium mortuum Dictatores occurrant in plebem creati. Et vero Patribus non multum ea tempestate metuendum fuisse videtur a Rege Tarquinio, defecto sene, liberis orbo. Non omnis quidem cum Livio conspirare videtur Salustius: sed tamen merita praetervidisse videtur Valerii, in fragm. hist. I. — „*iniuriae Validiorum et ob eas discessio plebis a patribus, aliaeque dissensiones domi fuerunt iam inde a principio: neque amplius, quam regibus exactis dum metus a Tarquinio et bellum grave cum Etruria positum est, aequo ac modesto iure agitatum:* DEIN (id est igitur, post pactam cum Porsenna pacem, biennio fere post eiectum Tarquinium regem) SERVILI IMPERIO PATRES PLEBEM EXERCERE; DE VITA ATQUE TERGO REGIO MORE CONSULERE; AGRO PELLERE ET, CETERIS EXPERTIBUS, SOLI IN IMPERIO AGERE. Ea vero omnia ne fierent, Valerius cavit.

(d) pag. 12. — *Inter Graecanicas Darii Regis et Heracliti Philosophi epistolae.*

Vide epistolas Graecanicas Aureliae Allobrogum 1606 pag. 332, ubi exstat epistola Darii Regis ad Ephesios et pag. 337, ubi epistola Heracliti ad ipsum Hermodorum.

Darius Rex ad Ephesios sic loquitur „ Ἀνὴρ ἀγαθος. — Vir bonus, maximum bonum Reipublicae, sermonibus honestis ac legibus mentes bonas „efficit, utiliter et tempestive ad bona impellens. Vos autem Hermodorum, „non modo vestrum optimum, sed et universorum Iônum, eiecistis e patrià tur„pesque calumnias in bonum animum confertis. Si igitur constituistis bellum

Digitized by Google

„adversus Regem dominum suscipere, paramini. Mittam enim copias, quibus „resistere vos non possitis. Turpe namque esset regi magno, non opem ami„cis ferre. Sin tale nihil conati estis, Hermodorum reducite et paternam „ei possessionem restituite, recordantes, quanta in vos illius amore beneficia „contulerim, levius tributum efficiendo, quam pendere solebatis, multamque „terram vobis ad illam adiiciendo, quam antea tenebatis, pro quibus nullam „gratiam habere videmini. Alioquin enim non in exilium Hermodorum, ami„cum regis, pepulissetis. Mittite igitur viros, qui me doceant, quam contra „Hermodorum accusationem afferatis, ut, si coärguatur ille sceleris aut crimi„nis, poenas dependat: sin vos, quod optimum factu est, in animum inducam „et in posterum caveam, ne pecceris in viros bonos et honestos. Etenim „hoc et regi vestro et vobis est emolumento."

Heraclitus amico suo Hermodoro „Δηλυ μοι Ερμοδωρε. — Fac me cer„tiorem, Hermodore! quando decreveris in Italiam discedere. Dii Daemones„que regionis eius te benigne suscipiant. Per insomnium mihi videbatur ab „universo terrarum orbe diademata ad tuas leges accedere, et, more Per„sarum, incluso ore eas adorare. At illae summa in dignitate versabantur. „Adorabunt Ephesii te, cum e vivis excesseris, cum tuae leges omnibus im„perabunt, et tunc eos necessitas ad utendum illis impellet. Deus enim impe„rium eis ademit et se ipsos iudicarunt servitute dignos. — Tota Asia sub pos„sessionem regis venit, et omnes Ephesii cesserunt in spolium. Insueti sunt „verae libertatis et imperii. Et nunc, quod facile credi potest, dicto erunt „audientes, si iubeantur. — Sibylla in multis etiam hoc est vaticinata. Ex „iäde natione, sapientem venturum in Italiam. Te ante tot secula Sibylla „istä novit Hermodore, et tunc exstitisti. Ephesii vero ne nunc quidem videre „volunt, quem veritas per feminam, divino numine percitam, perspexit. — „Tu vero tempus tui discessus mihi significato. Omnino te volo convenire „et, cum de aliis multis, tum de legibus etiam, pauca tecum colloqui. „Scriptis ea mandassem, nisi plurimum ad rem pertinere iudicarem, ut occul„ta manerent. Nihil vero ita siletur, ut cum unus uni loquitur, et hoc ma„gis Heraclitus Hermodoro."

Nescio, quo iure doctissimus BONAMY hanc Heracliti epistolam dixerit, *une pièce manifestement supposée.* Conferantur MENAGIUS ad Diogen. Laertium IX Cap. 2. ibique citati.

Nescio, quo iure laudatus BONAMY Hermodorum hac tempestate nonagenarium senem dixerit: namque mihi de viri natalibus non satis constat. (*a*)

(*b*) *Memoires de l'Academie des inscriptions* Vol. XII. pag. 48.

ORDINUM ACADEMICORUM IUDICIA

de commentationibus ad quaestiones anno 1816 propositas, ad quas ante diem 1 Aug. 1817 respondeatur.

ORDINIS IURIDICI.

Duae commentationes ad quaestionem ab Ordine Iuridico Studiosis, in Academiis et Athenaeis Belgicis ad certamen literarium propositam, *quid sint pacta etc.* Ordini sunt oblatae, quarum una inscripta est: *Audere non dedecet*, altera: *edidi quae potui, non quae volui.*

Utramque commentationem egregie elaboratam esse, toti Ordini visum est, quippe utrâque stilo satis culto, et diligenti argumenti tractatione se commendante. Quapropter si singulae simpliciter considerentur, singulae etiam praemio dignae sunt censendae. Illud vero praemium quo minus utrique auctori tribuatur lege prohibetur, qua tenemur. Comparatis itaque inter se utriusque commentationis dotibus ac virtutibus, palmam, una voce et consensu, Ordo tribuit commentationi inscriptae hoc lemmate, *Audere non dedecet.*

In hac autem commentatione quaestionis partes plenius enucleatas iudicavit Ordo noster quam in altera, quae licet multa ad quaestionem pertinentia loca in ea cum industria exponantur, et ab oratione imprimis ipsa se commendet, quaestioni tamen, universe spectatae, non adeo satisfacere Ordini visa est quam prior illa, cui palmam tribuit, commentatio.

In hac enim commentatione argumentum ita tractatur, ut non tantum singulae quaestionis partes diligenter sint enucleatae, verum etiam ut tota commentatio haud vulgarem Iuris Romani cognitionem et ingenii acumen in auctore prodat, qui diversas de argumento opiniones summa cura discussit, adversariorum confirmationes subtiliter allevavit, suam vero sententiam probabilibus rationibus confirmavit,

Digitized by Google

Aperta autem ſchedula nomen auctoris exiit;

Henricus Iacobus Hermannus Modderman, Groninganus, in Academia nostra Iuris Candidatus, quem, felicisſime peracto, quod cum ipſo instituimus, per commentationis argumentum et huic affines quaestiones examine, praemio dignum iudicavit, et in certamine literario hoc anno victorem renuntiavit Ordo Iuridicus.

Gron. die 27 Menſis Septembris 1817.

Ord. Iuridici in Academia quae Groningae est nomine
C. A. van ENSCHUT,
Ord. Iur. ab actis.

ORDINIS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Facultas Mathematica et Phyſica ad quaestionem, *cum, licet Naturae corpora etc.* duas accepit commentationes, inſcriptas:

I. *In plurimis me errare posſe fateor; at erroribus non indulgebo.*

II. *Dulce et decorum est perſcrutari Naturam;* quae ambae suis ſe dotibus adeo commendant, ut Facultas aliquamdiu dubia haeſerit, cuinam Muſarum palmam tribueret.

Tandem, cum non niſi uni praemium concedere posſet, primum locum mereri iudicavit disputationem, inſcriptam, *In plurimis me errare posſe fateor, at erroribus non indulgebo,* quippe quae magis in ſpecialiora iret, et quaeſitam catenam in Mammalium clasſe pluribus exemplis demonſtraret.

Apertis literis, huic commentationi adiunctis, nomen victoris exiit;

Henricus Kuhl, Hanovienſis, Diſciplinarum Mathematicarum et Phyſicarum in hac Academia Studioſus; qui, commentatione contra obiectiones Facultatis defenſa, praemio a Rege Belgarum propoſito dignus indicatus, et victor certaminis literarii renunciatus est.

Digitized by Google

Ita vero et placuit altera commentatio universae Facultati, ut alterum eiusdem valoris praemium huius commentationis auctori tribuendum rogaverit; quod cum impetrare non posset, hoc tamen nobis publica auctoritate est concessum, ut eius commentatio Academiae annalibus insereretur.

Auctorem deinde huius disputationis sese obtulit IOHANNES CONRADUS VAN HASSELT, Drusiburgensis, Med. in hac Academia Studiosus, qui et defensa sua commentatione sese talem probavit.

TH. VAN SWINDEREN,
Decanus.

ORDINIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

De Quaestione, *Quandoquidem in praesenti studii Philosophici conditione, haud paucos statuere videmus, duas esse disciplinas, quarum utriusque homo est subiectum, alteram Ius Naturae, Ethicam alteram, utramque peculiari proprietate distinctam; quaeritur:*

Num ius Naturae, et Ethica vere discreta sint inter se, et fonte idearum, ex quibus utraque harum disciplinarum expromatur, et obiectis, quae utraque consideret, et fine, ad quem utraque tendat, a Facultate Philosophiae Theoreticae et Literarum humaniorum proposita, una tantummodo commentatio ad ipsam perlata est. Speraverat quidem Facultas futurum fuisse, ut plures sive huius, sive aliarum Academiarum et Athenaeorum alumni, in argumento nobilissimo et utilissimo explicando ingenii sui vires fuissent experti; sed cum hac spe exciderit, adeoque comparationi in iudicio ferendo locus non fuerit, commentationem per se spectandam, et, si probabiliter scripta esset, praemio ornandam esse censuit.

Examine igitur instituto, ita de hac commentatione eiusque auctore iudicavit, ut industriam et diligentiam in explicanda sententia affirmante laudaret, quippe quae satis superque ostendunt, ipsum rationem, quam in hac scriptione secutus est, bene perspectam, tam accurate et diligenter explicuisse, ut consilio De-

Digitized by Google

creti Regii satisfecisse omnino videatur. Quamobrem Facultas auctorem praemio ornandum censuit.

Apertis literis, commentationi additis, patuit, eam conscriptam fuisse ab HERMANNO DE RANITZ, Groningano, Iuris in hac Academia Candidato.

Qui postquam contra dubia Professorum dissertationem mascule defendisset, omnibus consentientibus, auctor habitus, praemiumque ei adiudicatum est.

GRONINGAE die 4 Octobris 1817.

Facultatis Phil. Theor. et Litt. Hum. nom.
B. H. LULOFS,
Facultati ab actis.

ORDINIS THEOLOGICI.

Quum desideraverit Facultas Theologica „*ut brevis veraque ortus et progres-„sus allegoricae sacrarum literarum interpretationis historia exponeretur, „eiusque simul perversi in religionis Christianae doctrina explananda effectus „ex dogmatum historia ostenderentur;*" numero quatuor exstiterunt sanctioris disciplinae cultores excellentissimi, in certamine literario victoriae reportandae operam praestantes. Cuncti graviter in hoc suas vires exercuerunt, et singuli singulos meruere honores.

Horum commentationes sunt inscriptae.

I. *Per aspera ad astra evehat Minerva!*

II. *Omnis nostra vis in animo et corpore sita est; animi imperio, corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum Dis, alterum cum belluis commune est.* SALUSTIUS.

III. *In allegoriis est etiam quoddam insigne et florens orationis pictum et expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores.* M. T. CICERO.

IV. *Simplex veri sigillum.* BOERHAVIUS.

Digitized by Google

Quae ex quatuor his commentationibus ordine erat novissima, subductis calculis, reperta est prima, cum ornatus verborum, tum materiae elaboratae ratione habita. Huius igitur auctorem una mente visum est nobis palma declarare dignum. Aperta mox, quae commentationi adiuncta erat, schedula, victor apparuit IOHANNES MUNTENDAM, Muidensis, Theol. Studiosus, Academiae Groninganae civis; qui deinceps, causam suam strenue defendendo, auctorem se praestitit, industria doctrinaeque liberaliter colendae studio admodum probabilem.

GRONINGAE d. 8 m. Octob. a. MDCCCXVII.

Facultatis Theologicae nomine
A. YPEIJ,
Facult. Theolog. ab actis.

Ad quaestionem ab Ordine Medico propositam, nulla commentatio ei est oblata.

Digitized by Google

PROGRAMMA
CERTAMINIS LITERARII
A
RECTORE ET SENATU ACADEMIAE GRONINGANAE
INDICTI
D. IX OCTOBRIS
CIƆIƆCCCXVII.

Ex decreto Regis Augustisſimi, Academiarum civibus atque Athenaeorum alumnis in nostra patria a ſingulis Ordinibus Academicis quaestiones proponuntur ſequentes:

AB ORDINE MEDICO.

Quae ſunt praecipua momenta, a Medico, inprimis iuniori, obſervanda, in praescribendis remediorum formulis, pro varia aegri conditione?

AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

1.

Quemadmodum phoenomena, quae ratione motus orbitarumque, quas Planetae describunt, legibus phyſicis ſunt conſentanea, quaerimus totam hanc rationem, vel ſyſthema Planetarum, ut vocant, ita explicare, ut omisſis

Digitized by Google

calculis mathefeos fublimioris, hae definiendi leges ab omnibus; vel leviore aftronomiae cognitione imbutis, facile cognosci atque intelligi posfint.

2.

Qualis fuit veterum cognitio de agrorum incenfione ad fertilitatem adiuvandam? quomodo pro foli diverfa natura et vegetabilium conditione haec incenfio in Anglia, Gallia, et fpeciatim in patria noftra inftituitur? qua ratione hic effectus ex legibus phyficis et chemicis colligendus? Et quae inde fequelae pro re agraria funt ducendae?

AB ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

Historia migrationum Hebraeorum extra patriam usque ad tempora, deleta a Romanis Hierofelyma, proxime antecedentia; et expofitio causfarum, quae eas effecerunt, addita recenfione regionum et locorum, in quae migraverunt Hebraei.

AB ORDINE THEOLOGICO.

Quaeritur interpretatio fermonis, quem habuit optimus humani generis Servator cum Iudaeorum proceribus, optimusque ipfius alumnus IOHANNES *memoriae prodidit in Euangelio fuo, cap.* V: 17—47.

AB ORDINE IURIDICO.

Quaeritur quis fit finis, poenis propofitus, cum ex rei veritate, tum ex Ictorum Romanorum doctrina.

Quaestio pertinet ad proprium legum poenalium et conftituendarum *et* exfequendarum *finem.*

Refponfa oratione Latina, manu aliena, fatis nitide fcribenda, et ante diem 1 Augusti 1818, auctorum fumtibus, mittenda ad Virum Clar. Theod. van

SWINDEREN, qui Senatui Academico est ab actis, obſervatis iis, quae leguntur Art. 210 Decreti Regii, facti 2 Aug. 1815, N°. 14.

Victoribus in honestisſimo hoc certamine praemia distribuentur die 8 Octobris anni 1818, quo novus Rector munus ſuum est auſpicaturus.

Digitized by Google

HENRICI IACOBI HERMANNI MODDERMAN,

GRONINGANI,

IURIS CANDIDATI

COMMENTATIO

AD QUAESTIONEM

A NOBILISSIMO ORDINE IURIDICO ACADEMIAE QUAE GRONINGAE EST IN CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXVII PROPOSITAM:

QUID SUNT PACTA, QUID SUNT CONTRACTUS IN IURE ROMANO? QUID SUNT CONTRACTUS, QUI DICUNTUR NOMINATI, QUID INNOMINATI?

IN COMMENTATIONE AD HANC QUAESTIONEM CUM VERA CAUSA DOCEATUR, QUARE PACTA APUD ROMANOS, UBI PRIMA IURISPRUDENTIAE ROMANAE IACTA FUERUNT FUNDAMENTA, ACTIONEM NON PRODUXERINT, TUM VERO ETIAM OSTENDATUR, QUANDO CONTRACTUS INNOMINATI, QUI DICUNTUR, VIM IURIS ACCEPERINT, ET QUODNAM INCREMENTUM IURISPRUDENTIA ROMANA ACCEPERIT RECEPTIS IN FORO CONTRACTIBUS INNOMINATIS.

CUI PALMA ADIUDICATA EST.

Digitized by Google

Audere non dedecet.

Quinctilianus.

Digitized by Google

CONSPECTUS.

Digitized by Google

CAPUT IV. De contractibus Romanorum.

§ 1. De variis quae proponi folent contractuum divifionibus.

§ 2. Quid fit contractus nominatus, quid innominatus?

§ 3. De contractibus nominatis.

§ 4. De fubdivifione contractuum nominatorum.

§ 5. De tempore quo contractus innominati vim iuris acceperunt.

§ 6. De contractibus innominatis.

§ 7. Disputatur de una alteraque obiectione, quae in medium posfet ferri.

§ 8. De differentiis contractus nominatos inter et innominatos.

CAPUT V. Ex obfervatis de Romanorum pactis et contractibus pauca repetuntur, deque incremento agitur, quod accepit iurisprudentia Romana, receptis in foro contractibus innominatis.

§ 1. De ftatu iurisprudentiae Romanae, quod ad contractus ante tempora Aristonis.

§ 2. De differentiis inter pacta nuda et contractus innominatos.

§ 3. De ftatu iurisprudentiae Romanae quod ad contractus post tempora Aristonis.

§ 4. De ipfo incremento iurisprudentiae Romanae, receptis in foro contractibus innominatis.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Uti omnes disciplinae, in quarum notitia ingenium humanum unquam occupatum aut fuit, aut erit, multa continent, quae, licet ab una parte difficillima recte dicantur, ab altera tamen parte elegantissima, imo etiam utilissima et dicuntur, et sunt dicenda, ita in Iurisprudentia variae nobis occurrunt res, quae, quamvis graves et satis difficiles, propter earum tamen elegantiam ac utilitatem, seriam animi attentionem omnino merentur.

Cum autem Ius Romanum magnam et egregiam Iurisprudentiae partem constituat, in qua diu et multum versari Iurisconsultum veri nominis decet, facile etiam patet, hanc nostram observationem de eo iure inprimis valere. Haud pauca enim in Romanorum iure nobis occurrunt, quae gravi difficultate laborant; nec miremur, cum tot ac tanta contineat, quae non nisi ex antiquitate illustrari, non nisi populi illius moribus ac consuetudinibus probe intellectis explicari possunt; Ius Romanum tamen haud pauca etiam continet, quorum cognitio summae utilitatis magnique momenti, etiam nobis esse, quisquis sana mente praeditus lubens agnoscit, qui cogitet, ius Ro-

Digitized by Google

manum omnibus fere populis cultioribus, per multa fecula; veluti normam praebuisfe, quam in legibus fuis condendis legislatores fequebantur; qui videat, quanti ufus, etiam hodie, fit in foro.

Valent inprimis, quae fupra obfervavimus, de egregio pactorum loco in iure Romano, ex quo nobilisfima Facultas Iuridica Groningana, in honesto huius anni certamine ftudioforum nostrae patriae, unam et alteram quaestionem propofuit.

Animus igitur nobis est experiri, quantum humeri iuveniles in certamine illo valeant. Quamvis enim vires defint, an illud facerem non amplius dubitavi, infpecto Quinctiliani loco, ubi ait: ,,non differendum est tirocinium in ,,fenectutem; nam quotidie metus crefcit, maiusque fit femper quod aufuri ,,fumus: et dum deliberamus quando incipiendum fit, incipere iam ferum est. ,,Quare fructum ftudiorum viridem et adhuc dulcem promi decet, dum ,,et venia et fpes est, et paratus favor, et audere non dedecet: et fi quid ,,defit operi, fupplet aetas, et fi quae funt dicta iuveniliter, pro indole acci- ,,piuntur."

Ordo vero huius commentationis postulare videtur, ut eam in aliquot capita dividamus, quae fingula nonnullas continebunt paragraphos, uti patet ex opusculi confpectu modo propofito.

Digitized by Google

CAPUT I.

De pactis five contractibus in genere, ex Iure Naturali.

§ 1. De fignificatione vocabuli *Pactum* fenfu *vulgari*.

Vocabulum *pactum*, five *pactio* a verbo *pacifci* derivatum, aliquando denotat *quamcunque conventionem*, belgice, *Een affpraak over het een of ander*, *mutuum et declaratum confenfum in una aliqua re*, five, uti Romani dicebant, (male tamen illi tanquam *Iurisconfulti*) est *duorum pluriumve in idem placitum confenfus*.

In hoc fenfu, quem mihi, distinctionis gratia, *communem* five *vulgarem* nuncupare liceat, pactum adesfe dici potest, in loco Salustii *de Bello Iugurthino* cap. 81. „In locum ambobus placitum exercitus conveniunt" et in illo Iustini lib. 6. cap. 7. „Veluti ex placito confenfu a proelio difceditur." Idem tandem fenfus nobis obvenit, fi V. g. cum amico pactus fim, five convenerim, ut certo aliquo tempore ambularemus.

Hisce breviter praemonitis, videamus nunc

§ 2. Quid fit pactum fenfu *Iuridico*.

Etfi vocabulo *pactum* aliquando apud Iurisconfultos denotetur *id quod est in pacto*, aliquando *certus ac fingularis modus ius aliquod acquirendi*, a ceteris acquirendi modis distinctus, plerumque tamen occurrit pro *actu pacifcendi*.

Hoc itaque fenfu *pactum*, five *contractus*, (funt enim, uti infra § 7 dicam,

Digitized by Google

ſynonima) dicatur conventio qua aliquid iuris ab uno confertur in alterum, et ab hoc accipitur. (1)

Haec autem quam dedimus definitio, antequam ad alia tranſeamus, per partes videtur explicanda.

Est conventio qua aliquid iuris:

Est ſcilicet conventio animorum, ſive voluntatum.

Genus igitur, uti ſupra verbo dixi, est conventio in una re; *ſpecies* vero est ea conventio qua *ius* confertur et accipitur. (2)

In eo nimirum conſtat ſignum characteriſticum pacti ſenſu *iuridico*, quo ab alio omni diſtinguitur, quod homines non tantum de una aliqua re conveniant, ſed conveniant de transmisſione et acceptatione *iuris.*

Hinc patet omnis pacti, ſenſu iuridico, obiectum esſe *ius*, ſive ut paullo accuratius loquamur, *ius quodvis.*

Uti vero omne ius triplex est:

1°. Perſonae.

2°. Reale.

3°. In perſonam; (3) ita omne pactum verſatur, vel

1°. Circa aliquod ius perſonae, vel

2°. Circa aliquod ius reale; et tunc transmittitur, vel

1. Proprietas, vel

2. Uſus rei in tempus. Vel

3°. Circa aliquod ius in perſonam. (4)

Ab uno CONFERTUR *in alterum et ab hoc* ACCIPITUR:

Duo vocabula *confertur* et *accipitur* bene videntur notanda, ut pactum diſtinguatur ab omni iuris conſtitutione *unilaterali.*

---

(1) Conf. doct. I. I. VAN INGEN in ſpecimine Iuridico Inaug. Selecta ſiſtente de pactis et contractibus cum nominatis, tum innominatis, inprimis autem de permutatione, contractu apud Romanos innominato. (Groningae 1808) pag. 8; et Doct. S. I. VAN OVERVELDT in Specimine Iuridico Inaug. Poſitiones ſiſtente ad fundamenta inprimis loci de Pactis (Groningae 1810) Poſit. 2. (2) Conf. VAN OVERVELDT l. l. Poſit. 3. (3) Conf. Cl. GRATAMA, In het Regtsgeleerd magazijn I. 3. pag. 402 et 403 in nota et pag. 408. et VAN OVERVELDT l. l. Poſit. 32. (4) Conf. VAN INGEN l. l. pag. 9 et VAN OVERVELDT l. l. Poſ. 32.

Digitized by Google

Licet enim haec etiam suos in iure habeat effectus, uti v. c. si quis aliquem in testamento heredem instituerit, is vero, testatore defuncto, collatum ius hereditarium nondum acceperit, ut tunc ceteri omnes interim ab eo arceantur; licet, inquam, haec ita sint, attamen *pactum* toto coelo differt ab omni unilaterali iuris constitutione.

Pactum scilicet est conventio, sive *mutuus*, isque declaratus consensus; bene semperque distinguendum a *consensu* proprie sic dicto, qui restringitur ad *unum* hominem; ad quem nihil requiritur, praeter intellectus conceptionem et voluntatis determinationem ad id, quod intellectus concepit; bene semperque distinguendum ab omni constitutione unilaterali, in qua quidem non tantum adest consensus, qui proprie constat in actu animi *interno*, verum etiam consensus per signa externa declaratus, sed in qua tamen omnis disputatio restringitur ad *unum* hominem, in qua, quamvis collatio iuris ab una parte sit facta, nil tamen constat de acceptatione ab altera parte. (5)

Ne igitur *pactum*, per excellentiam ita dictum, confundatur cum pacto sensu *communi*, ne confundatur cum quavis iuris constitutione ab uno facta in favorem alterius, in omni pacto haec 3 distinguantur;

1°. Persona, quae ius confert.

2°. Persona, in quam confertur, quaeque collatum ius accipit. (6)

3°. Certum determinatumque ius, quod confertur et accipitur.

Quibus addi potest

4°. Ipse actus, quo illud confertur et accipitur.

In omni pacto praeterea, ut paullo accuratius loquamur, distinguatur substantia, modus ac forma; et obiectum.

Ad pacti *substantiam* pertinent;

1°. Iuris collatio ab una parte.

2°. Iuris acceptio ab altera parte.

Ad *modum* et *formam* pertinet una voluntatum conventio. (7)

Obiectum pacti, uti iam dixi, est ius. (8)

---

(5) Conf. VAN OVERVELDT l. l. Pos. 27, 39, 42 et 43. (6) Conf. WOLFIUS in Iure Naturae, parte III. § 9. (7) Conf. VAN OVERVELDT l. l. Pos. 25. (8) Conf. VAN OVERVELDT l. l. Pos. 24 n°. 1.

Digitized by Google

Sed in hoc loco inprimis quaeritur, quaenam sit causa, quare pactum teneat ac ius producat.

Dixi quid sit pactum, et pro viribus meis definitionem pacti explicavi; ad hanc igitur quaestionem transeo, quae mihi tanti quidem momenti esse videtur, ut, nisi ea bene intellecta atque explicata, ad cetera omnia, quae in hac commentatione quaeruntur, non possit responderi.

§ 3. De fundamento iuris quod venit ex pacto.

In limine huius loci distinguatur causa pactorum *occasionalis* ab ipsa *iuris* causa.

I. De causa pactorum occasionali.

Si naturam humanam consideremus, facile in oculos incurrit, ens illud intelligens, rationale, quod hominem vocamus, utut perfectum, utut prae ceteris animantibus mirificis cum animi tum corporis dotibus a summo Numine instructum, nihilominus ad fines suos obtinendos, ad felicitatem suam promovendam, aliorum ope et auxilio indigere. (9)

Hoc si verum sit, est autem verissimum, quia et historia omnium populorum, et experientia cuiusvis hominis confirmatur, pacta merito dicuntur naturalem habere originem. Nimirum homo, cum, uti dixi, multos sibi proponat fines, quos solus attingere nequit, cum ipsi opus sit aliorum hominum auxilio, veluti sua sponte propellitur ad pacta cum suis similibus ineunda; nec est quod miremur, cum nihil tam aptum sit ad commercium inter homines sustinendum, nec melius possit dici medium, quo finis obtinetur, quam perpetuae illae iurium collationes et acceptationes.

Est igitur, et manebit semper causa pactorum *occasionalis, ipsa necessitas*, sive *indigentia*.

„Si" ut verbis utar Cl. PESTELII in fundamentis Iurisprudentiae naturalis pag. 228. „Si par sit duorum indigentia mutua, et pares sint vires „mutua rerum vel operarum quasi commutatione, statim aut ex intervallo, „semet invicem sublevandi, utriusque interest, non aliter quam sub lege ut „par pari referatur, alterum alteri id, quo indiget, suppeditare, eiusque „commoditati adiuvandae ac prosperitati amplificandae opitulari. Inde nascitur

(9) Conf. ISAÄC ISELIN Geschiedenis der menschheid, deel I pag. 69.

Digitized by Google

„inter homines mercatura quaedam utilitatum. Haec est fons multiplicium pa-„ctorum et contractuum, quibus se invicem obstringunt." (10)

II. De causa *Iuris*.

Vidimus de causa pactorum *occasionali*, sive de causa pactorum *remota*. Iam vero si quaeritur secundo loco de causa *proxima*, de causa *iuris*, de fundamento iuris, quod venit ex pacto, respondemus, illud quaerendum esse „in ea mentis facultate semet ipsam inclinandi ad appetitum, vel declinatum sta-„tus cuiusdam sui, aut corporis sui, aut aliorum hominum rerumve extra se „exsistentium, vel optandum et efficiendum, vel avertendum, quem sibi fore „gratum aut ingratum vere aut falso praevidet, quam *voluntatem* dicimus" (verba sunt Cl. PESTELII l. l. pag. 8). (11) Brevius; fundamentum iuris quod venit ex pacto *voluntas* est *humana*.

Cum enim homo

1°. Habeat ius, ab ipsa natura, aliquid cedendi de τῷ suo, idque in alium conferendi;

2°. Habeat ius aliquod bonum, quod ita voluntate cedentis defertur, ceu suum accipiendi, idque suis finibus subiiciendi;

3°. Habeat ius declaratam a cedente voluntatem habendi pro vera voluntate; (12)

Inde facili negotio colligitur, omnis pacti fundamentum quaerendum esse in sola humana voluntate. (13)

§. 4. De requisitis pactorum.

In §° praecedenti diximus de vero pactorum fundamento. Non tamen omne id, quod pacti venit nomine, revera pactum est, sed ius tantum producunt pacta, quae veri nominis sunt talia, sive ea, quae dicuntur *valida*.

Quaeri autem potest, quid requiratur, ut pactum dici possit *validum?*

---

(10) Conf. etiam VAN INGEN l. laud. pag. 9, et VAN OVERVELDT l. l. pos. 1 et 23.
(11) Conf. ISELIN l. l. I deel pag. 51. BURLAMAQUI, Principes du droit naturel pag. 15.
(12) Vid. doct. s. GRATAMA in diss. Inaug. de Iure ac Iniuria (Gron. 1808) pag. 77 et 80.
(13) De hac causa proxima dixit GROTIUS de Iure Belli ac Pacis libro II cap. II § 1 n°. 3. — Conf. etiam VAN INGEN l. l. pag. 9, et VAN OVERVELDT l. l. pos. 21, 22, 24. — Vide et L. I. F. HOEPFNER in Iure naturae § 63.

Digitized by Google

Respondemus; hic distinguendum esse inter *personas contrahentes*; et ipsum pacti *obiectum*.

In paciscentibus, id est, in persona transferente, et in persona accipiente, requiritur

1°. Ut velle *potuerint*.

Cum in voluntate nihil esse possit, quod non ante fuit in intellectu, sequitur eos omnes excludi, qui vel natura, vel facto impediti intellectu non possunt uti, v. g. infantes, mente capti, et summe ebrii.

2°. Ut revera *voluerint*.

Non sufficit paciscentes velle *potuisse*, sed etiam requiritur ut revera *voluerint*.

Licet vero quaestio, quando revera voluerint, proprie sit *facti*, adeoque *a priori* nequeat solvi, nonnulli tamen enumerari posse videntur casus, in quibus requisita voluntas non adest; nimirum

a. In nuda assertione, qua quis profecto voluntatem suam mutandi facultate non abdicavit.

b. In promissione per iocum facta; ubi enim nulla est voluntas, nullum est ius.

c. In tractatibus; quia in his deliberationes nondum ad finem perductae sunt.

d. In pollicitatione; nam in hac requisitam ab *utraque* parte voluntatem deesse sponte intelligitur.

e. In omni in genere constitutione unilaterali, ubi idem valet argumentum.

Ex dictis, ut hoc addam, facile etiam constat, quid *generatim* sit statuendum de pacto, quod contrahentes inierunt dolo decepti, metu percussi, aut in errore versantes.

Haec et talia igitur ne dicantur pacta.

3°. Ut voluntatem *declaraverint*.

Si declaratio ab utraque parte non adsit, sequitur, paciscentes sese mutuo non potuisse intelligere.

In *obiecto* requiritur, ut sit

1°. *Certum*, id est, ut ius, de cuius transmissione et acceptatione quaeritur, bene sit definitum; aliis verbis, ut paciscentes de uno eodemque iure cogitaverint; imo et requiritur, ut cogitaverint de una eademque re, quam hoc ius afficit; sic v. g. in donatione in specie necesse est, ut non tantum

Digitized by Google

paciscentes convenerint de *gratuita* transmisfione et acceptatione *iuris realis*, ut convenerint de transmisfione et acceptatione *iuris proprietatis*, fed etiam requiritur, ut eandem rem, v. g. domum, equum, in mente habuerint, ut igitur non unus de domo, alter de equo cogitaverit.

Obfervandum autem videtur, eam fufficere certitudinem, qua res exitum potest habere, adeoque validum esfe v. g. emtionis venditionis pactum, licet pretii definitio in arbitrium tertii relata fit: in hoc fcilicet cafu certitudo quidem *per fe* et *abfolute* talis non adest, fed per *accidentia* certa fieri potest.

2°. Ut ius, quod contrahentes voluerunt, revera *transmitti*, aut *dari* posfit; five, ut cum Doctisfimo VAN OVERVELDT loquar, (l. l. pof. 24) requiritur, ut ius fit *transmisfibile* aut *dabile*.

Sponte igitur ab hoc loco excludantur res alienae, uti et illae, quae generatim non funt in commercio hominum.

Pactum etiam non potest dici validum, quo aliquid *impo*s*fibile* conftitutum est. Cum vero imposfibilitas vulgo triplex habetur,

1°. *Phyfica*, fi obftet vis phyfica, five interna, five externa;

2°. *Moralis*, fi obftet lex moralis;

3°. *Iuridica*, fi obftet ius alterius; (14)

quaeri posfet, an his omnibus pactum fiat invalidum? et refpondendum videtur, ita esfe; licet fateamur aliquando posfe quaeri de *damni dati reftitutione*. (15) Sed haec ad nos nunc non pertinent.

§ 5. An pacta fint fervanda?

Collatis ac perpenfis iis omnibus, quae fupra obfervavimus de pactorum *natura*, *fundamento* et *requifitis*, an pacta fervanda fint, quis dubitare posfet?

Nimirum homo gaudet facultate, qua quidem omne id, quod lubet, agit liberrime, modo tamen ne laedat ius alterius. Brevius; ius unius eo pergit, usquedum offendat ius alterius.

A tali igitur actione fefe diligenter abftineat homo, qua alterius iuris fphaeram introgreditur, ne iniuste agat, ne alteri detrahat, quod fine fummo fcelere detrahi nequit.

---

(14) Vid. Doct. GRATAMA l. l. pag. 113. (15) Vid. ad totum hunc locum HOEPFNERUS l. l. § 64 feqq.

Digitized by Google

Pactum, uti dixi, est conventio, qua aliquid iuris ab uno confertur in alterum, et ab hoc accipitur.

Si ergo pactum perfectum sit, si ius aliquod ab uno sit translatum, ab altero acceptum, id, quod transferentis erat, accipientis esse coepit, nec prior posteriori illud ius unquam potest detrahere, quia, quod aliorum est, ipsis sine iniuria avelli nequit.

Liceat mihi hic apponere verba Ciceronis de Officiis III cap. 5. „Detrahe„re aliquid alteri, et hominem hominis incommodo suum augere commodum, „magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam „cetera, quae possunt aut corpori accidere, aut rebus externis."

Ita et GROTIUS de Iure Belli et Pac. II cap. 14 § 8 in medio. „Ubi dominium, „aut ius aliud, alicui legitimo modo partum est, id ne sine causa ei aufera„tur, iuris est naturalis." (16)

Si autem evolvamus annales populorum, qui in hoc mundi theatro aut unquam fuerunt, aut hodie adsunt, quot et quanta nobis occurrunt exempla, quae contrarium huius sententiae videntur probare! quot et quanta possent adduci facta historica, quae luculenter ostendunt, per omnia tempora, et ubivis terrarum, aut populos, aut homines pacta inita violasse! Sed notandum est, in hoc loco non quaeri de corrupta hominum natura, non quaeri de eo, quod factum est, aut saepius fit, sed quaeri de *Iure*, de eo, quod fieri debet; cuius veritas a nemine, sana mente praedito, negari unquam potest.

Observandum praeterea haud inutile videtur, pacta servanda esse sine ullo respectu ad *personas*, ad *religionem*, ad *gentes*, aut ad *inimicitiam*, quia haec omnia nihil faciunt ad *ius*, adeoque veluti sponte cadere omnia argumenta, quae unquam a pravis hominibus, etsi saepius sub colore virtutis ac iustitiae, allata fuerunt, quasi nobiles aut divites non tenerentur de pactis, quae inierunt cum iis, qui obscuriori loco sunt nati, aut pauperes dicuntur. Sponte cadant necesse est falsae opiniones, quibus olim ita dicti Theologi imbuerunt animos laïcorum, quasi fides servanda non esset illis hominibus, quos isti hereticos

---

(16) Conf. etiam Cl. OTTO in notis ad PUFFENDORF de Officio Hom. et Civ. in nota ad Lib. I. cap. 9. § 3.

Digitized by Google

vocabant. Tandem ſequitur, pacta ſervanda eſſe omnibus populis, ſive cultis, ſive incultis, uti etiam hosti. (17)

Quaeſitum adhuc fuit, an pacta ſint ſervanda, ſi eorum praeſtatio promittenti ſit incommoda, imo et damnoſa, promisſario vero parum utilis?

Misſis iis quae virtutis aut humanitatis ſunt a parte promisſarii, cum in hoc loco tantummodo reſpiciamus ad ea, quae ſunt *iuris;* reſpondemus, nihilominus pacta eſſe ſervanda. Nimirum eius est, qui promittendo ſeſe ſit obligaturus, *ante* pactum videre, ad quae ſeſe obliget; ſemel autem pacto inito naturaliter non datur locus poenitentiae, nec promittentis est *iusta* putare, quae ſibi videntur aut *commoda*, aut *utilia.* (18)

Eleganter PAULUS dixit de commodato, in L. 17. § 3. D. *Commodati vel contra.* „Sicut voluntatis et officii magis quam necesſitatis est commodare, „ita modum commodati finemque praeſcribere eius est, qui beneficium tribuit. „Cum autem id fecit, (id est, postquam commodavit) tunc finem praeſcribere, „et retroagere, atque intempeſtive uſum commodatae rei auferre non officium tantum impedit, ſed et ſuſcepta obligatio inter dandum accipiendumque." Huic addatur ULPIANUS in L. 1. pr. D. *de pactis.* „Quid tam congruum fidei „humanae, quam ea, quae inter eos placuerunt, ſervare?"

Verbo tandem monemus, etiam nihil facere, quod posſesſio rei forte manſerit penes promittentem; quia ius non transfertur traditione, ſed voluntate, adeoque pactum perfectum dicatur neceſſe est, quamvis rei traditio non adhuc acceſſerit. (19)

§ 6. De diviſione pactorum.

Inter varias, quae ab eruditis proponuntur, pactorum diviſiones, v. g. quod ſint pura vel conditionata, expresſa vel tacita, perſonalia vel realia, primaria vel ſecundaria, et quae plura ſunt talia, inter has, inquam, omnes una inprimis videtur notanda, quia et elegantisſima et necesſaria dicenda est, quia multum

(17) Conf. CICERO de officiis lib. I. cap. 13. — GROTIUS de Iure Belli et P. lib. III. cap. 19. § 1 et 2. — WOLFIUS l. l. Parte III. § 789, 790. (18) Conf. GROTIUS l. l. Lib. II. cap. 16. § 27, nº. 2, qui recte videtur improbare CICERONIS dictum, quod occurrit de officiis Lib. I. cap. 10. (19) Conf. GROTIUS l. l. Lib. II. cap. 6. § 1, cap. 8. § 25. PUFFENDORF de Iure Naturae et G. Lib. IV. cap. 9. § 6. ſeqq.

Digitized by Google

faciet ad intelligenda ea, quae infra de Romanorum contractibus innominatis, pro viribus meis, obſervare conabor.

Omne pactum ſcilicet est vel

1°. Donatio, vel

2°. Permutatio.

I. Donatio est vox generis, quae ſuas ſub ſe habet ſpecies.

Donatio *in genere* est pactum, quo aliquid iuris ab uno confertur in alterum, et ab hoc accipitur *gratis*, id est, ut ab altera parte nihil iuris veniat invicem.

Eius ſpecies ſunt:

1. Donatio *in ſpecie*, ſive donatio per excellentiam ita dicta.

2. Commodatum.

3. Precarium.

II. Permutatio, quae itidem vox *generis* est, atque hoc ſenſu pactum dicatur, quo aliquid iuris, *non* ita *gratis*, conceditur, ſed hac lege, ut ab altera parte aliquid invicem veniat.

Sub ſe continet.

1. Permutationem in ſpecie;

2. Emtionem venditionem,

3. Locationem conductionem. (20)

Dantur adhuc nonnulla pacta, quae modo ad primum, modo ad ſecundum genus pertinent, prouti paciſcentibus placuerit; ut ſunt,

1. Mutuum,

2. Mandatum,

3. Depoſitum. (21)

Ut ad ſecundum genus redeam, omni permutationi duplex ineſſe videtur pactum, quorum unum est conditio *ſine qua non* alterius.

Sic, ut unum adducam exemplum, in emtione venditione ab una parte confer-

---

(20) De his ſpeciebus exſpatiari nec placet, nec neceſſarium videtur. HOEPFNERUS l. l. § 85—98 qui pacta itidem diſtinguit in *gratuita* et *oneroſa*. (21) Conf. ad totum hunc locum Doct. E. L. VOS DE WAEL in ſpec. *de Donatione in ſpecie ſic dicta* Gron. 1806, pag. 3 in fine ad 8.

Digitized by Google

tur et accipitur ius proprietatis *rei*, et hoc est unum pactum; transfertur autem illud ius ea conditione, ut ab altera parte transferatur ius proprietatis *pecuniae*, quod, itidem acceptum, secundum pactum constituit: erat igitur unum conditio sine qua non alterius.

§ 7. An pactum et contractus sint synonima?

Inter eruditos diu quaesitum fuit, imo quaeritur etiam hodie, an pactum et contractus iure naturali sint synonima. Alii negant, alii affirmant.

Inter negantes nobis occurrunt PUFENDORF *de Off. Hom. et Civ.* Lib. I. cap. 15. § 1, et *de Iure Nat. et gent.* Lib. V. cap. 2. § 1—41. HOBBES *de Cive* cap. 2. § 9. VITRIARIUS *Inst. Iuris Nat.* cap. 12. quaest. 2.

PUFENDORF illud discrimen in eo ponit, quod *contractus* vocentur pacta, quae circa res et actiones, in commercium venientes, versantur, adeoque dominia et pretia rerum praesupponunt; *pacta* vero apud eum sunt conventiones, quae circa alia ineuntur.

Imo et GROTIUS, quamvis Romanorum distinctionem inter pacta et contractus, nisi fallor, recte reiecerit l. l. Lib. II. cap. 11. § 1. (22) Libro tamen II. cap. 12. § 1, 2, 7. aliquod discrimen admisit inter pacta et contractus, *pacta* scilicet vocans promissiones de re danda, aut facto praestando, totas gratuitas, *contractus* vero cetera, quae non sunt mere benefica.

Inter affirmantes eminent OTTO in annotat ad PUFENDORFII locum laud. *de Off. Hom. et Civ.* TITIUS in nota 2 ad eundem PUFENDORFII locum; MASCOVIUS in nota 1 ad § 4 loci laud. PUFENDORFII *de I. Nat. et Gent.*, BARBEYRAC ad eundem locum in nota 1; quibus addi meretur WOLFIUS *I. Nat.* P. III. § 794.

Utut est; nam, quid verum, quid falsum hac in re dicendum sit, ego, iuvenis imperitus ac indoctus, ubi tot ac tanti viri dissentiunt, non auserim dicere; utut est, „Omnes" uti ait HEINECCIUS in Praelect. l. l. pag. mihi 446. „Omnes (23) agnoscunt, iure naturali inter pacta et contractus, quod ad

---

(22) Conf. HEINECCIUS in Praelect. ad l. l. GROTII. (23) Praeter solum FRANCISCUM CONNANUM, cuius tamen errorem multis argumentis demonstravit GROTIUS l. l. Lib. II. cap. 11. § 1.

Digitized by Google

„*effectum*, nullam esse differentiam;" et profecto non aliter esse posse videtur, quia humana voluntas, vis illa iuris creatrix, fundamentum est omnis conventionis. Si igitur homines conveniant in una aliqua re, si illis placeat ut ius transferatur ab uno in alterum, et ab hoc accipiatur, si velint ut ius producat illa voluntatum conventio, sive dicatur *pactum*, sive *contractus*, sive *aliud quid*, quare non produceret ego non video.

Ex dictis igitur sequitur, nisi omnis fallor, hic inter eruditos in vocibus ludi. Quod si verum sit, non dubitarem ad propositam quaestionem respondere, pactum et contractus naturaliter esse synonima.



Hisce de pactis et contractibus in genere observatis, expositis iis quae *naturaliter* in egregio loco de pactis obtinent, quaeque, etsi proprie non pertineant ad quaestiones a nobilissima Facultate Iuridica Academiae, quae Groningae est, propositas, necessario tamen antea observanda mihi videbantur, nunc transeo ad ipsum Romanorum ius, quidque apud laudatissimum illum populum de pactis et contractibus fuerit statutum exponere conabor.



Digitized by Google

CAPUT II.

Generalia quaedam de pactis et contractibus apud Romanos.

§ 1. **An pactum et contractus ſint ſynonima in Iure Romano?**

In capite praecedenti pauca diximus de pactis ſive contractibus ex iure naturali, ibique diximus, fundamentum omnis pacti quaerendum eſſe in humana voluntate, nullumque *naturaliter*, quo ad effectum ſaltem, dari diſcrimen inter pactum et contractum; utrumque enim, ſi validum ſit, producit *ius*, utrumque aeque firmiter tenet, nec ab iis recedere mortalibus licet.

Si vero ea quae ſupra a nobis fuerunt obſervata, ſi ea quae *naturae* ſunt, nec aliter eſſe poſſunt, comparemus cum iis quae hac in cauſa obtinuerunt apud populum Romanum, praeſertim apud primos Quirites, ſi quaeramus an pactum et contractus apud eos fuerint ſynonima, an relictis iis, quae ſunt iuris naturae, in iure Romano nulla detur differentia inter pactum et contractum, illud omnino videtur negandum.

Ubi rerum testimonia adſunt, non multis opus est verbis, ut dicti veritas probetur.

ULPIANUS in l. 7. pr. et § 1. D. *de pactis* inquit „Iuris Gentium „conventiones quaedam actiones pariunt, quaedam exceptiones. Quae pariunt „actiones, in ſuo nomine non ſtant, ſed tranſeunt in proprium nomen con„tractus; ut emtio, venditio, locatio, conductio, ſocietas, commodatum, de„poſitum, et ceteri ſimiles contractus. Sed et, ſi in alium contractum res non „tranſeat, ſubſit tamen cauſa, eleganter Aristo Celſo reſpondit, eſſe obligatio„nem. — Sed cum nulla ſubeat cauſa propter conventionem, hic conſtat non „poſſe conſtitui obligationem. etc.” (24)

(24) Addatur L. 10. C. *de pactis*, L. 27. C. *de locato*. PAULUS Sentent. Lib. II. tit. 74. § 1.

Digitized by Google

Ex quibus locis facile intelligitur, pacta et contractus apud Romanos non fuisse synonima.

§ 2. Quid sit pactum, quid sit contractus in iure Romano?

Pactum, sive *pactio*, sive *conventio;* haec enim tria vocabula promiscue in iure Romano sumuntur; (25) apud Romanos videtur fuisse vocabulum *generis*, et definitur, ut sit duorum pluriumve in idem placitum consensus. (26)

An ista definitio recte sese habeat, nunc non inquirimus, quia in hoc loco non videndum est quid *sit* dicendum, sed quid Romani dixerint.

Vocabulum illud *generis* sub se continet duas species, quarum singulis illud proprium est, ut, qui conventionem ineant, in idem placitum consentiant, licet utrique speciei, ut deinceps videbimus, non eandem iuris vim, qua contrahentes tenentur conventa praestare et exsequi, Romani tribuerint. Quod quidem discrimen specificam differentiam constituit. Duae autem illae species sunt *Pacta*, quae dicuntur *nuda*, et *Contractus*. De singulis videamus.

Pactum nudum est conventio, in nudis placiti finibus consistens, cui non inest vis obligationis civilis, quae ergo non producit actionem. (27)

Contractus est pactum, cui vim iuris productivam lex civilis Romana dedit; (28) etiam potest dici (et haec definitio, quia valde accurata videtur, nobis inprimis placet) pactum, quod secundum formam, iure civili probatam, erat initum, suumque in foro nomen acceperat, aut deinde expresse inter contractus receptum est.

§ 3. De differentiis inter Romanorum pacta et contractus.

Pactum in specie, sive *pactum nudum*, quod etiam simpliciter *pactum* vocatur, a *contractu* multum differt; nam

1°. *Pactum* stricta, de qua diximus, significatione, qua a pacto, tanquam generis vocabulo, diversum est, est conventio, in nudis placiti finibus consistens; *Contractus* vero est pactum secundum formam, iure civili probatam, initum.

---

(25) Videatur VICAT *in vocabulario Iuris* in voce *Pactio*. (26) Vid. L. 1. § 2. D. *de Pactis*. (27) Conf. L. 7. § 4. D. *de pactis*, L. 10, 20, 21, 27, 28. C. *eodem*, L. 27. C. *de locato conducto*, L. 23. C. *de pignoribus*, L. 15. C. *de Transact.* etc. (28) Vide L. 7. § 1. D. *de pactis*.

Digitized by Google

4°. *Pacto* non inest vis obligationis civilis; *contractus* suum nomen in foro acceperat, aut deinde inter contractus expresse receptum est.

5°. Ex *pacto* non datur actio, ex *contractu* quidem. (29)

---

(29) Conferri potest HEINECCIUS *in antiqq. Romanis* Parte II, pag. mihi 69 in medio.

Digitized by Google

CAPUT III.

De Pactis nudis in Iure Romano.

Diximus pactum Romanorum nudum fuisse conventionem, in nudis placiti finibus consistentem, cui non inerat vis obligationis civilis. Cum autem Cap. I vidimus, pactum omnino producere obligationem, cum producat ius, et obligatio ius sequatur, veluti umbra corpus, ne miremur apud eruditos diu et multum disputatum fuisse de *vera* causa, quare primi Quirites pacto detraxerint *vim* obligandi naturalem, et vim illam unice legi civili tribuerint; aliis verbis, de *vera* causa, quare pacta apud Romanos, ubi prima iurisprudentiae Romanae iacta fuerunt fundamenta, actionem non produxerint.

In egregia illa quaestione, cum etiam a nobilissima Facultate Iuridica Groningana sit proposita, paullo diutius morari nunc nostrum erit.

§ 1. De variis, quae ab eruditis fuerunt propositae, causis, quare pacta apud Romanos, ubi prima iurisprudentiae Romanae iacta fuerunt fundamenta, actionem non produxerint.

Magna, hac in causa, nobis occurrit sententiarum diversitas. Praecipuas tantum exponere, et, ubi res esse videbitur, refellere conabor.

I. Nonnulli dicunt illud tribuendum esse artibus Patriciorum in urbe Roma, quibus populum ludere solebant.

II. Alii statuunt causam illam quaerendam esse in egregia, qua prisci Quirites usi fuerunt, sapientia in arte civili.

III. Huius rei causa derivatur a solo usu.

IV. Sunt tandem, qui dicant illud factum fuisse ignorantia in iure primorum Quiritium, ac dandum esse rudi seculo.

Hisce quatuor aliae possent addi, quarum nonnullas enumerat BYNKERS-

Digitized by Google

HOEK, *Operum minor.* pag. 720. Sed, quia minoris videntur momenti, quatuor nuncupatas sufficere mihi persuasum fuit.

§ 2. An illud sit tribuendum artibus Patriciorum in urbe?

Ita esse statuit POTHIER *Traité des obligations* P. II. chap. 2. nº. 191, ubi sic loquitur: „On appelait dans le droit romain *obligation naturelle* „celle, qui était destituée d'action, c'est-à-dire, qui ne donnait pas à „celui, envers qui elle était contractée, le droit d'en demander en justice le „paiement. Telles étaient toutes celles qui naissaient des simples conven- „tions, qui n'étaient revêtues ni de la qualité de contrat, ni de la for- „me de la stipulation.

„Ces obligations étaient très favorables: *Quid enim tam congruum fidei* „*humanae, quam ea quae inter eos placuerunt servare?* L. 1. D. *de Pactis.* „Si elles étaient destituées d'action, ce n'était que par une raison tirée de la po- „litique des Patriciens, qui, pour leur intérêt particulier, avaient jugé à pro- „pos de faire dépendre le droit d'action des formules, dont ils avaient seuls la „connaissance dans les premiers temps, afin d'obliger les plébéiens à avoir re- „cours à eux dans leurs affaires, et de les tenir par-là dans leur dépendance. „C'est pourquoi, à cela près qu'elles étaient destituées d'action, elles avaient „tous les autres effets, que peut avoir une obligation civile. Non seulement le „paiement de ce, qui était dû par une obligation purement naturelle, était un „paiement valable, et non sujet à répétition; mais suivant les principes du droit „romain je pouvais, contre l'action de mon créancier, opposer la compensa- „tion de ce qu'il me devait de son côté par une obligation purement naturelle; „L. 6. D. *de Comp.* suivant les mêmes principes, des fidéjusseurs pouvaient „contracter une obligation civile, qui accédât à une obligation purement naturel- „le; L. 16. § 3. D. *Fideiuss.* et une obligation purement naturelle pouvait servir „de matière à une novation en une autre obligation civile; L. 1. § 1. D. *de Novat.*"

Contra hanc autem doctrinam viri eruditissimi, cum non placeat, sequentia observare mihi liceat.

1°. Loquitur vir summus de artibus Patriciorum; sed unde probat ita dicendum esse, cum nullum habeat testem, nullumque afferat testimonium?

Forsitan vero quis obiiciet, in historia Romana saepius dici de talibus Patriciorum artibus, quibus ita dicti nobiles, omnia ad se trahere cupientes, populum ludere studebant: at vero respondemus,

Digitized by Google

a. Illud tum demum concedendum esse, (quia haec et talia homine probo civeque bono indigna sunt,) cum probetur testibus idoneis, quibus fidem dare non possumus non.

b. Ea exempla, cum morum corruptelam egregie probent, plerumque serioris aevi esse; rarius autem occurrere primis temporibus, quando a prima simplicitate homines non adhuc adeo recedere solent. (30)

2°. Imo, si per momentum summo POTHIERIO concedamus, hic Patriciorum artes adesse, „Esto" (ut verbis utar Doctissimi VAN INGEN l. l. pag. 74.) „Patricios callidis etiam consiliis aliquando formulariam Iurisprudentiam auxisse, quid exinde sequitur? Hoc sane non! eos ideo pactis etiam vim naturalem detraxisse; ut haberent scilicet ceteri quo Patriciorum ope et auxilio magis indigerent."

3°. Tandem ad probandam veritatem suae sententiae eruditissimus POTHIERIUS nonnulla adiicit, quae nullius videntur momenti. Loquitur enim de iure compensationum et fideiussionum, de quibus primi Quirites certe non cogitaverunt, cum non nisi post aliquot secula Romanis fuerunt cognita.

Cum POTHIERIO facit PILATI DE TASSULO *traité des loix civiles*, P. II. pag. 136, statuens tamen, Patricios hisce artibus uti incepisse post latas XII tabulas; sed

1°. Idem, nisi fallor, de eo valet, quod observavimus de POTHIERIO.

2°. Cum tria secula, inde ab urbe condita usque ad XII tabulas, elapsa essent, quaerimus, quid in hisce tribus seculis obtinuerit?

POTHIERIO et PILATI DE TASSULO addi possunt THOMASIUS *in Iurisprudentia divina* Lib. II. Cap. 11. § 60 et *in naevis Iurisprud. Rom.* Lib. I. pag. 12. seqq., uti etiam HEINECCIUS *in antiqq. Romanis* Lib. III. tit. 14, quamvis in *Recitationibus* aliam videatur tueri sententiam.

Horum autem argumenta reiecit summus BARBEYRAC in nota 2 ad § 11. capitis 5. Lib. III. PUFENDORFII operis *Le droit de la nature et des gens.*

---

(30) Ita dixit ISELIN l. l. Parte II. pag. 171. „*Allengs* verdween uit de zielen der Patriciers, „ledig van ware deugd en wijsheid, elke gewaarwording, die het evenwigt had kunnen houden tegen „hunnen overmoed en onregtvaardigheid."

Digitized by Google

§ 3. An cauſa illa quaerenda ſit in egregia, qua priſci Quirites uſi fuerint; ſapientia in arte civili?

In hisce castris militant multi, magnique nominis viri.

Sic inter alios ſtatuit ſummus HUBERUS in *Praelect. Iuris Civ.* ad Tit. I. *de V. O.* n°. 1. initio: „Viſum fuit Romanis, e pactionibus „nudis non concedere vim obligandi, quia fortunis omnium civium parum „bene conſultum videretur, ſi ex qualibet promiſſione, ſaepe inconſide- „rata, in foro conveniri poſſent." et *in de Hedend. Regtsgel.* Lib. III. cap. 1. n°. 24. „De ouden zijn van meening geweest, dat het niet goed was voor den „gemeenen man, om uit allerhande bloote beloften zoo verbonden te zijn, dat „men daaruit voor regt zoude kunnen aangeſproken worden enz." (31)

Cum HUBERO feciſſe videtur magnus NOODTIUS in libro ſingulari ad Edictum praetoris *de Pactis et Transact.* Cap. 10. ubi post alia „nec tamen ſic „viſum Veteribus, quod iniquum putarent, etiam alias cuſtodiri pacti fidem; ſed „quod reſpicientes ad ſuorum civium conditionem, nollent videri pacta, quibus „non ſubeſſet negotium ad vitae neceſſitatem publice receptum; quare huc de- „venere, ut interpretarentur, naturam iubere ſervari pacta, non qualia qualia, „ſed utilia aut neceſſaria; talia vero non ipſam definire, ſed reipublicae definien- „da relinquere. Huic porro non convenire, ut homines egregie leves, aut ni- „mis faciles, quibuscunque promiſſionibus temere caperentur. etc." (32)

Ita dixit Cl. WESTENBERGIUS *in princ. I. C. ſecundum ordinem Dig. ad tit. de pactis* § 21. „Noluerunt Romani ex omni nuda promiſſio- „ne actionem naſci; ſed certos contractus, et praeprimis ſtipulationem, conſti- „tuerunt, quibus, ſi quis ſibi ſerio aliquem obligare vellet, uti poſſet." (33)

PUFENDORF *de Iur. Nat. et gent.* Lib. V. Cap. 2. § 3. ſic loquitur: „His ideo potiſſimum vim actionis producendae detraxerunt leges Romanae; „ut vastam litium ſegetem in herba opprimerent." (34)

HEINECCIUS *in Recit. ad tit. Inſt. de obligationibus* „mirantur," inquit,

---

(31) Conf. Idem in Eunomia Romana pag. 102. n°. 3. (32) Add. Idem l. l. cap. IX. pag. 504. in verbis „Putemus igitur etc." et VINNIUS in comment. ad Inſt. Lib. III. Tit. 14. pag. 577 in verbis „ni- „mirum conditores etc." (33) Conf. Idem in diſſ. de cauſis obligationum cap. 4. § 28. (34) Addatur Lib. II. cap. 5. § 11. in fine.

Digitized by Google

„id nonnulli, et perfidiam Romanorum accufant, quod contra ius naturae o-
„mnem pactis obligationem detraxerint. Sed hi iniuriam faciunt genti *pruden-*
„*tisſimae* — Quod autem pactis actionem non dederint, id inde est, quia
„plerumque homines fe ferio pactos negant; — ne ergo ita perplexari posfent
„homines et cavillare, fanxerunt Romani, ut fides civium non in pactis, fed
„contractibus confifteret." (35)

E recentioribus allegasfe fufficiat BIGOT-PREAMENEU *Exposé des motifs*
„*de la loi sur les contrats. Code Napoleon suivi de l'exposé des motifs*,
„*tome* 5 *pag.* 5—8 et MALEVILLE *Analyse raisonnée de la discussion du*
„*Code civil au conseil d'Etat T. III. pag.* 10—14" qui tamen in eo conveni-
unt cum laudato PILATI DE TASSULO, quod haud dicant quid *ante* XII
Tabb. obtinuerit.

Fateor, cum tot ac tanti viri conveniant, difficile est disfentire. Attamen
mihi quaerere liceat;

1°. Quae fapientia in arte civili potuerit adesfe apud Quirites, apud populum
rudem, incultum, apud populum conflatum ex hominibus victum quaerenti-
bus pastu pecoris, venatione et agricultura?

Audiamus *l'Encyclopédie ou Dictionnaire universel des connaissances hu-
maines, mis en ordre par* Mr. DE FÉLICE, *Yverdon* 1770 in voce *Rome.*
„Rome fut formée par des hommes pauvres et grossiers; on y comptoit envi-
„ron mille chaumieres; c'étoit, à proprément parler, un village, dont les prin-
„cipaux habitans labouroient la terre ingrate d'un pays stérile qu'ils s'étoient
„partagé; le palais même de Romulus n'étoit construit que de joncs, et n'étoit
„couvert que de chaume. — En un mot, jusqu'à la prise de Rome par les
„Gaulois, cette ville n'étoit en partie qu'un amas informe de hutes séparées" et
in voce *Romains*, ubi post alia. „Les premiers Romains ont emprunté sans
„doute des Sabins, des Etrusques, et des peuples circonvoisins le peu d'idées
„raisonnables qu'ils ont eu; mais qu'étoit ce que la philosophie d'une poi-
„gnée de brigands, réfugiés entre des collines, d'ou ils ne s'échappoient par in-
„tervalles, que pour porter le fer, le feu, la terreur et le ravage chez les peu-
„ples malheureux qui les entourroient? (36)

---

(35) Conf. ibi laud. MERILLIUS *obferv.* 57. cap. 39. (36) Conf. POMPONIUS in L. 2.

Digitized by Google

Quae ſapientia in arte civili potuerit adeaſe primis temporibus apud populum, per tot ſecula ignorantia ac ſtupiditate veluti obductum? audiamus *L'esprit de l'Encyclopédie* in voce *Histoire* „qu'on songe que dans les trois cens pre„mières années l'art d'écrire étoit très-rare; rarae" (inquit Livius) „per ea„dem tempora litterae" et *le dictionnaire de l'Encyclopédie* in voce *Romains*; „Les Romains restèrent abrutis jusqu'au tems où l'Académicien Carneade, le „Stoicien Diogene, et le Péripatéticien Critolaüs viennent solliciter au Sénat la „remise de la somme d'argent, à laquelle leurs compatriotes avoient été condam„nés pour le dégât de la ville d'Orope. Publius Scipion Nasica et Marius „Marcellus étoient alors Consuls, et Aulus Albinus exerçoit la préture."
MILLOT *algemeene geſchiedenis II deel pag.* 168. „In de vroegſte eeu„wen van Rome verblindde de onkunde alle verſtanden, nam het bijgeloof „alles aan, was het ſchrijven zeldzaam." Eleganter Porcius Licin. apud Gellium XVII, 21.

„Punico bello ſecundo Muſa pinnato gradu
„Intulit ſe bellicoſam in Romuli gentem feram."

2°. Si concedamus, primos Quirites ſumma ſapientia hac in re fuisſe uſos, quaerere liceat, quae cauſa ſit, quod Romani ſerioris aevi identidem pactis nudis aliquam vim civilem tribuerint?

Illud enim ita evenisſe, non uno, non paucis, ſed mille argumentis posſet probari. Quid enim in iure Romano exceptio illa, quae datur ex nonnullis pactis nudis; quid pacta illa nuda, lege civili, aut iure praetoris confirmata; quid pacta illa nuda contractibus bonae fidei in continenti adiecta; quid contractus illi innominati, de quibus infra dicendum erit; quid ULPIANI dictum in *L.* 1. *pr.* D. *de Pactis* „quid tam congruum fidei humanae, quam ea, quae inter „eos placuerunt, ſervare?" et in *L.* 1. *pr.* D. *de pecunia conſtituta.* „Hoc „edicto praetor favet naturali aequitati, qui conſtituta ex conſenſu facta cuſto„dit, quoniam grave est fidem fallere;" quid PAULI verba in L. 84. § 1. D. *de R. I.* „Natura obligatus is est, cuius fidem fuimus ſecuti;" quid POMPONIUS

---

§ 1 et 3. D. *de O. I.* VERTOT *Histoire des revolutions de la république Romaine* tom. I. pag. 19, MARTINET *Alg. geſchiedenis* II deel pag. 229, STUART *Rom. geſchied.* pag. 40, MONTESQUIEU *Grandeur et decad. des Romains* cap. 1. initio.

Digitized by Google

in L. 206. D. *de R. I.* „Iure naturae aequum est, neminem cum alterius detri-„mento et iniuria fieri locupletiorem;" nonne haec omnia luculenter probant, Ictos, qui postea venerunt, a mirifica illa primorum Quiritium ſapientia, quantum fieri poterat, deflexiſſe?

Eos igitur falli puto, qui hic de Romanorum ſapientia loquuntur, cum nulla ſine dubio in arte civili ſapientia apud primos Quirites potuit adeſſe.

§ 4. An cauſa derivanda ſit ab uſu?

Bynkershoek, qui hanc tuetur ſententiam, *Oper. Min.* pag. 120, ita ſtatuit. „Rationem, cur ex pacto actio non detur, a ſolo uſu derivemus. „Prisca gens mortalium, ne caperetur provida, Iurisperitos contrahen-„dis negotiis adhibebat. Eorum partes erant praeſcribere formulas in o-„mne genus contractibus, ſecundum quas promiſſiones repromiſſionesque fie-„rent, ne qualis oriretur ex vagis contrahentium verbis. Hinc Manilii „formulae, quarum ſaepius Varro meminit *de re rustica*, ſive, ut vocan-„tur apud Ciceronem *de Orat.* lib. I. Cap. 58. *Manilianae venalium* „*vendendorum* leges, id est, praeſcripta neceſſaria emtionis venditionis recte con-„trahendae. Atque illae formulae conſiſtebant in ea verborum conceptione ſo-„lemni, quam ſtipulationem dicimus, ordinata diverſimode pro cuiusque nego-„tii natura. Ex eo videtur *longo uſu* invaluiſſe, ut ne verba ligarent, niſi „huiusmodi formulae incluſa neceſſariae, quamvis etiam non praeiret illam „Iurisperitus. Conſuetudo haec tranſiit deinceps in ius certum, quo uſi ſunt „Romani, et postea Graeci, ad usque Imperatorem Leonem. Liceat ergo con-„cludere, nihil eſſe probabilius, quam originem, et conſequenter rationem iu-„ris, ab *uſu* duntaxat petendam eſſe."

Si hanc Bynkershoekii doctrinam bene conſideremus, duo ſequentia no-tanda videntur;

1°. Loquitur vir ſummus de *uſu*, adeoque enarrat quid factum ſit.

2°. Quaeritur, non quid factum ſit, ſed quare pacta apud primos Quirites actionem non produxerint?

Veras igitur rei cauſas non attingit, non quadrat reſponſio cum quaestione.

Ex hisce ergo facili negotio colligimus, Bynkershoekii doctrinam pro vera habendam non eſſe.

§ 5. An illud factum ſit ignorantia in iure primorum Quiritium, ac dan-dum rudi ſeculo?

Digitized by Google

Ita obtinuisse tandem contendunt Doct. VAN INGEN et VAN OVERVELDT in disfert. l. l.

Prior pag. 10 fic loquitur: „Hanc pacti vim naturalem, qua sponte ius „producit, quae a voluntate pacifcentium proficifcitur, et ab hac non nifi in„vita humana natura avelli potest, hanc, inquam, vim pacti naturalem pri„mi Quirites non agnoverunt, nec folent agnofcere populi, nifi qui ad certum „culturae pervenerunt gradum; atque ab hoc unico fonte, non aliunde, vide„tur derivandum, quod iidem illi primi Quirites, a forma magis externa obli„gandi vim repetentes, inter pacta et contractus diftinxerint, atque hos folos „voluerint, qui ius producerent; etc." et pag. 14. „Videtur probabile nec „plebeios, nec patricios, vim voluntatis humanae, ius producentem, agnovis„fe, quod rudis est aevi, quo prima fundamenta recepit Themis Ro„mana." (37)

Posterior Pofit. 12 ait „quod Romani pactis vim iuris detraxerint — rudi „tribuendum est feculo, quo prima iuris civilis iacta fuerunt fundamenta. „Nimirum inculti hominum animi, affectibus atque habendi ftudio dantes, non „folent agnoscere vim eam iuris creatricem, quam a natura habet humana vo„luntas." (38)

Haec fententia nobis omnium longe verisfima videtur, et ftatuimus eam continere veram caufam, quare pacta apud Romanos, ubi prima Iurisprudentiae Romanae iacta fuerunt fundamenta, actionem non produxerint.

Antequam autem tranfeam ad veritatem huius fententiae probandam, mihi liceat aliquid monere, quod in verbis, quibus Doctisfimi VAN INGEN et VAN OVERVELDT ufi funt, non valde placet.

Dicunt ambo, primos Quirites pacti vim naturalem non *agnovisse*, nec populos incultos eam folere *agnoscere*.

Cum viris doctisfimis facio, ftatuens caufam, quare pacta nuda apud primos Quirites actionem non produxerint, quaerendam esfe in ignorantia, ac tribuendam rudi aevo; fed an igitur dicendum est, primos Quirites non *agnovisse* etc.? nonne potius, ut verbis accurate exprimatur id, quod habemus in

(37) Conf. idem pag. 16. (38) Conf. idem Pofit. 16 et 17, addatur Doct. I. S. VAN DEVENTER in Spec. *de Fideiusfione* (Gron. 1807.) pag. 38. n°. 4. in fine.

Digitized by Google

mente, nonne, inquam, potius dicendum est, primi Quirites non *noverunt* etc.? cum *agnoscere* (*erkennen*) vi vocis praeviam praesumat cognitionem, quae defectu voluntatis nulla facta est. Si vero dicimus *non noverunt*, illud significat *zij hebben niet gekend*, (39) adeoque ponimus planam omnis notitiae absentiam; quod posterius, saltem apud Romanos, obtinuisse contendimus. Scio equidem *agnoscere* aliquando significare *kennen*, sed plerumque tamen habetur pro *erkennen*. Ut igitur omni dubio verba vacent, magis placet dicere, primi Quirites non noverunt vim voluntatis humanae, nec eam noscere populi solent rudes et inculti.

§ 6. Probatur haec sententia.

De causa diximus quae sit. Ut autem pateat eam sese recte habere, et pro vera esse habendam, duo sequentia videntur probanda:

I. Pacta nuda apud Romanos, ubi prima iacta fuerunt Iurisprudentiae fundamenta, actionem non produxerunt, nec potuerunt producere, quia non noverunt vim voluntatis humanae.

Non difficile erit visu pacta, quae dicuntur nuda, apud primos Quirites nullam nec produxisse actionem; nec potuisse producere, si modo oculos advertamus ad ea, quae eorum constituerunt Ius Naturae.

Veteres Romani, non nisi *unum* videntur habuisse Ius Naturae; nimirum aliquando quidem occurrunt loca, ubi *ius gentium naturale* dicunt *ius*, sed dictum illud alio modo tunc videtur explicandum (40).

Quid igitur est unicum illud ius naturae, de quo dixi?

Respondet Iustinianus in *Pr.* I. *de Iure nat. gent. et civ.* „Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit: nam ius istud non humani generis „proprium est, sed omnium animalium, quae in coelo, quae in terra, quae „in mari nascuntur. Hinc descendit maris atque foeminae coniunctio, quam „nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio, hinc educatio: videmus etenim cetera quoque animalia istius iuris peritia censeri.” (41)

Hoc igitur naturale ius, quod Romani, hac in re Stoicorum principia secu-

(39) Conf. SCHELLERI lexicon in vocibus *nosco* et *agnosco*. (40) Conf. Doct. F. C. W. STORCK in diss. Inaug. de Romanorum Iure naturae, gentium et civili (Gron. 1804) pag. 3. (41) Conf. ULPIANUS in L. 1. § 3. D. *de Iustitia et Iure*.

Digitized by Google

ti, habuerunt, quaerendum est in aliqua communitate, quam humanum genus habet cum ceteris animantibus, atque versari videtur circa haec tria;

1°. Circa conservationem sui. (42)

2°. Circa conservationem suorum. (43)

3°. Circa conservationem generis. (44)

Si igitur illud Romanorum ius naturae, relictis ceteris animantibus, restringatur ad unum hominem, illud tantum, nisi fallor, continet iura personalia, et naturaliter acquisitum ius parentis tuendae sobolis suae.

Excluditur ergo,

1°. Omne ius acquisitum reale.

2°. Omne ius acquisitum in personam, (excepto iure vindictae ex laesione, sive sibi, sivi soboli illata).

Sequitur ergo, pacta apud primos Quirites naturaliter nullam nec *produxisse*, nec *potuisse* producere obligationem; ab hoc enim loco plane excluduntur. Nam ius naturae, secundum philosophiam priscorum Quiritium, homo commune habet cum animalibus; et haec profecto pacta non ineunt.

Hinc etiam facili negotio colligitur, primis Quiritibus fere incognitam fuisse vim voluntatis humanae. Ens enim illud mirificum apud eos pari passu ambulat cum ceteris brutis animantibus; iuris humani sphaera apud eos non latius patet, quam sphaera arcta, humanaque excellentia plane indigna, in qua animalia versantur. (45)

Talis philosophia sine dubio rude spirat aevum; sed ne miremur, namque ita solent rudia ingenia. Etenim,

II. Vim voluntatis humanae non solent noscere rudes populi.

Uti singuli homines suam habent infantiam, ita etiam populi, et in hoc statu, vis voluntatis humanae, quae, uti omnium iurium mater est, ita etiam, uti vidimus, fundamentum constituit omnis pacti, in hoc, inquam, statu mirifica illa vis iuris creatrix rudibus hominum ingeniis plane solet esse incognita, atque inde repetendum, quod pacta apud eos haud teneant; inde repetendum,

---

(42) l. 1. § 27. D. *de vi et de vi armata.* (43) CICERO de officiis lib. I. (44) Inst. et D. l. l. Vide ad totum hunc locum STORCK l. l. pag. 10—22. (45) Conf. LOCRÉ Esprit du Code Napoleon, tom. 1 pag. 35—38. ed. in 8°.

Digitized by Google

quod, qui hodie dominus factus est, cras ſuo iure deſtituatur, quodque ergo ius proprietatis iis haud ſacrum ſit, ſed populi illi e contrario proni ſint ad furta.

Audiamus Cl. MUNTINGHE *geſchiedenis der menschheid III deel pag.* 25. „Bij al het zedelijke bederf des menschdoms, bij den zinlijken „denktrant, welke de grote menigte beheerschte, bij de onſtuimigheid der „driften, welke aan min opgeklaarde volkeren eigen is, was het zeer natuur-„lijk, dat zulke, enkel in woorden vervatte verklaringen niet genoegzaam wa-„ren om de ſchending van het een of ander gemaakte verdrag te weren: ge-„lijk toch in onze kinderen, zoo is ook in kindſche, dat is, min opgeklaarde „en min verlichte volkeren trouwloosheid aan gedane beloften en verzekeringen „eene, uit de gezegde bronnen veelal voortvloeijende hoofdfout; terwijl zij „tevens over het geheel van eigendomsregt, van verpligting om de waarheid „te ſpreken, en van de heiligheid van het eens gegeven woord of gene, of „althans zeer geringe begrippen en beſeffen hebben." (46)

„Het eigendom," inquit ISELIN l. l. tom. I. pag. 214. „Het eigendom „is bij hun (de barbaren) zoo min zeker, als het leven" et pag. 230. „De „heerlijke zaken, die men van de trouwe en waarheid der wilden verhaalt, „zijn meestal zeer ongegrond. De ſterkſte voorbeelden daarvan zijn niet gevol-„gen van een waar inzien in de ſchoonheid en waarde dezer deugden; zij „zijn, gelijk wij alrede boven aangemerkt hebben, natuurlijke werkingen van „eene door de overmagt der gewoonte heerſchende drift; eene onoverlegde „hartstogt, en andere overwegende aandoeningen, welke zonder onderſcheid „even zoowel tot onregtvaardigheid, als tot regtvaardigheid leiden.

„Het zou ook zwaar te begrijpen zijn, hoe bij zulk eene duisterheid in de zie-„len, de ware begrippen van trouw en eerlijkheid ontwikkeld zijn, of hoe zij „eenen invloed op gemoederen zouden kunnen hebben, welke alleen door „drift en invallen beheerscht worden." (47)

---

(46) Idem l. l. pag. 190. „Deze mindere kieschheid en fijnheid had intusſchen vooral plaats in „het geen tot het zedelijk gevoel betrekkelijk is; even gelijk zulks ten allen tijde bij min beſchaaf-„de volkeren plaats had, bij welke deze gevoelens altijd minder ſcherp waren, naar mate zij aan „den ſtaat der woestheid nader grensden." (47) Conferri merentur: *L'encyclopédie in voce Pro-*

Digitized by Google

Nisi metus adesset me nimis longum fore, ad partes vocarem quae habet STUART in opere *de mensch zoo als hij voorkomt op den bekenden aardbol.* Cf. I deel pag. 188, 223. II deel pag. 15, 72, 90, 186, 206. III deel pag. 30, 76, 113. VI deel pag. 63. Quae omnia loca aperte docent, ita semper obtinuisse, ac obtinere hodie apud populos rudes et incultos.

Ut ad veteres redeam, ad ipsos Graecos et Romanos, nonne apud priores nulla aut exigua fuit dominii notio? „Plutarque" inquit *L'encyclopédie* in voce *Vol.* „Plutarque dans la vie de Lycurgue rapporte, que les Lacédé„moniens ne donnoient rien ou très peu de chose a manger à leurs enfans, „qu'ils ne l'eussent dérobé dans les jardins ou lieux d'assemblée; mais quand „ils se laissoient prendre, on les fouettoit très rudement. L'idée de ces peu„ples étoit de rendre leurs enfans subtils et adroits; il ne manquoit que de les „exercer à cela par des voies plus légitimes." Nonne apud posteriores constat contractuum violationem, primis saltem temporibus, frequentem fuisse, cum NUMA POMPILIUS, secundus Romanorum rex, templum aedificaverit Bonae Fidei consacratum, ut ita religio in rudibus Romanorum ingeniis illud efficeret, quod, propter infantiam intellectus, saepius non obtinebat, ut scilicet datam fidem servare in more haberent Romani; „NUMA" ita MILLOT l. l. II deel pag. 179. „NUMA bouwde een altaar voor de Bona Fides, of goede „trouw, *om de burgers te bewegen* tot het heilig en onschendbaar houden „van hun woord en gedane beloften."

§ 7. De exceptione quam aliquando producit pactum nudum, ceterisque eius effectibus in iure civili.

In definitione *pacti nudi* diximus, illud *non* producere actionem, atque conati sumus ostendere, quae vera habenda sit huius rei causa.

Cum autem pactum nudum aliquando producat *exceptionem*, nunc breviter videndum erit unde ita receptum sit, et quando illud eveniat.

Non semper apud Romanos videtur obtinuisse quod pacta nuda producerent exceptionem; nimirum primis temporibus nullum, si bene video, effectum

---

priété. BYNKERSHOEK in diss. *de dominio maris* cap. 1. operum min. pag. 356. ubi philosophiam Turcorum tradit. H. I. DRAPER *in Spec. Inaug. de varia populorum distinctione apud veteres ad L.* 7. D. *de captivis* (Gron. 1606). § 6.

Digitized by Google

habuerunt; ſed cum populus Romanus identidem mores cultiores exceperit, ac rudem illam, de qua dixi, philoſophiam reliquerit, tandem ſurrexit aliquis Praetor, ſanioribus principiis imbutus, qui, indignatus hac in re impune falli fidem, in edicto propoſuit. „Pacta conventa, quae neque dolo malo, neque adverſus leges, plebiſcita, Senatusconſulta, edicta principum, neque „quo fraus cui eorum fiat facta erunt, ſervabo" (L. 7. § 7. D. *de Pactis*) et exceptionem dedit; „cuius edicti" uti ait ULPIANUS in L. 1. princ. D. *de pactis* „aequitas naturalis est; quid enim tam congruum fidei humanae, „quam ea, quae inter eos placuerunt, ſervare?"

Non tamen de quibusvis pactis, ſed de ſolis *liberatoriis*, id est, illis, quibus obligatio tollitur, praetorem cogitasſe, probavit ſummus NOODT, qui late de hoc praetoris edicto disputavit, in libro ſingulari *de pactis et transactionibus* Cap. 6; ſcilicet praetor regere et laxare voluit angustiam legis XII tabb., quae tantum locuta fuit de pactis, quibus agitur *ne petatur.*

Ex iis igitur, ſi ea, quae in verbis edicti requiruntur, adſint, dedit *exceptionem* (48), quae perpetua est, et concurrit cum exceptione doli, cum dolo faciat, qui pacti fidem frangat.

Unam legem 5. C. *de pactis* hic deſcribam, qua ea, quae modo dixi, illustrantur: „Creditori tuo," ita reſcribit Antoninus, „ſi partem pecuniae ſolvi„sti, de parte vero *non petenda* inter te et eum convenit, ob cauſas nego„tiaque eius tuo patrocinio fideque defenſa, ea obligatione, partim civili iu„re, partim honorario, liberatus es. Nam *exceptio perpetua pacti conventi*, „vel *doli*, reſidui repetitionem repellit, cum et ſolutum per ignorantiam re„peti posſit."

Cesſat autem ea exceptio, ſi pacto contrario aliter deinde paciscentibus placuerit, (49) aut ſi ad certum tempus pactio facta ſit, elapſo illo tempore.

De exceptione diximus, eam posſe opponi in caſu quo aliquid petatur, de quo *non petendo* in pacto nudo fuit conventum.

Praeter hunc tamen unum pacti nudi *liberatorii* effectum, pactum nudum *obligatorium* etiam ſuos in iure habet effectus inſignes; namque

---

(48) Vide § 3. Inſt. *de Exceptionibus* et L. 7. § 4. D. *de Pactis.* (49) L. 27. § 1 et 2. D. *de Pactis.*

Digitized by Google

1°. Impedit repetitionem indebiti; si quis scilicet aliquid pacto nudo mihi promiserit, non possum agere contra eum. Si vero sponte solverit, solutum tanquam indebitum non potest repetere. (50)

2°. Locum facit fideiussioni. (51)

3°. Locum facit pignori; (52) quae duo obtinere non possent, si debitum revera non adesset.

4°. Locum facit novationi. (53)

5°. Locum facit compensationi; (54) quae itidem aliter non fierent.

6°. Locum facit constituto. (55)

§ 8. Quando actio detur ex pacto nudo.

„Quinimo," inquit ULPIANUS, (L. 7. § 5. D. *de Pactis*) „interdum (nu„da pactio) format ipsam actionem." Nobis igitur nunc erit videndum, quando illud evenit. Tres autem solent enumerari casus:

1°. Si pactum *iure civili*, sive *lege* sit confirmatum; et tunc dicitur *legitimum*.

2°. Si sit confirmatum *iure praetorio;* quo casu vocatur *praetorium*.

3°. Si contractui bonae fidei in continenti sit adiectum; et tunc vocatur *adiectum*.

I. Pactum legitimum.

„Legitima conventio" (ita PAULUS in L. 6. D. *de Pactis*) „est, quae le„ge aliqua confirmatur: et ideo interdum ex pacto *actio nascitur*, vel *tolli*„*tur*, quotiens lege vel Senatusconsulto adiuvatur."

Hinc a nonnullis pactum legitimum duplex statuitur, *obligatorium* scilicet, et *liberatorium;* quae tamen divisio non tantum pertinet ad pacta *legitima*, sed omnium pactorum communis dicatur.

Ad *obligatorium*, exemplorum gratia, solent referre:

---

(50) L. 13, 19, 26. § 12. L. 38. D. *de condictione Indebiti*, L. 10. D. *de O. et A.* (51) L. 7. D. *de Fideiussoribus.* (52) L. 1 pr. D. *de Pigneratitia actione.* (53) L. 1. § 1. D. *de Novationibus.* (54) L. 6. D. *de Compensationibus.* (55) L. 1. § 7. D. *de Pecunia const.* V. ad totam hanc § NOODT in *Tractatu laud.* et POTHIER ad D. I. pag. 74. § 3.

Digitized by Google

1°. Pactum donationis in praesens conceptum. (56)

2°. Pactum dotis. (57)

3°. Pactum usurarum civitati solvendarum. (58)

4°. Pactum quo argentariis usurae promissae sunt. (59)

5°. Pactum usurarum oleo, frumento, mutuo datis debitarum. (60)

6°. Pactum quo promissum est foenus nauticum. (61)

Ad *liberatorium* v. g. referuntur:

1°. Pactum iniuriarum. (62)

2°. Pactum furti. (63)

3°. Pactum quo remittitur hypotheca solo consensu constituta. (64)

Ex his igitur datur actio, quae dicitur *condictio ex lege*, de qua agitur in Dig. Lib. XIII. tit. 2 et in Cod. Lib. IV. tit. 9.

II. Pactum praetorium.

Ad hoc referuntur:

1°. Pactum constituti. (65)

2°. Pactum hypothecae. (66)

Ex quibus nascuntur *actiones praetoriae*.

III. Pactum adiectum.

Ad hoc requiritur:

1°. Ut sit adiectum contractui bonae fidei. (67)

2°. Ut sit adiectum in continenti. (68)

3°. Ut naturae contractus non sit contrarium. (69)

4°. Ut non sit contrarium honestati. (70)

De hoc loco inter eruditos vehementer fuit disputatum.

---

(56) L. 35. § ult. C. *de Donationibus*. (57) L. penult. C. *de dotis promissione*. (58) L. 30. D. *de usuris*. (59) Nov. 136. cap. 4. (60) L. 12. L. 23. C. *de usuris*. (61) L. 5. § 1. D. *de nautico foenore*. (62) L. 17. § 6. D. *de iniuriis*. (63) L. 17. § 1. D. *de pactis*. (64) L. 9. § 3. D. *de pignoratitia actione*. (65) L. 1. D. *de pecunia constituta*. (66) L. 17. § 2. D. *de pactis*. (67) L. 7. § 5, 6. D. *de Pactis*. (68) L. 7. § 5. initio D. *eodem*. (69) L. 14. D. *Pro socio*. (70) L. 15. D. *de conditionibus Institutionum*.

Hi igitur, cum partem faciant eorum contractuum quibus insunt, eandem pariunt actionem, quae ex ipsis oritur contractibus.

Digitized by Google

Cum autem in hac §. generalia quaedam tantum proponere animus erat, de hisce disputationibus agere nec audemus, nec necessarium putamus.

Atque sic absolvimus ea, quae de *pactis Romanorum nudis* dicenda nobis videbantur. Pauca haec iuveni sufficiant! Transeamus nunc ad contractus.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Contractibus Romanorum.

§ 1. De variis quae proponi solent contractuum divisionibus generaliter.

A magno pactorum *genere* decerpti fuerunt contractus, qui generaliter dici possunt pacta, certa forma inita, qua demum ius producant ex lege.

Variae autem ab eruditis fuerunt propositae contractuum divisiones, quarum praecipuas breviter proponam.

I. Alii sunt *veri*, alii *quasi* contractus.

Verus (de quo hoc loco proprie agimus) est duplex:

1°. Nominatus.

2°. Innominatus. De his mox erit dicendum.

Quasi contractus est factum unius, non iniustum, quo, qui fecit, se alteri reddit obligatum, ac si inter ipsos contractus esset celebratus.

Ad eum quinque referuntur species:

1°. Negotiorum gestio.

2°. Indebiti solutio.

3°. Tutelae administratio.

4°. Communio rerum absque consensu inita.

5°. Hereditatis aditio. (71)

II. Alii sunt *iuris Gentium*, qui scilicet apud omnes populos sunt recepti, nec primam simplicitatem amiserunt; alii iuris *civilis*, qui formam acceperunt ex iure civili.

Prioris generis exemplum est in emtione venditione; posterioris in stipulatione. (72)

(71) Conf. Inst. Lib. III. Tit. 28. (72) § 3. I. *de Iure Nat. G. et Civ.* L. 17. § 1. D. *de poenis* iuncta L. 14. § 1. D. *de novationibus.*

Digitized by Google

III. Alii sunt *unilaterales*, in quibus una tantum pars aliquid debet praestare, v. c. in mutuo; alii sunt *bilaterales*, in quibus utraque pars ad praestandum tenetur, v. c. in locatione conductione. (73)

In posteriore obligatio est vel *aeque principalis*, vel *minus principalis*. Sed in his excurrere nobis non licet.

IV. Alii sunt *bonae fidei*, in quibus obligatio simul ex bono et aequo definitur; alii *stricti iuris*, in quibus videndum est quid praecise inter contrahentes statutum sit. (74)

Pedem nunc retrotrahamus, ut appareat

§ 2. Quid sit contractus nominatus, quid sit contractus innominatus.

Supra Capite II. § 2 diximus, eam contractus definitionem, qua dicitur fuisse pactum, quod secundum formam, iure civili probatum, erat initum, suumque in foro nomen acceperat, aut deinde expresse inter contractus receptum est, nobis inprimis placere, et ideo diximus, quia ex ea sponte patet illud, de quo hic nobis agendum est, quid scilicet sit contractus nominatus, quid contractus innominatus.

Est enim *contractus nominatus*, qui iam ab initio receptus, certam iam *olim* habebat in foro determinationem, huic determinationi addictum nomen, eique convenientem actionis formulam.

Contractus vero *innominatus* est, qui *deinde* inter contractus receptus est.

§ 3. De contractibus nominatis.

Uti omnes populi, primis temporibus, quando ingenia adhuc parum exculta, quando mores admodum simplices esse solent, nec aliter esse possunt; uti paucis tantum indigent ad vitam sustinendam, ita et negotiorum quae agebantur numerum non nisi exiguum apud primos Quirites fuisse quis dubitat?

Illa tamen negotia, utut pauca, per leges civiles identidem videbantur regenda, ut civium scilicet iura certiora redderentur. Quid igitur Romani? Per multas, uti solent populi rudes, quorum ratio adhuc in extrema perfectionis humanae versatur infantia, qui itaque formis rerum externis adhae-

(73) Princ. I. *de auctoritate Tut.* § 3. I. *de Oblig. ex consensu.* (74) L. 57. D. *de O. et A*, L. 13. C. *de Pactis.*

Digitized by Google

rent, et solemnitatibus sunt addicti, per multas, inquam, ambages Romani finem illum (si ita dicere liceat) attigerunt, per longissimam viam, a rei simplicitate naturali multum recedentem, ad scopum quem sibi proposuerant ambulaverunt, introducendo scil. formulariam, quae dicitur, Iurisprudentiam; sive, ut paulo accuratius loquamur, singulis iis negotiis, quorum usus maxime erat frequens et fere quotidianus, suam *determinationem*, suum *nomen*, atque his convenientes actionis *formulas* dederunt, atque sic uno nomine dicebantur *Contractus*.

Diximus singula illa negotia, sive singulos contractus, suam accepisse *determinationem*, i. e. intra certos definitosque limites negotium illud includebatur, cuiusque natura definiebatur, quae, cum uni exclusive esset propria, ad alterum pertinere non poterat.

Porro accepit *nomen* huic determinationi addictum, i. e. non tantum dicebatur *Contractus*, sed etiam certam aliquam habere incepit denominationem, notam aliquam characteristicam, qua scilicet a caeteris omnibus conventionibus et contractibus distingueretur. (75)

Tandem singulis, uti diximus, negotiis, certam convenientem actionis dederunt *formulam*. Nimirum Romani in more habebant, ut negotium vim obligandi in iure Civili acciperet, ut ex eo cum effectu posset agi, certam aliquam praescribere actionis formulam, sive certam verborum conceptionem, quae omnino, quae rigide erat observanda. Iam vero ideo diximus unumquemque contractum praeter determinationem ac nomen, accepisse hisce convenientem actionis formulam, quia formula actionis, quae ex aliquo contractu dabatur, accurate cum eius determinatione ac nomine conveniebat; ita ut statim, ut *a priori* iam manifestum esset, qua verborum conceptione, qua actionis formula actor deberet uti.

Sic, ut omnia, quae hactenus observavi, uno illustrem exemplo, sic saepe eveniebat, ut unus aliquid rogando sibi acquireret, alter respondendo illud promitteret.

Cum igitur Romani istud negotium inter contractus reciperent, cum eam conventionem a magno pactorum genere decerperent, eius naturam ac requi-

(75) Cf. L. 1. § 4. et L. 7. § 1. D. *de Pactis*.

Digitized by Google

ſta definiverunt; perficitur enim praecedente interrogatione; et ſubſecuta reſponſione; requiruntur verba ore prolata, reſponſio congrua, ſtatimque ſecuta. etc.

Contractus ergo ille ſuam accepit *determinationem;* ſed praeterea ſuum etiam accepit *nomen;* dicitur enim *ſtipulatio*, et ſic ab omni alio contractu diſtinguitur. Naſcitur tandem ex eo actio ei conveniens, quae dicitur *actio ex ſtipulatu*, de cuius formula ac natura ab initio conſtat. (76)

Romanorum ergo ius pactitium, ut in viam redeamus, primis temporibus valde fuisſe limitatum, quisvis ſine dubio videbit.

Hisce etiam angustiis, quas ipſi Romani identidem perſpiciebant, aliquo modo ſuccurrere conabantur, recipiendo ſcilicet nonnullos contractus *iuris gentium*, qui aut aequo iure cenſebantur ac contractus *iuris civilis*, aut in eorum locum ſubintrabant, uti exemplum est in emtione venditione, contractu iuris gentium, qui mancipationi, contractui iuris civilis, adiectus est, imo tandem eius locum plane ſuſtinuisſe videtur, cum posterior ille Iustiniani aetate per legem ab uſu fuerit remotus. (77) Illi autem contractus iuris gentium ſeparatam ſpeciem non conſtituerunt, (reſpectu ſcilicet ad diviſionem contractuum iuris civilis, ſive in *nominatos* ac *innominatos*, de qua hic agimus) ita ut Romani per multa ſecula non niſi *unum* videantur habuisſe contractuum genus. Receptis vero tandem in foro *contractibus innominatis*, (de quibus infra erit agendum) prius, antiquum illud genus, diſtinctionis ergo, nomen recepit *contractuum nominatorum.* Denominatio itaque illa ſerioris aevi videtur esſe commentum.

§ 4. De ſubdiviſione contractuum *nominatorum.*

Contractus nominati a cauſa, quae dicitur, *formali* dividuntur in 4 genera. Sunt enim,

I. *Reales*, qui ineuntur de re, ad *uſum* vel *custodiam* tradita, reſtituenda.

---

(76) Licet enim aliquando haec actio a nonnullis vocetur *condictio certi*, aliquando *condictio ex ſtipulatu*, prout certi vel incerti agatur, illae tamen denominationes, niſi fallor, habendae ſunt pro adiectionibus, differentiae cauſa additis, cum ſemper agatur *ex ſtipulatu.* (77) Vide L. *unicam* C. *de nudo Quiritium iure tollendo.*

Digitized by Google

Ad *usum* referuntur,

1°. Mutuum.

2°. Commodatum.

Ad *custodiam* referuntur,

1°. Depositum.

2°. Pignus.

II. *Verbales*, qui perficiuntur verbis, (olim solennibus) ore prolatis, inter praesentes. Ad hoc genus referuntur *stipulationes*.

III. *Litterales*, qui iure novo perficiuntur litteris, sive chirographo, ex quo, intra biennium non retractato, nascitur obligatio.

IV. *Consensuales*, ad quos nihil requiritur praeter solum consensum.

Ad hoc genus referuntur:

1°. Emtio Venditio.

2°. Locatio Conductio.

3°. Emphyteusis.

4°. Societas.

5° Mandatum. (78)

His de contractibus *nominatis*; videamus nunc de *innominatis*.

§ 5. De tempore quo *contractus innominati* vim iuris acceperunt.

Romanorum ius pactitium arctissimis olim limitibus fuisse inclusum iam vidimus § 3. atque ita per multa secula mansit. Regnante autem Imperatore Traiano, qui ad imperium pervenit anno post C. N. 99, mortuus est anno 117, adeoque praesertim in principio seculi aerae Christianae secundi, Romae floruit magni nominis Ictus TITUS ARISTO, in cuius laudem PLINIUS II, eius amicus, epistolam scripsit, quae omnino lectu est dignissima; (79) ubi inter alia dicit: „Nihil est illo gravius, sanctius, doctius. Quam „peritus ille privati iuris et publici! Quantum rerum, quantum exem„plorum, quantum antiquitatis tenet! Iam quanta sermonibus eius fides, „quanta auctoritas, quam pressa ac decora cunctatio! quid est quod non

(78) Cf. ad hunc locum *Institutionum Lib. III. inde a Tit.* 14 *ad Tit.* 28, *et Digesta* passim.

(79) Vide PLIN. Lib. I. Epist. 22. Cf. idem Lib. VIII. Epist. 14.

Digitized by Google

„ statim sciat? et tamen plerumque haesitat: dubitat diversitate rationum, quas „acri magnoque iudicio ab origine causisque primis repetit, discernit, expendit. „Ad haec, quam parcus in victu, quam modicus in cultu! Ornat haec „magnitudo animi, quae nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert; „recteque facti non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petit: non „quidem Gymnasia sectatur aut porticus, nec disputationibus longis aliorum „otium suumque delectat; sed in toga negotiisque versatur, multos advoca- „tione, plures consilio iuvat." (80)

Iam vero huic viro summo tribuendam esse introductionem contractuum innominatorum testis est ULP. in L. 7. § 2. D. *de pactis*. „Sed et si in „alium contractum res non transeat, subsit tamen causa, eleganter *Aristo* Celso „respondit, esse obligationem: ut puta, dedi tibi rem ut mihi aliam dares, „dedi ut aliquid facias, hoc συνάλλαγμα, i. e. contractum esse, et hinc nasci „civilem obligationem." etc. De his autem contractibus innominatis nunc paulo latius erit agendum.

§ 6. De contractibus innominatis.

Tempora mutantur et nos mutamur in illis, proverbium est omnibus notum, experientiaque omnium temporum fuit confirmatum. Ita etiam apud Romanos obtinuit. Primis scilicet temporibus, uti hoc naturaliter fieri solet, pauca inter cives agebantur negotia, paulatim vero numerus crescere incepit, nec tamen, cum „natura rerum" uti ULP. ait in L. 4. D. *Praescr. Verb.* „conditum sit, ut plura sint negotia quam vocabula" haec omnia speciale nomen poterant accipere. Primis temporibus ingenia erant rudia ac inculta; identidem tamen cultiora esse incipiebant, identidem ea perspiciebant Romani, quae propter rationis infantiam olim non nisi summa tenebritate erant obducta. Praestantissimus itaque ille Ictus TITUS ARISTO, de quo praeced. § diximus, cum et rerum necessitate commoveretur, et ea, quae *naturaliter* iusta sunt per ingenii, quo gaudebat, lumen videret, ut et huic penu-

---

(80) De ARISTONE conferri merentur POTHIER ad Pandectas Tom. I. pag. 25. BACHIUS in Historia Iurispr. Rom. pag. 399.

riae succurreret, et naturalem iustitiam aliquo modo tueretur, in foro introduxit contractus, qui postea, ut distinguerentur ab aliis, quos Romani *iam olim* habebant, a Ictis dicti sunt *innominati*. Nostrum ergo omnino erit,

1°. Paulo accuratius quam supra, in fine § 8 huius capitis, fecimus definire quid sit contractus innominatus.

2°. Eam definitionem pro viribus nostris illustrare.

Contractus innominatus est omne pactum permutatorium, hactenus nudum, ab una parte impletum, quod, etsi speciali nomine careat, tamen propter *causam* obligationem producit civilem.

Supra Capite I. § 6. diximus omne pactum esse vel *permutationem*, vel *donationem*, omnique pacto permutatorio duplex inesse pactum, quorum unum est conditio *sine qua non* alterius. Iam vero cum pacta, quae dicuntur *nuda*, quae in alium contractum non transierant, quae in iure civili non erant recepta, olim non producerent obligationem, tempore ARISTONIS receptum fuit, ut tale pactum, (si scil. esset *permutatorium*, non autem *donatorium*) etsi, quando (81) nihil esset factum, *nudum* maneret, tamen, si ab una parte esset impletum, ilico vim iuris productivam reciperet; „si enim," uti „dicitur in L. 7. § 2. D. *de pactis* „subsit *causa*, obligatio adest." Per *causam* igitur, de qua ipsa lex loquitur, et de qua in definitione modo tradita diximus, nihil aliud videtur intelligendum, nisi *praestatio ab una parte facta, quam lex pro fundamento obligationis accipit*. Ex nostra porro definitione, et ex iis quae modo observavimus, sponte patet ab hoc loco exuli,

1°. Omnem conventionem, quae tanquam contractus iam erat recepta; ea enim speciale habebat nomen, pactumque nudum esse desierat.

2°. Omne pactum nudum *donatorium*; in hoc enim causa adesse non potest, huic non inest duplex pactum, adeoque non potest dici ab una parte impletum.

3°. Omne pactum nudum *permutatorium*, in quo nihil *adhuc* factum est; cum enim nemo aliquid fecerit, a nulla parte praestatio locum habuit.

---

(81) Vide L. 7. § 4. D. *de pactis*.

Digitized by Google

Omnia igitur *pacta permutatoria nuda*, praeſtatione ab uno parte transeunt in *contractum innominatum*. Cum autem contractus innominati ad 4 ſolent referri genera, ſcilicet do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias, (82) de his generibus, ſive formulis, antequam progrediamur, aliquid videtur monendum.

Nimirum non ita ea ſunt conſideranda, ac ſi omnes, qui posſunt occurrere, caſus, in quibus contractui innominato datur locus, praecise ad unum alterumve eorum necesſario deberent posſe referri, cum profecto quis aliquid potest dare ut alter aliquid det et faciat, vel facere ut alter quid det et faciat, vel dare et facere ut alter det, vel dare et facere ut alter faciat, vel dare et facere ut alter det et faciat. etc. Potius ergo illae 4 formulae conſiderentur tanquam exempla, quae a Ictis ex vitae quotidianae uſu depromta ſunt, cum pleraque quae accidebant negotia ad unam alteramve earum potuerint referri.

Quaeri tandem potest, quem effectum ea obligatio civilis, quam *cauſa* producit, in iure habeat? Reſpondemus, ei qui praeſtitit quod praeſtare debuit, cuius ergo reſpectu pactum nudum contractui innominato fecit locum, eum alterum ſibi obligaverit,

1°. Si aliquid *dederit* (83) poenitentiae viam patere, i. e. ei licere a contractu recedere; reſpectu enim ad eum qui *non* praeſtitit, manſit pactum *nudum*, cum alter ei non ſit obligatus, adeoque is qui obligationi ſuae naturali ſponte ſatisfecit, potest, ſi vult, reſilire, cumque *cauſa* obligationis civilis adſit, datum potest repetere *condictione cauſa data, cauſa non ſecuta.* (84)

2°. Eum, ſive aliquid dederit, ſive fecerit, posſe inſtituere actionem, quae dicitur, praeſcriptis verbis contra adverſarium, qui ſuum pactum non implevit.

---

(82) Vid. L. 5. pr. D. *Praeſcr. Verb.* (83) Poenitentiae caſum tantum obtinere posſe ſi quis aliquid *dederit*, non ſi aliquid *fecerit*, facile intelligitur; facta enim infecta reddere nemo potest, adeoque per ſe patet poenitentiae tunc non esſe locum. (84) Vide L. 3. §. 2. L. 5. D. *de condictione cauſa data, cauſa non ſecuta.*

Digitized by Google

Videamus igitur nunc de illa actione, cuius memini ſub n°. 2, quaeque naſcitur ex contractu innominato. Facile est intellectu, cum numeroſa merito dicatur contractuum innominatorum cohors, (vidimus enim omnia pacta nuda permutatoria in eos poſse tranſire,) facile, inquam, est intellectu, ex hisce omnibus cuique negotio propriam ac excluſive convenientem actionem dari non potuiſse.

Uti ergo omnia illa diverſiſſima negotia, uti innumerabiles, qui existere poſſunt, caſus ad unum idemque genus referuntur, quod contractuum innominatorum venit nomine, ita omnes in foro petitiones, ſive omnes, quae ex contractibus innominatis naſcuntur, actiones ſub uno eodemque genere continentur, idque vocatur *actio praeſcriptis verbis.*

Ut cauſa tamen huius denominationis appareat, in memoriam, precor, revocetur quod ſupra obſervavi; Romanos ſcil. in more habuiſse certam actionis formulam in quovis negotio praeſcribere. Cum vero omnes, quae ex variis contractibus innominatis oriuntur, actiones a priori definiri non poſſent, cum ſingula negotia certum actionis nomen haud poſſent recipere, neceſſe erat ut in quovis caſu cives adirent Ictos, qui pro re nata, ſive ad rem gestam, formulam, qua uterentur, praeſcriberent; atque inde variae illae actiones uno nomine dictae ſunt *praeſcriptis verbis.* (85)

Alia tamen praeterea accepit nomina; vocatur enim,

1°. *Actio incerta*, quia ſcilicet certum ac proprium nomen, certamque ac propriam formulam non habet, quoniam oritur e contractibus incertis.

2°. *Actio in factum*, quam denominationem, (licet illa multo latius pateat, et aliquando totum aliud quid ſignificet, uti patet ex inſcriptione Tituli 5. Libri XIX. D. *de praeſcriptis verbis, et in factum actionibus*) ideo videtur accepiſse „quia per narrationem rei gestae ſecundum aequitatem facti concluſio in huius actionis libello inſtituitur." (86)

3°. *Actio Utilis*, (87) quia deſcendit ex contractu innominato, ſive incerto, et

(85) Cf. BRISSON: de Formulis Lib. 54. POTHIER ad D. ad Tit. 5. Libri XIX. in nota *a.* Vide etiam L. 6. C. *de Transact.* (86) Vid. L. 6. C. *de rerum permut. et praeſcriptis verbis.* (87) Vide L. 13. § 1. et L. 22. D. *de praeſcriptis verbis et in factum actionibus.*

Digitized by Google

propter utilitatem et ſimilitudinem actionum, quae ex contractibus nominatis oriebantur, introducta est.

4°. *Actio civilis*, quia iure civili, non iure praetorio, est introducta.

5°. *Actio incerti ad interesſe*, quia ea petitur id quod interest.

Uno denique exemplo ea omnia, quae in hac § de contractibus innominatis disputavi, illustrare mihi liceat. Maevius pacto nudo cum Sempronio convenit, ut 10 ille praeſtet, hic autem Stichum manumittat. Si res in hac nuda conventione ſubſiſtat, nulla inde oritur obligatio. Simul ac vero Maevius 10 Sempronio praeſtiterit, aut Sempronius Stichum manumiſerit, pactum nudum tranſit in contractum innominatum, et pertinet priore caſu ad genus *do ut facias*, posteriore ad genus *facio ut des*. Fingamus Maevium 10 Sempronio dediſſe. Is igitur duplici modo ius ſuum poteſt perſequi; namque vel

I°. Ei licet poenitere, adeoque 10, quos dedit, a Sempronio potest repetere, inſtituta actione, quae dicitur condictio cauſa data cauſa non ſecuta; vel

II°. Contra Sempronium potest agere actione praeſcriptis verbis. (88)

In hoc ergo caſu adit Ictum, qui hanc ſimilemve formulam praeſcribet „aio „te Stichum, de cuius manumisſione inter nos convenit, debere manumittere, „ob 10 quos tibi dedi." Condemnabitur itaque Sempronius, ſi non manumittat, quanti intererit Maevii illud de quo conventum est. (89)

§ 7. Disputatur de una alteraque obiectione, quae in medium poſſet ferri.

Cum autem aliquot dubia, non ſine veritatis ſpecie, contra doctrinam contractuum innominatorum, in praecedente § propoſitam, moveri posſent, de his etiam nobis in hoc loco tractandum erit.

I. Cum contractus *innominati* ſerioris ſint aevi, quam *nominati*, et ſpeciale non habeant nomen, hic quaeri ſolet, quo modo fieri potuerit, ut *permutatio*, quae et longe antiquior est *emtione venditione*, et nomine ſpeciali gaudet, tamen in iure Romano facta fuerit contractus innominatus?

Ut quaestionem illam, quae certe non levis est dicenda, pro viribus nostris ſolvamus, res paulo altius repetenda videtur.

---

(88) Vide L. 7. D. *de praeſcriptis verbis et in factum actionibus.* (89) Vid. L 5. § 1. D. eodem.

Digitized by Google

Commercia omnium populorum initium ſumſiſſe a permutationibus testis est et rei natura, et historia omnium temporum. Scilicet primis temporibus omnes gentes merito pauperes dicuntur, cum, uti ſaepius obſervavimus, non niſi iis gaudeant rebus, quae ad vitae ſuſtentationum abſolute ſunt necesſariae. Paulatim vero in civitate aliqua abundantia oritur creſcitque, atque ſic naturaliter evenit, ut unus aliquid habeat quod alter deſideret, cum illud ſibi aut necesſarium, aut utile putet. Evenit quoque ut posterior ille alicuius rei ſit dominus, quam prior posſidere cupiat. Quid igitur faciunt duo illi homines, ut quisque ſuum attingat propoſitum? unus ſuum dominium reſpectu ad illam rem, quam alter deſiderat, in eum transfert, ea conditione, ut hic idem faciat; brevius, inſtituunt permutationem. Auctis vero deinde rebus, auctisque hominum deſideriis, necesſario obtinuit, ut propoſitum illud, de quo modo diximus, non potuerint attingere homines inſtitutis permutationibus, cum ſaepe eveniret, ut unus non illud haberet, quod alter deſideraret. Invenerunt itaque homines certam aliquam rem, quae pretium omnium omnino rerum in commerciis referret, quaeque dicitur *pecunia.* Cultiores populi, commoditatis gratia, pro ista re certa, pro ſua pecunia, elegerunt metalla; quibus certam dederunt formam, et ut maior iis haberetur fides, haecce metalla muniverunt publica auctoritate.

De pecunia egregie potest disputari; ſed in his et talibus, quamvis ſint elegantisſima, cum a nobis non fuerint quaeſita, excurrere non licet. (90)

Redeamus ergo in viam, et quidem ad ipſos Romanos, apud quos illud idem obtinuisſe non tantum patet ex rei natura, ſed etiam ex PAULI loco in L. 1. D. *de contrah. emt.* ubi ſic legitur: „origo emendi vendendique a „permutationibus coepit; olim enim non ita erat nummus: neque aliud „merx, aliud pretium vocabatur: ſed unusquisque, ſecundum necesſitatem „tem temporum ac rerum, utilibus inutilia permutabat, quando plerumque „evenit, ut quod alteri ſuperest alteri deſit. Sed quia non ſemper, nec fa-

---

(90) Cf. interim ISELIN Dromen van eenen Menſchenvriend Tom. 1. pag. 110. MONTESQUIEU Esprit des Lois Lib. 22. C. 2; alii.

Digitized by Google

„eis concurrebat, ut, cum tu haberes quod ego desiderarem, invicem habe-„rem quod tu accipere velles, electa materia est, cuius publica ac perpetua „aestimatio difficultatibus permutationum, aequalitate quantitatis subveniret; „eaque materia, forma publica percussa, usum dominiumque non tam ex sub-„stantia praebet, quam ex quantitate: nec ultra *merx* utrumque, sed alte-„rum pretium vocatur."

Introducta igitur semel in civitate Romana pecunia, usus voluit, ut permutatio, qua rei dominium ab uno transfertur in alterum, ea conditione, ut is invicem alius rei dominium in transferentem conferat, (91) fieret vox generis, quae duas sub se contineret species; nempe

1°. Permutationem in specie, qua utrimque rei, non vero pecuniae, proprietas inducitur;

2°. Emtionem venditionem, qua ab una parte rei, non pecuniae, ab altera parte pecuniae, non alius rei, proprietas inducitur.

Ex dictis iam nunc sponte patet, permutationem, licet *in genere* longe antiquior sit emtione venditione, eam tamen *in specie*, quod ad aetatem, haud antecellere. Imo putamus permutationem *in specie*, (de qua hic proprie tantum dicendum est) in iure Romano recentiorem esse emtione venditione. Nimirum probabile videtur, ut emtio venditio, semel a permutatione, sensu *generis*, decerpta, adeo frequens sit facta, ut alteram speciem, sive permutationem *in specie*, plane absorbuerit, (92) totumque veluti novum genus constituerit, a quo, non nisi post aliquot secula, permutatio *in specie* iterum decerpta est. Illud ex eo videtur patere, quod Sabinus et Cassius, qui floruerunt Tiberii tempore, (93) putaverint, emtionem venditionem tunc adesse „si „ego togam dedi, ut tunicam acciperem." (94)

---

(91) Illa permutationis *in genere* definitio, si ad illud quod revera est respiciamus, certe nimis arcta foret, cum permutatio non tantum circa ius reale proprietatis, verum etiam usus, imo et circa ius personae atque in personam versetur. Sed notandum videtur hic tantum dici de permutatione circa *ius reale proprietatis* versante, quae sola, tamquam *genus*, sequentem patitur subdivisionem. Caeterum vide dicta ad § 6. Capitis I. (92) Cf. HUBERUS in Eunomia Romana pag. mihi 716. n°. 2. in fine. (93) Vid. L. 2. § 47. D. *de O. I.* (94) Vid. L. 1. § 1. D. *de contrahenda emtione* L. 1. pr. D. *de rerum permut.* et § 2. I. *de emt. vend.*

Digitized by Google

Inprimis vero illud, nisi fallor, ex eo constat, quod permutatio, uti emtio venditio, non *iam olim* actionem produxerit, cum Romani, uti supra diximus, ea negotia tanquam contractus receperint, quae se commendaverint propter usum frequentem. De aetate, qua permutatio *in specie* in foro Romano sit introducta, quantum scio, non accurate constat; certum tamen videtur, illud non evenisse ante *Aristonis* tempora, cum facta sit contractus *innominatus*. Si autem nunc quaeritur, quae causa sit, quod Romani ita fecerint, cum permutatio nomen habeat speciale, praeeunte iam saepius laudato VAN INGEN (95) mihi videtur doctam Ictos decere profiteri ignorantiam, ita ut nulla supersit responsio, nisi haec una, Romani permutationem contractum fecerunt innominatum, non nominatum, quia ita placuit. Quamvis enim fatear haec et talia nodum potius secare quam solvere, non aliam video superstitem viam, cum quidem aliquid hic praesumi possit, non tamen pro certo haberi. Sunt autem quam plurimi qui causam huius rei enarrent, inter alios HUBER. *in Eunomia Romana pag.* mihi 716. *n°.* 2. ubi sic loquitur: „Quid sibi vult quod permutatio nomen est certi contractus, et tamen contractus est innominatus? „Quia naturam habet eandem cum innominatis contractibus. Non incipit, neque substantiam habet nisi a datione; poenitentiam recipit, donec alter a sua „parte contractum impleverit; condictionem causa data non secuta, aliaque „secundum hanc L. 1. denique et actionem praescriptis verbis parit, *L.* 5. § 1. „*D. praescript. verbis;* quae omnia contractibus innominatis esse propria constat." Cui addi possunt FABER et WISSENBACH, qui aliam tuentur sententiam, statuentes: „permutationis contractum non habere nomen certum, eo quod permutationis nomen generale sit, et conveniens omni negotio quod in commercium cadit;" quos tamen refellit idem HUBER. *l. l. pag.* 715. *n°.* 1. *et in Praelect. ad Tit. I. de emt. vend. n°.* 8. Quantum doctorum virorum suspiciones illae valeant, iuvenem indoctum non decet diiudicare. Mihi tamen liceat quaerere, an non semper remaneat aliqua obscuritas, quare Romani permutationem fecerint contractum innominatum, si animum advertamus ad emphyteusin, cum ea, licet tempore Zenonis denuo tamquam separatus contractus recepta sit, fuerit facta contractus *nominatus?*

(95) Vide cum l. l. pag. 41. et ad totum hunc locum, inde a pag. 34. sequentibus.

Digitized by Google

II. Secundo loco obiici potest, contractum aeſtimatorium itidem nomen habere ſpeciale, et tamen esſe contractum innominatum.

Quamvis viri docti etiam huius rei aliquam cauſam tradere fuerint conati; eamque obiectionem voluerint ſolvere, propter eandem tamen rationem, idem hic obtinuisſe, quod de permutatione modo diximus, nobis liceat praeſumere. Nimirum uti permutatio diu ſub emtione venditione latuit, ita et contractus aeſtimatorius, quo res aeſtimata alicui vendenda dabatur, ea conditione, ut accipiens aut rem ipſam, aut aeſtimationem conventam reſtitueret, multam habebat affinitatem cum emtione venditione, cumque locatione conductione, et ſub iis continebatur. Tandem vero ſeparatum conſtituit contractum, isque a Romanis, *quia ita melius viſum est*, *quia placuit*, ad innominatos fuit relatus. Rem enarrat ULP. in L 1. pr. D. *de aeſtimatoria*: „actio de aeſtimato proponitur tollendae dubitationis gratia. Fuit enim magis dubitatum, cum res aeſtimata vendenda datur, utrum ex vendito ſit actio propter aeſtimationem, an ex locato, quaſi rem vendendam locasſe videar, an ex conducto, quaſi operas conduxisſem, an mandati? *Melius* itaque *viſum est* hanc actionem proponi."

III. Doctrinae contractuum innominatorum, ſupra propoſitae, tandem a nonnullis oppoſitum fuit, formulas, ad quas hi referuntur, innominatis non esſe proprias, cum omnes etiam contractus nominati ad eas posſent referri.

Hic utar verbis HEINECCII *in Recit. pag.* 427. qui ad hanc obiectionem ita reſpondet: „Inter nominatos et innominatos etiam hoc discrimen est, quod in illis intercedit pecunia numerata; in his aut aliae res praeter pecuniam, aut, ſi pecunia datur, illa per conventionem non est definita, vel ſaltem non est merces, ſed honorarium. Hinc ſi dicam; e. g. do tibi pecuniam ut des librum mihi, est emtio venditio; ſin ita conveniamus, do tibi librum hunc ut alium mihi reddas, erit contractus innominatus, do ut des."

§ 8. De differentiis contractus nominatos inter et innominatos.

Antequam huic capiti finem imponamus, non prorſus ſupervacuum videtur paucis ostendere differentias contractuum nominatorum et innominatorum.

Sequentes ergo inter utrosque videntur notandae;

1°. Contractus nominati *iam olim* erant recepti; contractus innominati *ſero admodum* in foro ſunt introducti.

2°. Contractus nominati ſuam habebant determinationem, huic determinationi

Digitized by Google

addictum nomen, hisque convenientem actionis formulam; contractus innominati carebant nomine speciali, (saltem initio) sed producebant obligationem propter causam, exque iis omnibus dabatur una generalis actio, quae dicitur praescriptis verbis.

3°. In contractibus nominatis, simulac perfecti sint, nemini poenitere licet, sed ab utraque parte nascitur obligatio civilis; (96) in contractibus innominatis non item; datur enim locus poenitentiae ei qui dedit, et potest eligere, an velit datum repetere actione causa data causa non secuta, num vero instituere actionem praescriptis verbis.

4°. In contractibus nominatis intercedit pecunia numerata; in contractibus innominatis aut alia res datur praeter pecuniam numeratam, aut si datur, per conventionem non est definita, vel saltem non est merces, sed honorarium. (97)

---

(96) Vide L. 5. C. *de O. et A.* (97) Vide HEINECCIUM l. l.

Digitized by Google

CAPUT V.

Ex observatis de Romanorum pactis et contractibus pauca repetuntur, deque incremento agitur, quod accepit iurisprudentia Romana, receptis in foro contractibus innominatis.

Hic breviter adhuc nobis agere liceat;

1°. De statu iurisprudentiae Romanae, quod ad contractus, ante tempora *Aristonis*.

2°. De differentiis inter pacta nuda et contractus innominatos.

3°. De statu iurisprudentiae Romanae, quod ad contractus, post tempora *Aristonis*.

4°. De ipso incremento iurisprudentiae Romanae, receptis in foro contractibus innominatis.

Eo brevius in hoc loco nos esse posse putavimus, cum de iis fere omnibus, quae hic occurrunt, supra pro viribus latius disputavimus, quae tamen hic paucis repetere ac veluti contrahere, non omni, nisi fallor, destitutum erit utilitate, quia sic scilicet melius constabit de incremento, cuius modo memini.

§ 1. De statu iurisprudentiae Romanae, quod ad contractus, ante tempora *Aristonis*.

Primis temporibus Romani non nisi *unum* habuerunt contractuum genus, idque valde limitatum. Etenim apud eos non omne pactum, sive omnis conventio, qua aliquid iuris ab uno transfertur in alium, et ab hoc accipitur, uti illud naturaliter fit, vim iuris producebat; sed ignorantia ac rude aevum id effecerunt, ut ea tantum negotia inter cives steterint, quibus certam determinationem, huic determinationi addictum nomen, et his convenientem actionis formulam lex dederat civilis. Hanc penuriam identidem quidem, uti supra observavimus, aliquo modo tollere conabantur Romani, recipiendo aliquot contractus iuris gentium. Per multa tamen secula *unum*, idque arctissimis limitibus inclusum, habuerunt contractuum genus, cum ceterae omnes conventiones,

Digitized by Google

quae proprium non acceperant nomen, quae in nudis conſtiterant placiti finibus, nullam produxerint obligationem civilem, ad agendum efficacem. Seculo tandem aerae Christianae II, tempore Icti *Aristonis*, aliud adiectum est genus, quod postea contractuum *innominatorum* venit nomine, diverſum et a prisco illo contractuum genere, qui tunc *nominati* dicebantur, et a pactis nudis, quae nullam in foro habebant vim iuris.

Quomodo differant contractus innominati a nominatis, ſupra Capite IV, § 8. iam diximus; proximum igitur est ut videamus quomodo differant a pactis nudis.

§ 2. De differentiis inter pacta nuda et contractus innominatos.

Quamvis omnes contractus innominati, quod ad originem, pacta ſint nuda permutatoria, quae esſe non deſierunt niſi praeſtatione ab una parte facta, ſemel tamen tales facti ab his non uno modo differunt; namque,

1°. Ad pacta nuda pertinent omnia pacta, ſive donatoria, ſive permutatoria, in nudis placiti finibus ſubſiſtentia; ad contractus innominatos tantum permutatoria, et quidem ab una parte impleta.

2°. Pacta nuda (ſaltem olim) nullam vim obligandi in iure Romano habebant; contractus innominati contra, etſi nomen ſpeciale non haberent, tamen propter cauſam i. e. propter impletionem ab una parte, vim iuris producebant.

3°. Ex pactis nudis, in ſe conſideratis, nec iure civili, nec iure praetorio confirmatis, nec contractibus bonae fidei in continenti adiectis, nulla datur actio, ſecus ac in contractibus innominatis, ex quibus competit vel condictio cauſa data cauſa non ſecuta, vel actio praeſcriptis verbis.

§ 3. De ſtatu iurisprudentiae Romanae, quod ad contractus, post tempora *Aristonis*.

Duplex itaque contractuum genus ab aetate *Aristonis* in foro coepit adesſe, quorum unum contractus conſtituebat nominatos, alterum contractus innominatos, qui duo quid ſint in capite praecedenti latius expoſuimus. Deinde numerus ille contractuum certe magis magisque auctus est, atque ſic naturaliter pacta nuda identidem rariora esſe coeperunt. Praetores itidem in edictis ſuis, uti et ipſae leges civiles, (de quibus generalia quaedam in Capite III proponere conati ſumus) pactis nudis vim naturalem tribuerunt. In ea autem omnia, quae postea, quod ad contractus, in foro Romano ob-

Digitized by Google

tinuerint, inquirere, limites huius commentationis longe egrederetur; quapropter de iis tacebimus.

Superest tamen ut adhuc paucis agamus,

§ 4. De ipſo incremento iurisprudentiae Romanae, receptis in foro contractibus innominatis.

Incrementum illud, ſi bene videam, duplici conſiderari potest modo; ſive ſcilicet *directe*, i. e. reſpectu ad ipſos contractus, ſive *indirecte*, i. e. reſpectu ad actionem praeſcriptis verbis, quae originem debet introductioni contractuum innominatorum, postea vero latius fuit extenſa.

I. Si attento animo conſideremus ſtatum iurisprudentiae Romanae, quod ad contractus, cum *ante*, tum *post Aristonis* tempora, non posſumus non perſpicere, egregium magnumque fuisſe incrementum, quod ea acceperit, introductis in foro contractibus innominatis.

1°. Olim enim Romani *unum* tantum habebant contractum genus, postea *duo*.

2°. Genus illud *antiquum* praeterea arctisſimis limitibus erat incluſum, dum e contrario *novum*, quod accesſit, latisſime patebat.

3°. Receptis in foro contractibus innominatis, omnia pacta permutatoria, hactenus nuda, omnique vi iuris deſtituta, veluti uno ictu valere coeperunt.

Summo itaque iure gratulamur acutisſimo *Aristonis* ingenio, cui incrementum adeo egregium, adeo magnum, Quiritium foro adiicere contigit. Imo maximum, praeſtantisſimum, utilisſimum pronunciamus hoc incrementum, ſi cogitemus, illud tam late patere, ut definiri haud posſit, cum innumerabilia ſint ea negotia, in quibus aut de datione, aut de factione quaeritur, et haec tamen omnia, quamvis olim vana ac nullius fere momenti, ſic ilico iuris robore fuerint armata.

Non ſolum tamen extenſio huius incrementi in oculos incurrit, ſi reſpiciamus ad ipſos contractus, (de quibus tamen hic tantum proprie dicendum est) verum etiam

II. Si conſideremus effectus introductionis eius actionis, quae dicitur praeſcriptis verbis.

Actio praeſcriptis verbis originem debet introductioni contractuum innominatorum, in quibus iure civili non erat prodita actio certa et nominata; postea vero latius fuit extenſa. Nimirum quoties dubitabatur de aliqua acti-

Digitized by Google

one, toties etiam, eius incerti evitandi gratia, tutius agebatur praescriptis verbis, sive in factum actione. Exempla huius rei sunt in L. 1. § 1. et 2; L. 12 et 17. D. *praescript. verb.* et in *L.* 1. *D. de aestimatoria.* (98)

Absoluto, quod mihi proposueram, opere, ad finem perducta hacce qualicunque commentatione, ut mea tentamina iuvenilia, quamvis vires admodum fuerint exiguae, non omni careant effectu, ut saltem non plane displiceant viris Clarissimis, qui de iis indicabunt, ex animo precor!

Ut enim desint vires, tamen est laudanda voluntas et audere non dedecet.

---

(98) Cf. NOODT in *Comm.* et HUBER in *Praelect. ad Tit. D. de praescript. verb.*

Digitized by Google

HENRICI KUHL

MATH. ET PHYS. STUD.

IN ACADEMIA GRONINGANA

RESPONSUM

AD QUAESTIONEM, AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM PROPOSITAM:

„*CUM, LICET NATURAE CORPORA VARIO MODO INTER SE*
„*DIFFERANT, EX HUC USQUE COGNITIS OBSERVATIONI-*
„*BUS TAMEN CONSTARE VIDEATUR, ITA COMPARATAM*
„*ESSE RERUM NATURAM, UT LENTO QUASI PASSU AB*
„*UNA SPECIE AD ALTERAM PROGREDIATUR, ATQUE*
„*SIC CONTINUAM QUASI CATENAM EFFICIAT EX VARIIS*
„*QUIDEM ANNULIS, INTIME TAMEN IUNCTIS, COMPOSI-*
„*TAM, HAEC CATENA IN MAMMALIUM CLASSE DEMON-*
„*STRANDA QUAERITUR.*"

Digitized by Google

Digitized by Google

DE LENTO PASSU, QUO NATURA, IN MAMMALIUM CLASSE, AB UNA SPECIE AD ALTERAM QUASI PROGREDITUR.

Si animalia, per orbem terrarum dispersa, consideramus; alia eorum simpliciora, alia magis composita esse, cuique apparet, usque dum organisatio in Homine ad summum gradum adscenderit. Haec perfectio, continuo crescens, non habitu exteriore, sed praecipue vasorum, cerebri, et nervorum fabrica cernitur. Quo altiores ad gradus adscendimus, eo magis perfecta et complicata sunt haec systemata: quo inferius est animal, eo magis viget reproductio; quae, quo magis composita sunt diversa organa, eo arctioribus continetur limitibus.

Infima animalia, Polypi, capite carent, musculorumque, nervorum, et sensuum organorum ne vestigium quidem ostendunt, sed ductum intestinalem habent, unico foramine instructum. Tam humilis sunt ordinis, ut, plantarum instar, loco se movere nequeant.

Radiarii, in quibus caput nondum repertum novimus, nervorum, organorumque respirationi inservientium, iam rudimenta monstrant: omnes liberi per mare sese movent. Intestina iam distincto capite gaudent, et ovipara sunt. Apud Annelides non solum ganglia aliquot inveniuntur, a quibus nervi originem trahunt, sed etiam systema vasorum, licet cor deficiat. Mollusca iam cor habent, et digestionis organa satis elaborata. Cerebro quoque

Digitized by Google

gaudent haec animalia, ad musculos, masticationi inservientes, in primis nervos mittente. Insecta, organorum circulationis, secundum Cl. CUVIER, plane expertia, sensuum et motus instrumenta iam multo perfectiora habent, et cerebrum, globulis aliquot constans. Sexuum etiam discrimen iam in his animalibus observatur. Ut Insecta sensuum, Mollusca vero digestionis et circulationis organa praecipue elaborata habent, ita in Crustaceis haec omnia coniuncta reperimus.

Quo magis adscendimus, eo magis etiam singula organa singulis cavis distinctis continentur. Apud iam enumerata animalia omnia organa unica cavitate includuntur. Apud Pisces vero, licet sensuum organis parum elaboratis instructi sint, pulmonibusque omnino careant, aeque ac apud cetera animalia vertebrata, cerebrum proprium suum habet cavum. Uti animalium non vertebratorum simplicissima, sic etiam Pisces inter vertebrata, et Cetacea inter Mammalia simplicissima, in aqua tantum vivunt. Amphibia et in aqua, et in terra degunt, sensuum organis multo perfectioribus, cerebroque magis composito pleraque gaudent, et pulmonum ope respirant. Aves omnia haec organa multo magis absoluta habent, corde praeditae, duobus constante ventriculis, et respirationis organis, ad summum evectis perfectionis fastigium. In Mammalibus vero etiam respirationis instrumenta ab iis, quae nutritioni inserviunt, separata invenimus, ita ut hic non tantum cerebrum, verum pulmones quoque et intestina, imo in Homine etiam generationis organa, propriis suis contineantur cavis. Accedit, ut Mammalium cerebrum multo magis compositum sit, quam ullius e praecedentibus animalibus.

Homo denique in altissimo gradu collocatus est, ratione et ingenio omnia reliqua animantia superans. Quamvis enim dentur animalia, in quibus organa quaedam singularia magis elaborata inveniantur, tamen nihil obstat, quo minus Homo sit omnium perfectissimus, cum nullum reperiatur animal, in quo et omnia organa tam apte sibi conveniant, et cerebrum tam sit elaboratum atque absolutum.

Interna itaque organisatio, uti iam monuimus, animalium gradum, vel inferiorem, vel superiorem, indicat: ex externo habitu generatim nihil concludi potest. Externum si tantum habitum, interno neglecto, consideramus, tria se nobis offerunt, prae omnibus ponderanda, ad quae omnia externa referri possunt, color, integumentum, et habitus, sive figura. In coloris consideratione

Digitized by Google

non morabimur, cum cuique notum fit, hunc a lumine, alimentis, etc.; praecipue oriri, ac differre, pro calidiore vel frigidiore, in qua animal vivat, regione. Quare ad integumenta tranfibimus, quae vel cute nuda, vel pilis, plumis, fcutis, fquamis, annulis, etc. conftant.

Cum a fimplicisfimo Natura incipiat, cutis nuda pro infimo integumenti genere habenda est. Et quidem animalia fimplicisfima, uti Polypos, Vermes, Mollusca, Annelides, cute nuda praedita esfe videmus.

Si ad altiores gradus adfcendimus, Infecta multa, integumento corneo munita, invenimus. Ulterius progredientes, Piscium aliquot et Amphibiorum genera nuda cute tecta deprehendimus; quae itaque, fi ex integumento de perfectionis gradu, quem animal quoddam tenet, esfet decidendum, infra Infecta ponenda forent. Ex cute nuda igitur nihil, quod ad animalium gradum, colligi potest, praefertim cum Homo, omnium perfectisfimus, magnam partem cute nuda praeditus fit, cui etiam exquifitus ille tactus, quo ceteris animantibus antecellit Homo, in primis est adfcribendus. Squamae, fcuta, et annuli integumenta funt multorum Amphibiorum, Pifcium, ac Mammalium: plumae vero Avibus tantummodo propriae funt, magis certe elaboratae, quam pili, quibus fola Mammalia praedita esfe videmus, licet Aves Mammalibus fint inferiores.

Haec fatis demonftrant, fupremi cuiusque ordinis animalia integumentis maxime elaboratis haudquaquam gaudere, atque adeo externum integumentum nullum praebere fignum organifationis magis minusve perfectae, et nihil ex eo concludi posfe.

Quod ad figuram in univerfum pertinet, difficillimum est, hac de re aliquod ferre iudicium. Nam quid, quaefo, minus, quid magis est perfectum? Quid formofius? quid minus formofum? Pulchra tantum fentiuntur, neque ulla definitione defcribuntur. Quodque vero animal fibi perfectum est, et omnia posfidet, quibus ad fuftinendam vitam opus est. Aves gaudent alis, Pisces pinnis, Mammalia et Amphibia ambulantia quaternis pedibus, Homo vero binis manibus. Quae omnia quam optimo fapientisfimoque confilio fint conftituta, quivis vel nullo negotio videt. Quid Piscibus prodesfent alae, cum in aqua vivant? quid Avibus pinnae, cum, efcam quaefiturae, aut frigore fedibus fuis expulfae, diu volare, imo mare montesque tranfire cogantur?

Attamen Polypus dici potest minus perfectus et minus pulcher, quam Ho-

Digitized by Google

mo, licet non perfectum, non pulchrum esse Polypum, affirmare haud queamus. Formosissimum omnium animalium est Homo. Atqui Lacertam aut Medusam pulchriorem habemus, quam Balaenam: imo Lacertae forma magis etiam perfecta videtur, cum quatuor hoc animal gaudeat, et bene constitutis quidem, extremitatibus. Quidquid igitur superiorem inter animalia gradum tenet, nec semper est visu pulchrius, nec perfectius. Pro aucta itaque venustate ad adspectum, animalium organisationem absolutiorem fieri, haudquaquam adserere possumus.

Singula sensuum organa, magis minusve perfecta, nihil conferre, ad animalia, aut altiori, aut humiliori gradu collocanda, facile senties, si consideraveris, pluribus Insectis esse tactus olfactusque instrumenta maxime elimata, cum e contrario multi Pisces haecce organa longe minus habeant absoluta. Sic etiam Canis olfactu, Felis et Aquila visu Hominem superant. Nec magis integra organorum, respirationi, nutritioni, aliisve functionibus inservientium, systemata perfectiora superiorem animalium locum testantur. Quis enim nescit, Avibus esse perfectiora respirationis organa, quam Mammalibus? Quis negabit, Aquilam et Gypaëtum multo efficacioribus gaudere nutritionis instrumentis, quam Hominem? Ex his itaque concludimus, non singularum partium, sed totius organisationis maiorem minoremve perfectionem animalium gradum indicare, et hac in re ad cerebri nervorumque fabricam potissimum esse respiciendum, quae organa, uti iam monuimus, quo inferiora sunt animalia, eo magis decrescunt, imo in infimis plane desunt, dum contra in infimis animalibus maxime viget reproductio.

His de animalibus in universum praemissis, iam sola Mammalia considerabimus.

Uti in superiorum classium animalibus maxime composita videmus cerebrum et nervos, ita etiam inter Mammalia altiorem obtinent locum, in quibus hae partes perfectiores sunt. Homo itaque summo insistit gradu, et tantum supra cetera eminet, ut iure ab iis separetur. Quam prope reliqua Mammalia ad Hominem accedant, vel quantum ab eo distent, monstratu difficillimum est: hoc vero e maiori minorive volumine et perfectione partium cerebri determinare, res est perardua. Licet multum hac in re praestiterint Viri Clarissimi, GALL, SÖMMERRING, TIEDEMANN, CUVIER, WIEDEMANN, aliique, tamen facile intelligitur, illos eo nondum progressos esse, ut certum aliquod systema

Digitized by Google

tali ſuperſtruere posſimus fundamento. Quare etiam his non immorabimur; mutuam tantum affinitatem et appropinquationem diverſorum animalium e Mammalium clasſe inter ipſa perſcrutaturi. De interna itaque ordinum ſingulorum organiſatione in univerſum disſerere posſumus; in familiis, generibus, ſpeciebusque conſiderandis ad externum habitum magis attendere debemus. Haec tamen non ita inter ſe connexa esſe, ut unicam quaſi catenam aut ſeriem efficiant, ſed vere magnos pasſim ſaltus, quos dicunt, inveniri, mox cuique, rem perpendenti, patebit. Nondum adeo igitur profecimus, ut integrum Naturae ſyſtema conſtruere posſimus; quod ad opus, poſteritati conficiendum, ſi hoc meo labore pauca etiam contulero, omnino contentus ero.

Ne vero omni ordine careret hic tractatus, ſyſtema aliquod mihi eligendum fuit, quod, in enumerandis animalibus, ſequerer. Perſpicuitas etiam hoc poſtulat, cum alioquin plura illuſtrare deberem, quae nunc, ſi lectorem ad ſyſtema a me electum remittam, leviter tantum attingere opus erit. Diu quidem deliberavi, quodnam ſyſtema mihi potisſimum adoptarem: cum vero neque apud veterem, neque apud recentiorem quendam Auctorem ullum invenerim, quod, tam ſua perſpicuitate, quam accuratione, Illigeriano magis commendari mihi videatur, hoc ſequi mihi propoſui, ita tamen, ut, ſicubi diſpoſitionem magis naturalem reppererim, eam ſecundum meas vires indicaturus ſim.

Apud Mammalia tres proprietates prae ceteris attentione noſtra dignae ſunt, ſenſibilitas, irritabilitas, et reproductio; quibus ſingulis tres etiam Mammalium ordines praecipue excellunt. Simiae nempe plerumque valde ſenſibiles ſunt, et hac qualitate Homini praeſtant; Ferae maxime ſunt irritabiles; dum in Biſulcis reproductio in ſummo verſatur faſtigio. Quatuor alii dantur Mammalium ordines, qui vincula quaſi efficiunt, quibus haec ipſa cum tribus reliquis animalium vertebratorum clasſibus iunguntur. Sic Volitantia cum Avibus, Pinnipedia et Natantia cum Amphibiis et Piscibus, Reptantia denique cum Avibus et Amphibiis Mammalium clasſem connectunt. Ceteri ordines e typo trium ordinum principum velut compoſiti videntur, ita ut hos tres ordines arctius et gradatim inter ſe committant: qua de re in ſingulorum ordinum pertractatione uberius agemus.

POLLICATA.

Generalibus his praemisſis, iam ad ſingulorum ordinum, familiarum, gener

rum, ſpecierumque contemplationem progrediemur, et adeo quidem, ut incipiamus a Pollicatis, omnium Mammalium, quantum ad ſenſuum organa, maxime perfectis.

Dividitur hic ordo, ſecundum ILLIGERUM, in quinque familias, omnes, uti deinceps videbimus, arctisſimo nexu inter ſe iunctas. A ceteris Mammalibus eo ſatis diſtingui videntur Pollicata, quod podaria manuum figuram habent. Et apud multa quidem, imo apud plurima, res ita ſeſe habet: attamen ſi ad Marſupialium familiam diligentius attendimus, neque apud Amblotin, neque apud Paramelem, ullum fere hallucem inveniemus, indicio, haec animalia inter proprie dicta Pollicata et reliqua Mammalia omnia media eſſe.

Pollicata omnia in calidis regionibus, et maxime quidem in ſilvis, vitam degunt. Singulae familiae ſingulas fere terrae partes, et non nullae quasdam tantum regiones habitant. Sic Marſupialium illa, quae caudam laxam, villoſam habent, Auſtraliam, illa vero, quae volubili cauda et digitis omnino fiſſis praedita ſunt, uti Didelphyum genus, Americam ſolummodo incolunt. Lemur et Tarſius non, niſi in antiquo orbe, inveniuntur.

Univerſum hunc ordinem cum ceteris omnibus ordinibus conferamus neceſſe erit, quo facto ad ſingulorum animalium connexum inter ſe tranſibimus. Ex illis igitur proxime ad Hominem accedunt Quadrumana, et inter haec Simiarum genus, ex eo vero Simia Troglodytes, quae reliquum omne regnum animale cum Homine iungit, tanto autem intervallo ab hoc ipſo diſtat, ut riſu vix abſtinere posſimus, quod Troglodyten vere Hominem eſſe, Anglo cuidam Auctori placuerit. Neque etiam intelligo, quomodo docti ceterum Viri, Cl. DOORNIK v. c., eo delabi potuerint amentiae, ut, in rerum primordiis ipſum Hominem Simiam fuisſe, ſerio probare conarentur. Quae commenta quanta ingenii ſubtilitate refutaverit Cl. BAKKER, cuique notum est.

Intercedentibus Marſupialibus, Natura, arctisſimo quaſi vinculo, Pollicata coniunxit cum Salientium ordine. Et Marſupialia enim, et Salientia, marſupiis gaudent; utrisque ſaepe aliquot podariorum digiti connexi ſunt; et magna datur in omni utrorumque organiſatione convenientia.

Marſupialia medium tenent inter Quadrumana, Falculata, et Prenſiculantia. Secundum Cl. TIEDEMANN, eodem, quo Digitigrada, gaudent cerebri volumine. Aeque ac apud Glires, ita etiam apud Marſupialia, cerebrum ſulcis et gyris deſtitutum est: quod utrisque cum Chiropteris commune est, a qui-

Digitized by Google

bus, intercedentibus Galeopithecis, apertus rursus datur transitus ad Didelphyum genus.

Prosimii, et magis etiam Macrotarsi, elongatis scelidibus praediti, appropinquant ad genus Dipodum e Prensiculantium ordine. Phascolomys similes, ac Prensiculantia, habet dentes, et, aeque ac haec, e regno vegetabili nutrimenta sua capit: quamobrem Cl. DUMERIL hoc genus e Marsupialium familia totoque Pollicatorum ordine eximere, et ad Glires transferre, non dubitavit. Inter Marsupialium genera tria, cauda elongata, prehensili instructa, duo vero, auriculis elongatis, nudis praedita, prope ad Mures accedunt.

Phalangistarum genus, pedibus dermopteris cum gaudeat, tam ad Pteromyn Petauristam, bestiolam e Prensiculantium ordine, quam ad Dermopterorum familiam, inter Volitantia pertinentem, appropinquat.

Chironectarum genus, digitis palama connexis praeditum, vinculum quasi efficit, quo Marsupialia cum Lutra, e Falculatorum ordine, iunguntur. Tanta his animalibus cum Lutris est similitudo, ut Cl. ZIMMERMANN ea ad Lutrarum genus retulerit, et Lutras Minimas appellaverit. Differunt tamen a Lutris, hallucibus podariorum separatis.

Lemurum genus, tam dentibus, quam vitae ratione, non multum a Feris discrepat. Etiam omnis fere Marsupialium familia, et victu, et corporis structura, adeo cum carnivoris convenit, ut Cl. SCHREBER eam familiam his animalibus adiungendam esse putaverit. Praeterea, quod ad internam structuram, Marsupialium illa, quae carne vescuntur, mire cum Feris congruunt, praesertim simplicis musculosi ventriculi fabrica. Ceterum intestinorum tractus mediocri est longitudine, uti apud omnivora, quae inter et Feras medium quasi tenere videntur.

Stenops Tardigradus lento suo incessu cum Tardigradorum ordine convenit, quae tam remota ceterum animalia, eo intercedente, cum Prosimiorum familia nectuntur.

Monstratis iam illis qualitatibus, quibus Pollicata reliquos Mammalium ordines contingunt, ad singularum familiarum, generum, specierumque contemplationem progrediemur.

Primae Pollicatorum familiae animalia, quae Quadrumana, sive Simias, vulgo sic dictas, complectitur, cum quaternis manibus quaternisque in utraque maxilla gaudeant dentibus incisivis parallelis, probe a reliquis separata viden-

Digitized by Google

tur. Quodſi vero ſingula accuratius perſcrutamur, tranſitum leniſſimum ad alias huius ordinis familias animadvertimus. Quam arcte Proſimii cum Quadrumanis cohaereant, in Lichanotis perſpicuum est, utpote qui, rostris acutis falculisque ſubulatis in podariorum indicibus praediti, et omni praeterea habitu cum Proſimiis convenientes, quaternos tamen in utraque maxilla dentes cum habeant, prope ad Quadrumana accedunt, et medium quaſi locum haec inter et Proſimios tenere videntur. Alia quoque ex parte Natura Quadrumanorum familiam, interiecto velut Ateletum, maniculorum pollicibus carentium, genere, cum reliquis Pollicatis iunxit. Idem in Hapalarum genus valet, quarum digiti fere omnes falculis praediti, maniculorum vero primi non pollicum in modum diſtincti ſunt.

Si nunc ad connexum Quadrumanorum inter ipſa, et ad ſingulorum generum vitae rationem animum advertimus, admiratione digniſſima nobis ſeſe offerunt phaenomena.

Alias omnino formas, alios organiſationis modos in antiquo orbe, alios in novo deprehendimus. Americanis quippe Quadrumanis, nullo fere excepto, nares ſepto denſo diremptae ſunt, quod ſeptum apud Africana et Aſiatica ſemper tenue reperitur. Plurima antiqui orbis Quadrumana habent ſacculos buccales et tylia in natibus, quibus utrisque carent omnia Americana. Haec ſemper cauda gaudent, quae illorum aliquot generibus deest. Praeterea vero privas etiam qualitates posſident multa inter illa novi orbis Quadrumana, utpote quorum pluribus, inter cetera, adeo elongata est cauda, ut ea, manus loco, utantur.

Simiarum genus, cauda tyliisque egens, manibusque praeditum, humanum fere in modum formatis, imo, quod magis est, internarum partium ſtructura Homini maxime ſimile, huic, uti vidimus, valde affine est. Praeter Phaſcolomyn, ſoli Simiae intestinum vermiforme cum Homine commune est. De ſimilitudine, quae, quod ad partes internas, Hominem inter et Simiam intercedit, copioſius loqui hic posſem: cum vero uberrima mihi adhuc ſuppetat materia, Lector pulchram illam adeat S. Satyri deſcriptionem, a magno CAMPERO editam. Illud ſolummodo adiungam, in S. Satyro, S. Troglodyte, et aliis quibusdam, cubiti pilos non, uti in reliquis, deorſum, ſed ſurſum verti, quod in Homine quoque locum habere, in Phyſiologicis Inſtitutionibus affirmat Cl. BLUMENBACH. Iam nobis ſeſe offert omnium Quadrumanorum fortiſſimum

Digitized by Google

maximumque illud animal, quod fine fingulari animi affectione et pudore adfpicere vix posfumus, quod tanta inter eius corpus et nostrum datur convenientia, ut certisfime inde pateat, non corpore Naturam nos fupra omnia cetera animantia attollere voluisfe. Est fcilicet Simia illa WURMBII, cauda tyliorumque defectu, et terribili corporis magnitudine adeo infignis, quae non tantum, fcelidum ope, fefe erigit, fed etiam maxima vi ramos ex arboribus avellit, et acerrime contra adgredientes homines fe defendit. Qui tamen cominus eam contemplatur, mox ab Homine longe remotam inveniet. Cauda tyliisque egens, ad Simias, proprie fic dictas, brachiis vero, terram fere attingentibus, praedita, ad Hylobatarum genus accedit, dum, quod ad capitis figuram, Cercopithecis propinqua est. Hinc fit, ut tria haec genera connectat Simia illa WURMBII, inftructa univerfis istis proprietatibus, quibus fingulis fingula eorum gaudent. Qua ex re fequitur, recte fecisfe Cl. DUMERIL, hoc animali ad nullum horum generum, fed ad proprium ac plane novum, relato. Fere omnes Auctores, quod ad tylia, errasfe, e WURMBII ipfius verbis patet.

Simiis Satyro et Troglodytae proximus est Hylobates, utpote qui non tantum cauda caret, fed et cuius angulus facialis fexaginta gradus aequat. Species huius generis funt H. Lar et H. Moloch. Iam fequitur Lafiopygarum genus, quod alia ex parte Simias cum Cercopithecis iungit. Cum his enim tam caudam elongatam, quam facculos buccales; cum illis vero et nates tectas, et morum clementiam, et denique magnum illum angulum facialem, qui fexaginta fere gradus continet, communes habet. Lafiopyga Nemaea pulcherrimo inter omnia Mammalia gaudet colore. Nec minus attentione nostra digna est Lafiopyga Nictitans, quae a nictitante capite nomen traxit, et cuius nafus albo, ceterum autem corpus fufco est colore, plane uti in Cercopitheco Afcanio et Petaurista locum habet.

Duo nunc fequentia Illigeriana genera, Cercopithecorum nempe et Cynocephalorum, quibus DUMERIL tertium etiam addit, ad quod quae refert animalia, Sphingem, Hamadryadem, aliaque, Papionum nomine appellans, dum fub Cynocephalorum genere folum Inuum collocat, haec duo, inquam, genera, tam caudae, in alia fpecie maioris, in alia minoris, quam anguli facialis ratione, arcto adeo vinculo inter fe cohaerent, ut, me quidem iudice, unicum tantum genus efficere videantur.

Quodfi itaque animalia, ad utrumque horum generum pertinentia, nihil

Digitized by Google

aliud quam ad unum referimus, numerofisfimum hoc fit ex omnibus Pollicatorum generibus. Animalia tunc coniungi valde diverfa organifatione, diverfaque vitae ratione, nemo quidem negare potest: attamen tranfitus adeo lenis est ab altero horum generum ad alterum, ut limites hic nullo modo ftatui queant. Primae horum fpecies, Sphinx, Hamadryas, Nemestrina, et Mormon, tam terribili funt vultu ferocibusque moribus, ut ipfo adfpectu peregrinatoribus terrorem iniiciant. Parvus apud haec animalia est angulus facialis, qui quanto minor est, tanto ferorior est Simia, tanto minus perfecta funt organa fenforia. Quod ad hunc angulum, proximi ab illis diftant C. Rhefus, Inuus, et Silenus, qui etiam re vera minus feroces inveniuntur. Remotisfimi denique funt a veris istis Cynocephalis, et maiore angulo faciali gaudent C. Diana, Mona, et Cephus. Facili negotio perfpiciet, quisquis haec animalia in ipfa Natura viderit, neque e folis tabulis cognoverit, fecundum caudae longitudinem dividi haudquaquam posfe. Caudam elongatam habent fere omnia, quorum angulus facialis est maior: plurimis autem feris Cynocephalis cauda brevis est, adeo vero, ut, intercedente Sphinge, cauda elongata gaudente, quae tamen in manfuefacta faepius truncata reperitur, ambo haec extrema rurfus connexa videamus. In C. Sileno cauda corpore est brevior, in C. Nemestrina et Rhefo brevior femore, dum in Mormone et nova illa fpecie, quae in Cl. TEMMINKII Mufeo fervatur, nomine C. Brachyuro, trunculus tantum reperitur: Inuus denique nihil, nifi carneam particulam, fex lineas longam, habet. Eodem modo lenis obfervatur tranfitus a fpecie ad fpeciem, quod ad alias partes ac qualitates, barbam v. c. et colorem; quae vero omnia fi hic enumerarem, nimis longus mihi viderer.

Iam fequitur aliud Quadrumanorum genus, Colobos complectens, animalia, in antiquo orbe vitam degentia, et Cercopithecis proxima, a quibus tamen deficientibus podariorum pollicibus differunt. Interiectis tam hoc Colobo, quam Atelete Panifco, quaternis tantum digitis podariorum inftructis, Natura orbis antiqui Quadrumana cum Americanis iunxit.

Ad novum orbem incolentia huius familiae animalia nunc pervenimus, de quibus quoniam in univerfum fupra iam egimus, ftatim ad fingula genera progrediemur.

Uti apud antiqui orbis Quadrumana nullam generum diftinctionem fecundum caudas facere licuit, ita apud Americana e contrario hoc eo facilius continge-

Digitized by Google

re potest. Prima horum ſectio, ſub qua collocata reperimus, quae prehenſili cauda praedita ſunt, duo continet genera, arcte inter ſe cohaerentia, Ateletem et Mycoten, quae tamen eo facillime a ſe invicem diſtinguuntur, quod Mycetes ſemper pollices habet, quibus Ateles aut omnino caret, aut verrucarum in modum formatis praeditus invenitur. Quod ad manuum ſtructuram, haec animalia conveniunt cum Callithricibus, quae praeterea quoque, cum caudis gaudeant volubilibus, ſive ſemiprehenſilibus, intermedio inter illa et laxa cauda praedita inſiſtunt loco. Cauda quippe Callithrici est haud nuda, ſed pilis tecta, et ita comparata, ut ea, aeque ac Ateles et Mycetes, pro quinta quaſi manu uti posſit animal, cuius ope res quidem amplecti, haudquaquam vero vi arripere valeat. Paucas tantum ſub hoc genera ſpecies, et eas quidem nondum ſatis cognitas, reperimus, quamvis America Meridionalis magnam ſine dubio earum numerum alat, quae Naturae ſcrutatoribus nondum obviae factae ſunt. Statura brevi, et brachiis pedibusque rufeſcentibus, a ceteris differt C. Sciurea. Omnia reliqua animalia, quae hoc genere comprehendantur, et in varias ſpecies diſtribui ſoleant, forſan ad unicam tantum referenda esſe, arbitramur. C. Fatuellus capillis, in duo cornua aggregatis, a reliquis diſtinguitur. C. Capucina, Morta, Syrichta, varietates tantum vel aetatis differentiae mihi videntur. C. Griſeam tamen, ob colorem griſeum, per totum corpus eundem, veram ſpeciem habendam esſe, existimo. Siquis hac de re decidere vellet, animalia haec in ipſa Natura ei obſervanda forent. Per C. Sciuream tranſitus accidit ad ſequentia genera, in quibus cauda laxa reperitur. Licet enim C. Sciureae cauda non adeo ſit volubilis, ac C. Apellae, tamen plane laxa dici non potest. In animalibus quidem, post mortem praeparatis, plane laxa videtur, cum, caudarum laxarum inſtar, villoſa ſit; dum in ceteris, quae cauda volubili inſtructa ſunt, haec non valde piloſa est, et apicem verſus volumine diminuitur.

Ea denique animalia, quae ad tertiam pertinent ſectionem Quadrumanorum, in America degentium, caudam ſemper laxam habent. In his quidem tria ſeſe nobis offerunt genera, diverſis auriculis, quibus gaudent, probe a ſe invicem diſtincta. Perſuaſum habeo, rationem, cur haec animalia etiamnum ad tam ſtricte ſyſtematicas ſpecies referre posſimus, in eo ſitam esſe, quod nondum omnia, quae ad hanc ſectionem pertineant, nobis innotuerint. De ſingulis pluribus hic disſerere, a ſcopo nostro alienum est. Pitheciae auriculae ſunt

Digitized by Google

marginatae, Hapalae immarginatae, Aoto vero plane desunt, quod animal, quantum scio, unicum est inter Quadrumana, quod, interdiu dormiens, noctu escam quaerit: quare etiam a Simiis omnino differt, et proxime ad Lemures accedit. Unicum quoque est ex Americanis Quadrumanis, quod nares septo lato non habet diremtas, indicio, illud non ad vera pertinere Quadrumana.

Iam ad sequentem Prosimiorum familiam pervenimus, quos cum scelidibus longioribus, falculis in solis scelidum digitis indicibus, rostris acutis, omnesque, praeter unum Stenopem Tardigradum, tibiis brevioribus praeditos videamus, ipsa certe Natura hanc familiam ab omni alia probe distinxisse et separasse vere dici potest. Actuosi sunt omnes, et in arboribus habitant, quas facillime adscendunt, quaternis suis manibus ramos apprehendentes. Quod ad vivendi rationem ac corporis structuram, Quadrumanis proximi sunt, unde etiam a multis peregrinatoribus Simias rostro acuto appellatos invenio.

Tria huius familiae dantur genera, quorum primum, quod Lichanotos complectitur, dentibus incisivis quaternis in utraque maxilla, et mammis binis pectoralibus praeditos, Prosimios Quadrumanis iungit. Lichanotus Laniger caudam habet elongatam, qua itaque ratione convenit cum sequente Lemurum genere. Lichanotus Indri, brevissima cauda gaudens, huius respectu inter Lemures, elongatis caudis praeditos, et iis omnino carentes Stenopes, intermedio loco est ponendus.

Lemures caudam longam habent ac villosam, et, Quadrumanorum more, binis adhuc praediti sunt mammis pectoralibus, quod ad dentes tamen Lichanotis longius ab iis remoti, utpote cum senis in maxillis superioribus gaudeant. Quam plurimas species hoc genus comprehendit. Continuata serie secum invicem cohaerent L. Rufus, fronte alba et corpore rufo, L. Albifrons, alba itidem fronte gaudens, ceterum vero fuscus, et L. Mongoz, cui similis quidem, atque huic, est corporis color, frons tamen alba deest, huius loco magna macula rubra in genis praedito. Proximus ab hoc est L. Cinereus, macula illa tamen carens, et rostro breviore instructus, cui itaque intervallum inter oculos et nasi apicem multo minus est: quo etiam respectu cum eo convenit L. Pusillus, omnium Pollicatorum minimus, colore etiam a superioribus non multum differens. Tres, quae adhuc supersunt, species, L. Ruber, Makako, et Catta, omnes colore, et Makako etiam morum feritate, a ceteris discrepant. L. Catta albis nigrisque annulis, quibus cauda ornata reperitur,

Digitized by Google

Hapalae Iaccho quodammodo ſimilis est. L. Makako et L. Ruber, tam feroci indole armisque validis, quam corporis magnitudine, ad Feras propius accedunt.

Tertium huius familiae genus, quod Stenopes complectitur, cum prioribus quidem convenit familiae characteribus, ſed continet tamen animalia ſtructurae omnino diverſae, quorum nota gentilitia in tarditate ac motus lentitudine conſiſtit. Quod ad dentes, Tardigradi ad Lemures appropinquant, non vero, uti hi, binas, ſed quaternas, habent mammas. Cauda penitus carent, et oculis gaudent ſibi proximis, atque ad anteriora ſpectantibus.

Macrotarſorum familiae animalia, longisſimis metatarſis praedita, valde ſingularem et mirificam habent figuram, ad quam Lemur Cinereus et Stenops Gracilis, longisſimis etiam metatarſis inſtructi, mentem nostram paulatim praeparant. Prioribus familiis proximum est Tarſiorum genus, utpote apud quos in maxilla ſuperiore quaterni, in inferiore autem bini inveniantur dentes inciſivi, et ratio metatarſorum ad tibias multo minor est, quam in altero Otolicnorum genere, qui et metatarſos tibiis longe maiores habent, et in maxilla ſuperiore binis, in inferiore autem ſenis dentibus gaudent. In hoc genere, aeque ac in Proſimiis, ſolus ſcelidum index falcula munitus est, dum in Tarſio altera etiam falcula in digito medio invenitur.

Familia Leptodactylorum deinde, quae nihil, niſi unicum modo genus, unicamque ſpeciem, comprehendit, Chiromyn Madagaſcarienſem, characteribus valde conſpicuis, non tantum ab omnibus Pollicatis, ſed etiam ab omnibus animalibus, diſtinguitur. Digito enim medio pedis antici hoc animal gaudet elongatisſimo, tenuisſimo, denudato. Sed et praeterea, cum, caninis omnino carens, binis in utraque maxilla praeditum ſit dentibus inciſivis; caudam vero elongatam ac villoſam habeat, ad Myoxum Sciurumque propius accedere videtur, et ita quidem, ut a multis Naturae ſcrutatoribus ipſis his animalium generibus vere ſit adnumeratum. Ab his tamen differre Chiromyn, et inter Pollicata eſſe referendum, cum Prenſiculantibus haec coniungentem, e ſcelidum manibus ſatis patere existimo.

Marſupialia familiam efficiunt, attentione nostra dignisſimam. Gaudent quippe haec animalia, aeque ac ea, quae ad Salientium ordinem pertinent, osſibus marſupialibus; non omnibus autem ſic dictum est marſupium, quo alia non, niſi imperfecto, praedita inveniuntur, alia penitus carent. In Didelphy Opos-

Digitized by Google

ſo et Philandro marſupium perfectisſimum est, in Didelphy Marſupiali iam minus abſolutum deprehenditur, apud Didelphyn vero Cayopollin, Murinam, Dorſigeram, et Brachyurum plane non reperitur, licet in omnibus hisce osſa marſupialia adſint. Haec familia varia complectitur animalia, quo fit, ut multi ſint characteres, huic cum reliquis Mammalium ordinibus communes.

Trium generum Marſupialia, Didelphys, Chironectes, et Balantia, caudam habent nudam, ſquamatam, et duo priores inſuper auriculas nudas et magnas. Ex quibus intelligitur, haec animalia tam ad Murina, quam ad Ateletem, Myceten, Callithricemque accedere, Quadrumanorum genera, quorum multis, aeque ac illis, cauda prehenſilis est. Cum vero etiam non, niſi in ſcelidibus, manus habeant haec Marſupialia, ſequitur, ut cum Hapalarum quoque genere cohaereant. Sed ipſa haec, de quibus iam loquimur, trium generum Marſupialia pedum in primis ſtructura differunt. Didelphys enim habet digitos omnino fisſos, quare ceteris Pollicatis proxima est: in Balantia ſecundus ſcelidum digitus cum tertio iunctus reperitur: in Chironecte vero omnes digiti palama connexi ſunt, indicio, hoc animal ad Lutram e Falculatorum ordine accedere. Sed etiam in ſpeciebus non minor reperitur convenientia, quam in generibus ipſis. Ita marſupium in Didelphyum genere, pro diverſis ſpeciebus, paulatim minore apparere ambitu, ſupra iam monuimus. Sed etiam, quod ad reliquam figuram et colorem, lenis obſervatur tranſitus, et in hoc quidem a pulchro ex flavo rubeſcente, quo D. Murina gaudet, ad fuscum, D. Cayopollin proprium. D. Brachyurus cauda brevi cum praedita ſit, apparet, hoc intercedente animali, Thylacin, Amblotin, ceteraque genera, cum huius ſectionis Marſupialibus, prehenſilibus caudis inſtructis, iungi. Quantum ad auriculas, interiecta Balantia Orientali, Natura utramque hanc ſectionem connexit. Unicum enim prioris ſectionis haec Balantia est animal, quod breves et fere absconditas auriculas habet, qualibus contra omnia alterius ſectionis praedita inveniuntur.

Conſiderata iam priore illa ſectione, ad alteram hanc progrediemur, complexam animalia, caudis non prehenſilibus, non ſquamatis, ſed piloſis inſtructa. Plerisque horum cauda brevis est, Phalangistae vix conſpicua, Daſyuro vero elongata, qui itaque alteram hanc ſectionem itidem cum priore iungit. Quod ad digitorum fisſuram, non minus etiam lenem animadvertimus tranſitum, cum Daſyurus et Amblotis digitos omnino fisſos habeant, quod apud utrumque

Digitized by Google

hoc animal necessarium fuisse, ex eo patet; quod alterum, rapax animal, veloci cursu indigeat, alterum terram fodere sit coactum, quibus ambabus in rebus digiti connexi magno fuissent impedimento. In Thylaci secundus scelidum digitus cum tertio est coniunctus, aeque ac in Phascolomy, in qua insuper et tertius cum quarto nectitur. Primi ex hac sectione generis animalia, Phalangistae, adeo cum Pteromyum, e Prensiculantium ordine, ut quoque cum Galeopithecorum genere, inter Volitantia, conveniunt, ut transitum hic, quantumvis lenissimum, non obscure videre liceat. Thylacium genus Melium generi, e Falculatorum ordine, valde affine est. Dasyurorum genus extremis Pollicatorum finibus insistere, et haec animalia cum Falculatis coniungere videtur. Scelidum quippe hallux apud Dasyurum adeo brevis est, ut vix Pollicatis hoc animal adnumerari queat; quod insuper falculis praeditum est admodum longis et acutis, dentes habet, eadem forma, qua Falculata, et, teste Cl. PERON, qui duo Dasyuros Macrouros, Phocam grandem devorantes, depingendos curavit, simili plane, atque haec, utitur vitae ratione. Caput apud haec animalia eadem est figura, qua apud Vulpem. Amblotis, cum Plantigradorum in modum incedat, et praeterea capite valde crasso brevique, pedibus brevioribus, ac falculis elongatis praedita sit, prope ad Plantigrada, et inter haec ad Ursorum genus, accedit. Phascolomyum e genere animalia singulares habent proprietates, utpote quibus multa cum carnivoris, multa quoque cum herbivoris communia sunt. Licet enim herbivoris sint accensenda, tamen non minus, quam Homo et Simia Illigeriana, parvo gaudent intestino coeco, processu vermiformi instructo, atque etiam, aeque ac illi, pronos supinosque corporis motus perficere valent.

SALIENTIA.

Salientium ordinem cum modo dictis animalibus, tam simillima genitalium fabrica, quam magna organorum digestionis et sensuum convenientia, arctissimo vinculo Natura coniunxit, ita ut, si nihil, nisi systema naturale, respiceres, certissime crederes, ipsa haec Salientia ad Marsupialium pertinere familiam, a qua tamen, artificialis systematis ratione, separanda, et ad proprium referenda esse ordinem, e deficientibus hallucibus patet. Nec vero adeo mirandum, his animalibus deesse halluces, quippe cum et Parameles, et Amblotis,

14

et *Dasyurus*, iis iam careant, eorum loco, verrucis tantum hallucaribus praediti, a quibus itaque ad Salientium ordinem facillimus datur transitus. Quod ad pedes attineat, omnibus Salientibus longissimos, intercedentibus Didelphyum et Phalangistarum generibus, ad solitas formas parari reditum, quisque, haec animalia contemplatus, vel sine negotio videt. Praeterea quoque Tarsius DAUBENTONII, et cum tota Prosimiorum familia, tum praecipue Stenops Gracilis, tam apte cum Salientibus cohaerent, ut haec cum Pollicatis iungere dici queant. Vicissim cum Prensiculantibus committuntur Salientia, intermedio Alimorum, olim Dipodum nomine appellatorum, genere: qui connexus in primis quoque ex eo apparet, quod, uti Prensiculantia omnia, ita etiam Salientium plurima, dentium caninorum loco, diastemate praedita sunt.

Sed cum Ruminantibus etiam pluribus in rebus conveniunt huius ordinis animalia, licet, quod ad externam formam, multum differre videantur. Praecipue conspicua est haec similitudo in organis, masticationi digestionique destinatis. Utrorumque enim maxilla inferior maximis processibus condyloideis instructa est. Utrisque validissimi sunt musculi pterygoidei, firmissimo nexu sphenoidalibus ossibus inserti. Ex quibus sequitur, ipsam maxillam inferiorem, tam in Salientibus, quam in Ruminantibus, pulchre ad latera posse moveri. Utrisque denique glandulae salivales et tractus intestinorum insignis sunt magnitudinis, cum Salientium ventriculus in duas partes sit divisus, pluribusque coecis appendicibus praeditus. Qua vero in re quam maxime est considerandum, quemadmodum musculi congruant cum ossibus, quibus inserantur, ita ut ab ossium habitu petitum argumentum in musculos valeat, sic etiam digerentium organorum fabricam alimentorum, quibus utatur animal, indoli esse accommodatam. Quo enim digestu difficilioribus alimentis vescitur animal quodcunque, eo perfectioribus gaudet digestionis instrumentis. Hinc fit, ut vel diversissimi habitus externi animantia, si iisdem utantur cibis, digestionis organa eodem modo habeant constituta. Cum itaque et Ruminantia, et Salientia, e regno vegetabili nutrimenta sua petant, haud mirum videatur, inter utrorumque horum animalium, quantumvis ad adspectum valde differentium, digestionis organa tantam intercedere convenientiam.

His omnibus rite perpensis, errare existimo Cl. DUMERIL, Salientia in Glirium ordine collocantem, a quibus scilicet satis differunt haec animalia, cum quod plures in maxilla superiore habent dentes incisivos, tum quod eius-

dem huius maxillae processus condyloidei structura sunt quam maxime diversa.

Omnia e Salientium ordine animalia non, nisi unicam, constituunt familiam, atque in Naturae statu versantur, a quo nihil adhuc declinarunt. Ceterum in nova tantum Hollandia inveniuntur. Etsi recentiori tempore plura huius familiae animalia detecta sunt, tamen ea nondum illorum cognoscendorum nobis fuit occasio, ut ad singula descendere possimus. Tam corporis habitu, quam colore, omnia quam maxime inter se conveniunt, praeter solum Fasciatum PERONII, qui, fasciis instructus nigris, multum a ceteris differt. Totam hanc familiam Cl. ILLIGER, numeri dentium in superiore maxilla habita ratione, in duo dividit genera, alterius horum animalia Hypsiprymnos, alterius vero Halmaturos vocans. Parum inter utrumque hoc genus interest, nisi quod Hypsiprymnis octoni, Halmaturis seni in maxilla superiore sunt dentes.

PRENSICULANTIA.

Ne eadem saepius repetere cogamur, in generali huius ordinis eiusque familiarum consideratione illa tantum attingemus animalia, quibus intercedentibus, ipse hic ordo cum ceteris, et quidem praecipue adhuc pertractandis, cohaeret, quo facto, genera speciesque contemplaturi, de modo agemus, quo transitus hic locum habeat.

Prensiculantium ordo animalia complectitur maxime diversa, quae igitur cum aliorum ordinum multis aliquatenus convenire, haudquaquam mirandum. Alia eorum supra terram vitam degunt, uti Lepus: alia in terrae sinu, uti Spalax, Bathyergus, et Georychus: alia in arboribus, uti Sciurus: alia in altissimis montibus, uti Arctomys: alia sub aqua, uti Castor: alia denique in ipso aëre, uti Pteromys. Nec minor fere in integumentis horum animalium occurrit differentia, quippe cum plurima pilis, alia vero, Hystricem v. c., aculeis tecta videamus. Porro in omni organisatione variorum, huc pertinentium, animalium multiplex datur discrimen, de quo melius in singulorum generum pertractatione agere possumus. Olfactus auditusque organa apud plurima bene sunt elaborata, dum cetera sensuum instrumenta in alio genere aut specie maiore, in alio minore robore praedita inveniuntur. Digestionis ac masticationis organis omnia fere gaudent similibus. Sic omnibus huius ordinis animali-

Digitized by Google

bus bini in utraque maxilla sunt dentes incisivi, quibus quia varias rodere solent res, atque adeo multum saepe adferunt noxae, cunctis a LINNAEO Gliribus inditum fuit nomen. Pro caninis diastemate, et non, nisi pauca, molaribus gaudent. Inferior maxilla praecipue retrorsum movetur, quamobrem processuum condyloideorum capitula eandem non tantum, quam ipsa haec maxilla, habent directionem, sed et musculi biventres insigni sunt crassitudine, imo in quibusdam, in Cavia Cobaya v. c., proprius invenitur musculus, per foramen infraorbitale transiens, soli huic motui destinatus.

Quantum ad organa chylopoietica, inter omnivora et Ruminantia medium tenent Prensiculantia. Aliis enim simplex est ventriculus: alia, uti Mures, duplice gaudent: alia vero, uti Hystrices, triplice praedita sunt. Tractus intestinorum est longissimus, coeco magno instructus, quod tamen Myoxorum genus brevius habet. Reliqua etiam digestionis organa, glandulas salivales v. c. et hepar, cui apud plurima cystidem felleam additam videmus, magno esse invenimus ambitu. Intercedentibus Pedetarum ac Dipodum generibus, Prensiculantia ad Macrotarsos et Salientia accedunt; Pteromy vero, ad Volitantia et Phalangistas, e Marsupialium familia. Intermedio Mure, cum genere Didelphyum, e Marsupialibus; Spalace autem, cum Talpis, e Falculatorum ordine, connectuntur. Palmipeda hunc ordinem et cum Chironectis, e Marsupialium familia, et cum Lutrarum genere, e Falculatis, iungunt. Intercedentibus Aculeatis, Prensiculantia cum Erinaceis, e Falculatorum ordine; Subungulatorum vero familia intermedia, cum Multungulis cohaerent. Quae cum sint praecipua, quibus Prensiculantia ceteros Mammalium ordines contingant, iam ad mutuum familiarum connexum progrediemur.

Licet Macropodum familiae animalia, pedibus longissimis instructa, a reliquis probe seiuncta videantur, tamen adeo apte, intercedente Merione, cum Murinis Cunicularibusque cohaerent, ut quam maxime dubitem, ad quamnam familiam pertineat Meriones. Cl. PENNANT et PALLAS hoc animal inter Mures, recentiores vero inter Macropoda collocant. Genus Tamiarum, qui non tantum Murium more vivunt, sed etiam, aeque ac Criceti, sacculos buccales habent, et terram fodiunt, Agilia cum Murinis nectit.

Ipsa autem haec Murina tam arcto vinculo cum Cunicularibus iuncta videmus, et tam difficile est, inter ambas has familias discriminis notas ostendere, ut, meo quidem iudicio, utraque animalia in unicam familiam potius sint colligenda.

Palmipeda Murinis valde affinia esse, e Fibro Zibethico apparet, quod animal licet Palmipedum characterem non gerat, tamen LINNAEUS utraque haec uno tantum genere comprehendit. Inter ambas has familias Mus Caraco, palama in scelidibus praeditus, vere medio insistit loco.

Genus Loncherium adeo cum Mure Decumano et Ratto convenit, praecipue cum hi longissimis, iisque setosis, pilis gaudeant, illi vero debilibus tantum aculeis sint instructi, ut hic conspicuus fiat ab Aculeatis ad Murina transitus.

Quod attinet ad dentium numerum, verum familiae characterem, nullum adhuc reperire potui transitum, qui a Duplicidentatis locum habeat ad aliam quamcunque familiam. Forte hunc accuratior quidam sequentis aevi investigator inveniet. In forma tamen externa aliqua saltem datur, scelidum respectu, inter illius familiae animalia et Macropoda similitudo, a quibus tamen multum differunt Duplicidentata, quod vel cauda nulla, vel brevissima tantum, gaudent.

Subungulatorum character, ungues nempe tegulares, apud Hydrochoerum Capybaram potissimum in oculos incurrit. Haec tamen familia, intercedentibus Caviarum Dasyproctarumque generibus, adeo cum Falculatis cohaeret, ut lenem ibi observare liceat transitum.

Pertractatis iam singulis familiis, genera speciesque contemplari pergemus, quae quanto iure, ob arctissimum illud vinculum, quo secum invicem iungantur, admirationem nostram moveant, mox patebit. Ceterum in hac consideratione eundem servabimus ordinem, quem supra iam secuti sumus.

Inter Macropoda tria nobis sese offerunt genera, notis valde conspicuis a se invicem distincta. Continentur itaque hac familia Dipus, cauda instructus, cuius apex floccosus est; Pedetes, cauda omnino floccosa praeditus; et Meriones (si nempe hoc animal Macropodibus est adnumerandum), cauda gaudens, pilis appressis vestita.

Qui characteres licet adeo manifesti sint, ut eorum ope probe a ceteris discerni queat quodcunque horum generum, tamen inter ipsa haec lentum quendam dari transitum, negari certe non potest. Inter duo scilicet extrema, quorum alterum cauda gaudet, pilis appressis vestita, alterum cauda omnino floccosa praeditum invenitur, Dipodum genus, caudam habentium pilis quidem tectam, sed apice tamen floccosam, medium tenere dicendum est. Minor vero

Digitized by Google

est specierum, ab hisce generibus pendentium, numerus, quam ut ipsum illum transitum enucleatius hic exponere possimus.

Consideremus nunc Agilium familiam, tam cauda elongata, villosa, quam pedibus non saltatoriis, a reliquis omnibus distinctam. Comprehendit haec familia quatuor genera, quae, aeque ac mox memorata Macropoda, differentia caudarum distinguuntur. Sunt haec Myoxus, cauda teretiuscula praeditus, Tamias, cauda itidem teretiuscula et sacculis buccalibus instructus, Sciurus, cauda compressiusculo-disticha gaudens, et Pteromys, pedes dermopteros habens. Omnia haec animalia, quod ad organisationem et vitae rationem, valde inter se conveniunt. Myoxorum genus cum Sciurorum genere cohaeret, intermedio Myoxo Glire, cauda villosa et subdisticha praedito. Huic valde affinis est Sciurus Hudsonius, cuius cauda, teretiuscula cum sit minusque villosa, a ceterorum Sciurorum caudis, quod ad formam, maxime differt. Myoxo Gliri proximus est Myoxus Dryas, cauda valde villosa gaudens: inter quem et Myoxum Nitelam magna datur, quod ad omnem corporis habitum et colorem, convenientia. M. Muscartinus, aeque ac Nitela, caudam minus floccosam habet. Haec animalia cum tam in terrae superficie eiusque sinu, quam in arboribus, habitent, facillime apparet, ea Tamiarum, in cavernis plurimum viventium, et his valde similium Sciurorum, in solis arboribus degentium, genera inter sejungere, medioque quasi hoc respectu inter ambo insistere loco. Tamiarum genus, quod ad vitae rationem, Murinis, et praecipue quidem Cricetis, valde affine est, quippe cum Tamiae, aeque ac dicta haec animalia, et specus fodiant, et alimenta in sacculos buccales congerant. Eodem plane modo Sciurus noster Vulgaris, licet somno hiemali deditus non sit, tamen cibos ante hiemem colligit. Quod attinet ad colorem et villosam caudae indolem, inter singulas Sciurorum species transitus facile observatur. Ita inter rubicundum Sciurum Vulgarem et Sciurum Nigrum, coloris respectu, intercedunt S. Variegatus, fasciis rubris nigrisque praeditus; S. Iavensis et Anomalus, supra fusco, infra vero rubro colore tincti; S. Hudsonius, e griseo fuscus; S. Vulpinus, magis ad atro-fuscum vergens; post quem demum sequitur S. Niger, toto fere corpore ater. Inter S. Maximum, cauda villosa instructum, et S. Hudsonium, cuius cauda parum villosa est, S. Anomalus, Vulgaris, aliique, medium tenent. Ultimi denique generis animalia, Pteromyes, si membranam aliformem excipias, maxime cum Sciuris convenire, deprehendes.

Digitized by Google

Pervenimus iam ad familiam, quam in ordinem systematicum redigere, tum ob amplitudinem, tum quoque ob paucos, eosque incertos, characteres, admodum difficile est; quae perspicue variarum partium, quibus, quasi fundamentis, constitui solet divisio, transitum monstrat; quae denique certissime probat, nullum systema, in abstracto consideratis quibusdam animalium partibus superstructum, ipsa Natura fundatum esse.

Multi clari nominis Viri, inter quos PALLAS et SCHREBER, maximam operam dederunt, ut characterem aliquem excogitarent, quo distinguerentur huius familiae animalia. Et ipse quoque, horum Virorum operibus valde adiutus, ad idoneam sectionem ea referre conatus sum; nec magis tamen, quam illi, scopum attingere potui, cum et Cl. TIEDEMANN, licet naturali sua Mammalium dispositione multum praestiterit, etiam hic pauca praestare potuerit. Cl. ILLIGER Murium genus, uti olim vocabantur, in duas familias divisit, Murinorum nempe et Cunicularium, quas iterum in octo genera partitus est. Signa tamen harum familiarum characteristica adeo ambigua sunt, et animalia, sibi quam maxime affinia, adeo longe a se invicem separantur, ut haec distributio nec systemati naturali, nec artificiali, rite conveniat. Genera quidem bene dispescuntur, sed ratio, qua inter se coniunguntur, mihi non placet. Hinc alia ratione disponere conatus sum haec animalia, qua in dispositione potissimum ad aurium externarum et quinti antipedum digiti vel praesentiam, vel absentiam, respiciendum esse putavi.

I. Auriculae apparentes; digiti maniculorum 4.

Gen. I. Arctomys. Cauda brevis, villosa.

—— II. Cricetus. Cauda mediocris, aut brevis, raropilosa; sacculi buccales.

—— III. Mus. Cauda elongata, teres, raropilosa; auriculae elongatae, nudae.

—— IV. Fiber. Cauda compressa, mediocris; auriculae absconditae.

—— V. Hypudaeus. Cauda brevis, teres, pilosa; corporis pili mollissimi.

II. Auriculae nullae; digiti maniculorum 5.

Gen. VI. Georychus. Cauda pilosa, teretiuscula, brevissima.

—— VII. Bathyergus. Cauda pilosa, compressiuscula, brevis.

—— VIII. Spalax. Nulli oculi; nulla cauda.

Licet haec dispositio ceteris magis mihi placeat, tamen quislibet, rerum na-

Digitized by Google

turalium non ignarus, menda facile inveniet. Tranfitus in his admodum perfpicuus est, praecipue autem inter Hypydaeum et Georychum, unde ambo haec genera, licet in diverfa fectione pofita, fefe proxima collocavi. Arctomyum genus, quamvis cauda brevi, villofa, tam perfpicue a ceteris diftinctum videatur, tamen adeo cum his ipfis cohaeret, ut lenis obfervetur et in hanc, et in illam partem tranfitus. Myoxorum genus, cauda longa, villofa, a reliquis difcrepans, proximum est Arctomyi Monaci, cauda elongata et villofa praedito, cetera tamen organifatione cum Arctomyibus convenienti. Hoc itaque animal medio, quafi inter Agilia et Murina intervallo infiftit. A. Monaci proxime accedit A. Marmota, cauda tamen breviori inftructus. Hunc fequitur, colore magis ad flavum vergente, A. Bobac; cui vicisfim vicinus est A. Empetra. A. Citillus, caudam cum habeat brevisfimam, parum villofam, auribusque fere careat, et reliqua quoque ftructura magnam partem iam memoranda animalia referat, Arctomyes cum Georychis, Hypudaeo Torquato, et Lemmo coniungit, a quibus ceterum quaternis maniculorum digitis aperte differt.

Criceti, facculis buccalibus praediti, et alimenta ante hiemem congerentes, genus efficiunt, ipfis Naturae characteribus a ceteris fatis diftinctum, quod tamen, tam forma ad illud pertinentium animalium, quam propria horum vitae ratione, arctisfime cum aliis connectitur. Proximi ab his diftant Hypudaei, tum cauda brevi, raropilofa, tum pilis longioribus inftructi; quibus in primis Cricetus Accedula et Phaeus affines inveniuntur. Quantum ad vitae rationem, Cricetis fimilis est Hypudaeus Oeconomus, utpote qui eodem modo, quo illa animalia actuofa, alimenta fua ante hiemem congerit, imo qui, plane uti ista, faepe hunc in finem ad novem radicum libras coacervat. Praeterea id cum Cricetis commune habent, tam H. Oeconomus, quam ceteri Hypudaei, quod cavernas fodiunt.

Quod attinet ad fpecies, noster C. Vulgaris colore abdominis atro a ceteris diftinguitur. Reliquae tamen fpecies magis invicem conveniunt. C. Accedula et Phaeus colore fere eodem gaudent. In C. Arenareo color abdominis magis albus est, imo hic color ad latera etiam fefe extendit. C. Songurus eundem, quem antecedentes, habet colorem, nifi quod dorfum eius grifeum fafcia nigra longitudinali inftructum est, qua in re C. Furunculum cum ceteris iungit, qui, dorfo praeditus fufco, fimilem illic fafciam gerit.

Medium inter Murem Hypudaeumque Fiber tenet, amborum proprietatibus

Digitized by Google

gaudens; cum Mure scilicet caudam elongatam, cum Hypudaeo vero pilos longos, sericeos, auriculas abscondentes, communes habens. Cauda tamen praeditus depressa, ipsa hac ab ambobus differt Fiber, et propius ad Castorem accedit. Etiam ab Hypudaeis non tam longe distant Mures, quam quidem vulgo credunt. Characteres horum essentiales, cauda nempe et auriculae, apud M. Rattum, Decumanum, et Sylvaticum praecipue sunt conspicui; multo minus vero apud M. Agrarium, cui praeterea pili fere similes sunt, ac Hypudaeis, et tanta cum his est convenientia, ut, si iuxta Hypudaeum Saxatilem ponas, auriculis caudaque satis longis instructum, pateat, ambo sibi tam vicina genera minime a se invicem separanda, sed potius in unum fere coniungenda esse. Cum tamen inter ceteras species, inter M. Rattum e. g. et H. Arvalem, tanta intercedat et vitae rationis, et formae, et integumenti differentia, in duo genera dispescere, dummodo, ad indicandum transitum, illae sibi valde similes species sese proximae ponantur, satius duco. Ceterum haec genera a se invicem differunt sequentibus. Mus cutem habet, instructam pilis longis, duris, inaequalibus, apud species maiores ad setarum formam pene accedentibus: Hypudaeo vero cutis est, pilis longis, sericeis, mollibus, aequalibus, auriculas plerumque abscondentibus, tecta. Mures contra auriculis gaudent magnis, conspicuis, caudaque longa, raropilosa, et annulata; cum Hypudaei brevi et pilosa cauda praediti inveniantur.

Quod attinet ad singulas species, M. Caraco, scelidibus subpalmatis cum gaudeat, aliquantum ad Castorem appropinquat. Caraco vicissim, quod ad colorem et corporis staturam, M. Decumanus proximus est. Ab his M. Rattus colore e fusco atro distinguitur; ceterum autem parum differunt hae species. Musculus, minori licet sit magnitudine, tamen M. Rattum plane refert. His affines sunt M. Sylvaticus, Vagus, et Betulinus, cauda elongata omnes praediti, et iste etiam longioribus auriculis gaudens. M. Soricinus, rostro producto instructus cum sit, ipso hoc Caraco aliquantum similis est; ceterum vero Sorices cum Muribus iungit. M. Minutus statura quidem breviore est, alioquin tamen cum M. Agrario convenit, qui, aeque ac M. Betulinus et Vagus, striam nigram in dorso gerit. Ambae illae species, tam Minutus, quam Agrarius, uti iam diximus, ad Hypudaeorum genus, praecipue vero ad H. Saxatilem, accedunt.

Nusquam tanta est inter diversas species similitudo, quanta apud Hypudaeos

Digitized by Google

rum genus observatur. H. Saxatilis auriculis maioribus a ceteris differt, cum quibus tamen, quod ad colorem et figuram, congruit. H. Amphibius, Arvalis, Rutilus, Gregalis, Glaraeolus, Oeconomus, etc., tam arcto vinculo inter se connexi sunt, ut vix indicari possint discriminis notae. Nihil fere, nisi color, in aliis obscurior, in aliis minus obscurus, ac diversa corporis statura, haec animalia interest. H. Alliarius colore, superius griseo, inferius autem albo, magis a ceteris differt. Quod ad colorem, hic Alliarius cum H. Lagyro convenit, excepta stria dorsali nigra, qua distinguitur. In aliis harum specierum evidentius, in aliis vero minus evidens, quinti podariorum digiti deprehendimus vestigium. Praeterea apud H. Amphibium falcula reperitur in minima verruca hallucari. Apud H. Torquatum et Lemmum digitus quintus integer est, et auriculae minimae, qui itaque priorem sectionem alteri iungunt, ad quam nempe quae pertinent animalia digitum maniculorum quintum perfectum habent, sed auriculis carent. Nec tantum in singulis his partibus, sed in tota fere figura, cauda brevi, oculis parvis, falculis magnis, etc., transitus observatur; qui igitur nusquam adeo conspicuus est, atque inter haecce genera.

Tria reliqua genera, Georychorum, Spalacum, et Bathyergorum, tam ob magnam, quae intercedit, similitudinem, quam ob exiguum specierum numerum, facile pro unico genere haberi possent. Omnia haec animalia, tum forma, tum vivendi ratione, a ceteris valde distincta, maximam vitae partem sub terra degunt, quamobrem oculi parvi, auriculae externae nullae, dentes vero et falculae longissimae sunt. Inter Georychos cum H. Amphibio maxime convenit G. Talpinus; cui vicissim ex ceteris proximus est G. Capensis. Tam capite acuto, quam cauda villosa, a reliquis omnibus differt G. Suillus, qui tamen, colore griseo cum praeditus sit, ad Hudsonium accedit. Ipse hic Hudsonius deformibus maniculorum unguibus ad omnibus distinguitur. Oculis minimis capiteque latissimo instructus, G. Aspalax ad sequens Spalacum genus quam proxime accedit, utpote apud quos oculi externi ne vestigium quidem reperitur. Postremum tandem est Bathyergorum genus, quod non, nisi unicam, continet speciem, B. Maritimum, animal minus cognitum, quam de quo hic uberius dissererem.

Pervenimus iam ad familiam, attentione nostra quam dignissimam, Palmipeda nempe complexam. Intercedente Fibro Zibethico, forma Castorem plane referente, palama tamen destituto, arctissime haec familia cum antecedente co-

Digitized by Google

haeret. Uti in Fibro obfervatur tranfitus a Murinis ad Palmipeda, ita vicissim Hydromys haec illis iungit. Apud Hydromyn enim fimiles quidem, atque apud Castorem, invenimus palmas, fed caudam tamen teretem, pilofam, acutam, uti apud Murina. Hoc itaque nuper repertum genus intermedio illi infiftit intervallo, quo Castor ab omnibus aliis animalibus diftare videbatur.

Notabili proprietate gaudere invenimus parvum numerum animalium calidiorum regionum, qua nempe pili in duriores fines, et quafi aculeos, exeunt. Haec familia ita dicta Aculeata comprehendit, quae nobis nunc confideranda funt. Quantumvis licet Hyftrix Cristata ab omnibus animalibus differre videatur longitudine et craffitudine aculeorum, tamen, intercedentibus aliis fpeciebus, transitus ab hac fingulari forma ad magis vulgares paratur. H. Dorfata aculeis iam multo minoribus praedita est, nec, nifi dorfalibus, gaudet. In H. Prehenfili parvi funt, pilis intermixtis; et in H. Chryfuro denique fere defunt, ita ut inter huius animalis et postea confiderandae Dafyproctae integumenta nulla pene differentia locum habeat. Quod ad integumentum, haec animalia accedunt quodammodo ad Suum Erinaceorumque genera. Cauda prehenfili H. Prehenfilis fatis diftinguitur, ita ut Cl. DUMERIL recte eam a ceteris Hyftricibus feparaverit, et ad novum genus retulerit, Condum appellans. Aliis tamen quibusdam diverforum ordinum animalibus illa proprietate finitima est haec Hyftricis fpecies, inter quae Myceten, Ateletem, et Myrmecophagam nominasfe fufficiat. Chryfuros et Paleacea a Cl. ILLIGER in novum genus coniunguntur, cui Loncheri nomen inditum. Haec animalia, cum nullis aculeis, fed fetis quidem gaudeant, et praeterea caudam longam habeant, omnique habitu magnam gerant cum Muribus fimilitudinem, his valde vicina esfe conftat, utpote quorum aliquot, M. Decumano nempe et M. Ratto, pili quoque rigidi funt.

Quae ad Duplicidentatorum familiam pertinent, animalia ab omnibus reliquis fatis diftincta videntur binis dentibus minutis, pone primores maxillae fuperioris pofitis. Nec fane negandum, multa hic non dari vincula. Aliis horum animalium brevisfima, aliis nulla est cauda, unde fponte quafi in duo dividuntur genera, Leporum brevisfima, et Lagomyum nulla cauda praeditorum, inter quos tranfitus mihi nondum innotuit. Lepori auriculae femper longae, acuminatae, Lagomyi vero rotundatae ac parvae funt. Posterius hoc animal, cauda carens, auriculisque inftructum rotundatis, proximum est fpe-

Digitized by Google

ciebus aliquot e Subungulatorum familia, a quibus tamen differt, tam vitae ratione, quam corporis ſtatura. E contrario tranſitus ſpecierum inter ipſas multo magis conſpicuus est. Omnibus color est griſeus et flavus, ac Lepus Variabilis tantum hiemali tempore albo indumento gaudet. A L. Tolai ad L. Timidum, et ab hoc ad L. Cuniculum, ac rurſus ad L. Nanum, admodum lentum videmus colorum, e flavo ad fuſco-bruneum, tranſitum.

E familia Subungulatorum Caviarum genus, cauda carentium, Lagomyi proximum est. Etiam Daſyproctae id cum praecedente familia commune habent, quod ſcelides antipedibus ſunt longiores. Attamen haec animalia non, uti Lepores, in curſu corpus proiicere posſunt. Aeque fere ac Caviae, ita etiam Daſyproctae Aguti cauda pene deest. Coelogenys Paca toto habitu et figura parum ab his differt, niſi quod ſaculis buccalibus diſtinguitur, quos cum Quadrumanis aliquot et Cricetis communes habet. Hydrochoerus Capybara etiam his valde vicinus est, podariis ſemipalmatis et inſigni corporis ſtatura ab illis differens, unde aliquam cum Suibus habet ſimilitudinem.

Ex his facile cuique patet, quam arcte haec animalia inter ſe connexa ſint. Sed etiam cum aliorum ordinum animalibus valde conveniunt, ita ut cum Multungulorum proceriſsimis, et cum Hyracum quidem genere, magnam partem cohaereant.

MULTUNGULA.

Si ad pedum armaturam attendimus, apud ſic dicta Ungulata ſingularis nobis occurrit ſtructura. Praecipue vero mirandum, quod haec res externa, primo adſpectu tam parvi momenti, plane cum cetera fabrica et vitae ratione convenit. Omnia illa animalia ſunt herbivora, quibus Natura falculas denegavit, utpote neque ad effodiendam terram, neque ad rapiendam praedam, deſtinatis. Omnibus tractus intestinorum est longiſsimus, et ventriculus in quatuor vel quinque partes diviſus, qua in re etiam Prenſiculantibus finitima ſunt, quorum alia vero, uti Mus Rattus, duplici, alia, uti Hyſtrix, triplici ventriculo a ceteris paulum differunt. Ungulatorum quaedam inciſura ungularum unica, alia nulla, alia multiplici inſtructa ſunt, quamobrem non ſolum ARISTOTELES, iam ſecundum inciſurarum numerum haec animalia diviſit, ſed etiam noviſsimi adhuc Soliduagula, Biſulca, et Multungula vocant, ſeriem con-

Digitized by Google

ftimata fecum cohaerentia, quae tamen melius in fingulorum confideratione monftrari poteft.

Bifulcorum organa chylopoietica aliorum animalium magnitudine fuperant, cum illa tantum vera fint Ruminantia. Minora funt haec organa apud Solidungula, apud quae vero etiam maiorem habent ambitum, quam apud Multungula, quae multa, et inter haec tres dentium fpecies, cum Feris habent communia. Multungula itaque medium inter Ruminantia et Falculata tenent. Omnia integumento craffo, infenfibili, cerebro parvo, oculisque minimis inftructa funt, auditus et olfactus organis magis perfectis praedita, quare etiam plurima probofcide gaudent. Non tantum haec Multungula, fed etiam Ruminantia et Solidungula, claviculis carent. Hepar parum divifum est, et quidem ideo, fecundum Cl. TIEDEMANNI fententiam, quia illud organum eo magis divifum est, quo actuofius, et inde quo irritabilius, est animal. Quantus effe videatur hiatus, quo Prenficulantia, tam exigua ut plurimum, et tam pulchre formata animalia, a Multungulis diftant; adeo ingentis molis, ut a Cl. BLUMENBACH iis animalium terrificorum (*Schreckthieren*) nomen inditum fit, tamen ille plane deletur, intercedentibus Lamnunguibus, quae cum Prenficulantibus multa communia habent, et aeque ac haec, in maxilla fuperiore binos, in inferiore vero quaternos dentes incifivos gerunt.

A parte Multungulorum Lamnungnia, a parte vero Prenficulantium Subungulata, tam prope ad fe invicem accedunt, ut, intermedia utraque hac familia, tranfitus ab hoc ad illum ordinem paretur. Non folum fcilicet Subungulata unguibus gaudent tegularis figurae, quibus a ceteris Prenficulantibus differunt, fed etiam, quod ad reliquam figuram, et praecipue quidem caudae defectum, propius ad Multungula accedunt, ita ut ambae illae diverforum ordinum familiae arctisfime inter fe connexae fint. Animalia e familia Lamnunguium, quae olim ad unicum tantum genus referri folebant, Cl. ILLIGER, habita ratione diverfi numeri et ftructurae digitorum, quibus podaria praedita inveniuntur, disiunxit, et fub duo genera difpofuit, Lipurarum nempe, quaternis podariorum digitis gaudentium, et Hyracum, ternis tantum praeditorum. Sub illo genere L. Hudfonium collocat. Hyraci quaedam cum Lemure est fimilitudo, digito nempe falcula fubulata munito, qualis tamen falcula in primo tantum digito, nec vero in altero, adest. Attentione dignum est, apud hoc animal partem quandam inveniri, quae olim foli homini adfcribebatur, hymenem nimirum.

Omnia cetera animalia gigantea huius ordinis valde inter se convenire, tam quod ad organa, digestioni aliisque functionibus destinata, quam aliquantum etiam integumenti ratione, facile cuique patebit. Attamen transitum monstrare inter haec externo adspectu tam diversa animalia, frustra conaremur.

Omnibus fere proboscis est. Apud Rhinocerotem et Hippopotamum nihil, nisi chiloma obtusum, invenimus: quasi etiam, sed longiore et angustiore, Sues gaudent, ita ut illud, secundum Cl. ILLIGER, proboscis truncata appellari queat. Tapiri proboscis maior est, sed tamen Elephantis proboscidi magnitudine cedit. Medium itaque tenet Tapiri proboscis inter formam solitam, et ingentem eam, qua Elephantis est. Pari modo cutis durities et impenetrabilitas, pro vario genere, differunt, ita ut minus dura sit cutis in Sue et Tapiro, durior in Elephante, in Rhinocerote Unicorni vero in dura corneaque scuta abeat. Singularis illa dentium forma, quae apud Sues aliquot reperitur, admiratione nos afficit. Crescunt magis magisque a S. Taiassu et S. Africano ad S. Scrofam horribilemque S. Aethiopicum, donec eos in S. Babyrussa forma invenimus maxime singulari. Cum hisce structurae mirabilis dentibus Elephantis dentes analogiam quandam habere videntur. Utriusque etiam generis animalia dentibus hostes adgrediuntur, et Sues praeterea iis ad terram effodiendam utuntur. Suibus dentes terribiles sunt canini, Elephantibus vero incisivi, utpote qui apud hos ossi intermaxillari infixi sunt. Singulari valde ratione, et quidem horizontaliter, dentes incisivi apud Hippopotamum positi sunt: a qua abnormitate, intercedente Sue, dentibus admodum obliquis praedito, ad vulgarem positionem transitus fit.

SOLIDUNGULA.

Iam pervenimus ad ordinem, ad quem quae pertinent animalia ungula integra a ceteris omnibus distinguuntur. Unicum genus, quod nobis hic occurrit, Equorum nempe, recte animadvertente Cl. TIEDEMANN, medium inter Multungula et Bisulca tenet. Fabrica organorum, sensui motuique dicatorum, eadem est, quae in Ruminantibus, digestioni vero destinatorum, qualis apud Multungula. Equi, aeque ac pleraque Bisulca, corpus habent gracile, formosum, auriculas amplas et magnas, pupillam ovalem et horizontalem, cerebrum parvum, collum longum, tria dentium genera, ventriculum simplicem, et in

Digitized by Google

universum talia digestionis organa, qualibus Multungula gaudent. Quatuor cognoscimus species: E. Caballum, pulcherrima et nobilissima forma; E. Asinum, huic similem, sed minorem; E. Zebram, striis nigrescentibus toto corpore praeditum, iisque a ceteris speciebus satis distinctum; et E. Guaggam, eiusmodi strias non, nisi in posteriore corporis parte, habentem, atque adeo medium inter Zebram et Asinum tenentem.

BISULCA.

Postrema denique animalium Ungulatorum sectio, Bisulca comprehendens, quadruplici ventriculo instructa, nobis adhuc consideranda restat.

Intercedente Camelorum genere, hic ordo cum Multungulis iungitur. Cum his nempe Camelus ingentem illam corporis molem communem habet, neque etiam, Bisulcorum more, ungulis graditur, totum tegentibus rhisonychium, sed, aeque ac Multungula, ipsis phalangibus, ungulas cum habeat extremo rhisonychii apici affixas, non vero singulis tantum, corpus sustinet, quamobrem materia quoque callosa plantae pedum muniuntur. Quae ad sequens genus pertinent, Aucheniae eandem quidem habent pedum fabricam, sed tamen, maioribus ungulis, dorso plano, et gracili statura praeditae cum sint, ad Cervos, et in universum ad ceteros Bisulcos, propius accedunt.

Diversae adeo formae Camelopardalis Giraffa Bisulca Solidungulis iungere videtur. Licet enim fissis hoc animal gaudeat ungulis, tamen, quod ad magnitudinem et formam, Solidungulis adeo vicinum est, ut primo adspectu Equum esse putares, utpote cum quo, tam cauda longa, quam capitis figura, colloque iubato, valde conveniat. Cornua tamen cum habeat Camelopardalis, brevibus pilis obsita, his ipsis ab Equo differre, et ad Capreolos ac Cavicornia accedere, neque ad haec animalia ducere videtur. Cornua simplicia sunt, nec ramosa, nec decidua, unde cum Antiloparum cornibus similitudinem habent: soliditatem tamen quod spectat, ad Cervorum cornua accedunt. Hinc patet, Camelopardalin, respectu cornuum, amplas illas Capreolorum Cavicorniumque familias coniungere. Cornua tamen Camelopardalis pilis obsita sunt, quod illi, quantum mihi innotuit, cum solo Cervo Tarando mare commune est.

Sic ultro quasi accedimus ad familiam, quae pulcherrimis forsan et attentione dignissimis adnumerari potest, Capreolorum nempe, duo genera, Cervum

et Moschum, complexam. Cervorum mares, durante maximo anni tempore, cerate magnifico ornati sunt, de cuius origine, incremento, et relatione ad generationis organa Cl. TIEDEMANN acutissima observata edidit. Singulae species tam arcte inter se sunt connexae, ut non, nisi maximo labore, in primis si cornibus careant, a se invicem distingui queant.

Tria familiae Cavicornium genera distinguuntur praesertim cornibus, varia ratione formatis. Sunt enim cornua in Capris angulata, transversim striata, aut nodosa; in Bobus vero lunata, teretia, laeviuscula; in plerisque Antilopis denique teretiuscula. Attamen Antilope Strepsiceros angulatis cornibus gaudet, quo itaque intercedente animali, transitus ab Antilopis ad Capras fit. Cornua lunata, ad latera flexa, nulla habet Antilope: attamen A. Gnu adeo Boum generi similis est, ut ipsam Bovem crederes.

Antilopae inter Cervos et cetera Cavicornia mediae sunt. Cum illis enim figuram magnificam et pilorum structuram, cum illis vero cornua vaginantia, communia habent. Ipsae Antilopae valde inter se differunt, in primis quod ad figuram et positionem cornuum, quae in aliis sunt recta, in aliis vero unam, in aliis duas, in aliis denique plures curvaturas habent. Recta sunt in Oryce: una curvatura, latere concava, acumine vero antrorsum spectante, praedita in A. Dorcas (?) Drachoeamelo; una itidem curvatura instructa, cuius latus etiam concavum, sed acumen retrorsum spectat, in A. Gnu. Eandem figuram, quam haec, habet A. Rupicapra, nisi quod cornua magis erecta sunt.

Illae species, quarum cornua, uti in A. Bubali locum habet, duplici curvatura gaudent, arcum inferiorem antrorsum concavum, superiorem antrorsum convexum, atque adeo apicem retrorsum spectantem habent.

Aliae harum, e. g. A. Subgutturosa, arcum inferiorem antrorsum, superiorem retrorsum convexum, ideoque apicem antrorsum spectantem gerunt. Similem cornuum formam invenimus in A. Corina, quae tamen eo a superioribus differt, quod apices introrsum ad se invicem reclinati sunt. Multipliciter curvata, sive spiralia, sunt cornua A. Cervicaprae et A. Strepsicerotis. Hae sectiones, quarum distinctio primo adspectu maxime nobis arridet, tamen ingenti specierum numero ita inter se iunguntur, ut facile cuique appareat, Antiloparum genus valde naturale esse, et speciebus constare, arctissime invicem connexis.

FALCULATA.

Uti in Quadrumanis fenfibilitas, et in Ruminantibus reproductio ad fummum gradum adfcendunt, ita irritabilitas maxime eminet apud Feras, inter quas praecipue Felium genus et hac proprietate, et motu velocisfimo ac fortisfimo, et indole admodum feroci, ceteris antecellit omnibus. Vifus, auditus, olfactus apud haec animalia funt acerrimi, dentes et falculae magnae et acutisfimae, eoque fortiores, quo rapacius est animal. Quin imo Feles, omnium robustisfimae et maxime fanguinariae, fere omnes dentes molares habent tuberculis acutis munitos, et falculas retractiles, ne harum acies terendo minueretur. Cerebrum minutum est, capitis osfa validisfima funt, mufculi fortes et valde rubri, cor et pulmones permagni, et hinc fanguis admodum oxydatus, qui celeri motu in circuitum fertur. Organa reproductionis, contra quam apud Ruminantia locum habet, hic parva funt, et quidem eo minora, quo animal est magis rapax. Omnes fucci, digestioni infervientes, concentrati funt, ita ut fubito et efficaciter cibos in chylum convertant. Sed uberius de his animalibus disferere, nimis longum foret.

Horum animalium, a Cl. ILLIGER Falculatorum nomine appellatorum, alia funt Plantigrada, alia Digitigrada. Digitigrada vera funt fanguinolenta, et folis cibis animalibus vefcuntur. Plantigrada e contrario dentes habent minores, et praecipue e regno vegetabili alimenta petunt, qua in re cum Prenficulantibus, Profimiis, aliisque, conveniunt. Sunt inter haec Plantigrada, quae dentes caninos habent, a reliquis non valde diftinctos, ILLIGERO Subterranea dicta. Inveniuntur etiam, quae validisfimis dentibus caninis gaudent, ad Plantigradorum familiam, qualis ab ILLIGERO disponitur, pertinentia. Prior illa familia comprehendit animalia parva, a Prenficulantibus quibusdam non admodum diverfa, inter quae Erinaceorum, Soricum, et Talparum genera funt confideranda, tantum a fe invicem differentia, ut nullum hic invenire queamus transitum. Scalops Aquaticus tamen, et cum Talpa, et cum Sorice, aliquas proprietates communes habet. Aeque ac Talpa nempe, hoc animal oculis minutis praeditum est, auriculis caret, et caudam brevem habet. Falculae tamen antipedum multo minores funt, quam in Talpa, qua in re ad Soricem propius accedit.

Si vero fingulas fpecies, ad Soricum genus pertinentes, confideramus, aper-

Digitized by Google

te nobis patebit tranfitus. Quod ad colorem enim, a nigricante ad grifeum et flavefcentem procedente, una eaque continuata ferie cohaerent S. Aquaticus, S. Leucodon, S. Cunicularius, S. Conftrictus, S. Araneus, S. Minutus. Minor est fpecierum, ad reliqua genera pertinentium, numerus, quam ut hic de illis loquamur. Apud Plantigradorum familiam tranfitus ille inter diverfa genera magis confpicuus est. Uti in praecedenti familia non, nifi parva animalia, deprehendimus, ita in hac procerae, vel medioeris faltem, ftaturae invenimus. Cuncta haec animalia a LINNAEO vel ad Viverrarum, vel ad Urforum genus relata funt; a recentioribus vero in fex genera diftribuuntur. Cercoleptes Caudivolvulus a ceteris quidem diftat, cauda volubili inftructus cum fit; attamen eius longitudine cum Nafuarum genere, rostro vero brevi cum Urfis convenit. Animalia e Nafuarum Procyonumque generibus adeo fibi fimilia funt, ut facillime alterum pro altero haberi posfit. Procyoni Lotori tamen rostrum brevius est et cauda brevior, longiusque, quam in Nafua, a ceteris diftat dens incifivus externus maxillae fuperioris. Quod ad caudam annulatam vero, colorem, et formam, ambo haec animalium genera conveniunt: a quibus tamen diverfa est N. Narica, quod cauda annulis caret, tota ceterum figura plane illis fimilis. In Gulone cauda iam brevior est, quam in Procyone, fed brevior etiam in Mele, apud quam e contrario falculae fosforiae antipedum multo maiores funt, quam fcelidum. Utriusque huius generis animalia pilofo funt corpore, fed Urfi villofo. Ceterum e cranii praecipue figura, motus, fenfuum, et digestionis organis, vitae ratione, hiemali quiete, et ciborum abftinentia, omnibus his animalibus communibus, apparet, illa arctisfime invicem connexa esfe.

Pleraque haec Plantigrada pedes habent breves. Inter Digitigrada vero Sanguinaria, ad quae Canum Feliumque genera pertinent, pedibus multo longioribus incedunt. Inter utraque haec media est Gracilium familia, quae, licet Digitigradis fint adnumeranda, tamen, aeque ac Plantigrada, pedes breves habent. Omnia Plantigrada coeco carent, atque intestinis gaudent elongatis: contra Digitigrada pleraque longe minora habent intestina, et coecum breve. Sed et hoc refpectu e Gracilibus Martes et Lutra cum Plantigradis cohaerent, et adeo quidem, ut tranfitus hic appareat, cum non minus, quam haec, intestinorum tractu praedita fint fatis longo, coeco vero careant.

Intercedente in primis e Gracilibus Mephitidum genere, tam quod ad ftru-

Digitized by Google

ctuam, quam quod ad falculas fossorias antipedum elongatas, quibus gaudent haec animalia, transitus fit ad Melium Gulonumque genera. Quam conspicua sit haec convenientia, ex eo patet, quod optimi systematici e recentioribus, uti Cl. TIEDEMANN et CUVIER, illa animalia nunc inter Mephitides, nunc inter Gulones retulerunt. Sunt haec Vittata, Capensis, Vulpecula, quae vero, tum cauda brevi, tum habitu externo, analogiam cum illis Plantigradorum generibus monstrant. Cum autem sint Digitigrada, et cum, more Mephitidis Putorii, intolerabilem spargant odorem, satius esse duco, ea ad Digitigrada referre. Aliud est genus, Herpestas (Ichneumones) comprehendens, Mephitidibus similes, cuius paucae species coloris transitum a griseo ad fuscum ostendunt. Huius generis animalia ab illis, quae ad praecedens pertinent, differunt cauda elongata, a basi crassa, et sensim angustata, quare appropinquant ad Ryzaenam Tetradactylam e Sanguinariis, utpote cum qua, praeter aliam multiplicem convenientiam, etiam caudam a basi sensim angustatam, et unicam patriam, Africam nempe, communes habent. Ex Africa scilicet Ryzaena haec saepius in Hollandiam translata est, nequidquam contraria sentiente BUFFONIO, qui Americam eius patriam esse putavit.

Sanguinaria, sive animalia illa, quorum dentes incisivi sibi invicem paralleli positi sunt, partim quaternos, partim quinos digitos in unoquoque pede, partim etiam quinos in antipedibus, quaternos vero in scelidibus, habent. Quaternis in quoque pede praedita est Ryzaena, qua intercedente, uti iam diximus, transitus ad Gracilia fit: quaternis praedita est Megalotis Cerda, ceterum longissime ab illa distans, atque a reliquis omnibus diversa, quod auriculas habet, capite multo maiores. Quod ad reliquum habitum, et in primis rostrum acutum, Canem plane refert hoc animal, cui generi olim etiam adnumerari solebat. Canum genus, tum ob dentium numerum, tum ob falculas fixas, tum denique ob formam acutam cranii, in plerisque crista longitudinali tecti, valde naturale est. Singulae species sibi invicem proximae sunt. Quot inveniantur varietates Canis Familiaris, in se invicem transeuntes, cuivis notum est. Canis Lupus et Aureus, nec minus quaedam Canis Familiaris varietates, insigni sunt corporis statura. Mirabilis, ob coloris mutationem, est C. Lagopus. Quod ad vitae rationem et habitum, C. Mesomelas et Vulpes cum ceteris omnibus plane conveniunt, nec, nisi coloris discrimine, ab iis differunt. In sceleto etiam non maior, quam in partibus mollibus, et vix ulla quidem, reperitur differentia.

Digitized by Google

Hyaenarum genus, Canibus proximum, quaternis in quoque pede digitis; iubis dorſalibus, moribusque crudelibus ac feris, ab iis differt, atque adeo medium tenet inter Canem ac Felem; cum quo posteriore animali, tam quod ad linguae figuram aculeatam, quam quod ad dentes et crudelitatem, valde convenit. Praeterea etiam Hyaenis cum Fele Iubata quaedam, minus in ipſa Natura ſita, e pilis dorſalibus nempe, quibus ornata ſunt utraque haec animalia, petita, adſcribitur ſimilitudo.

Feles omnium maxime feroces maximeque irritabiles ſunt, quibus vicisſim Felis Tigris crudelitate longe antecellere videtur. A Canibus praeſertim differunt falculis vaginalibus et capite rotundato. In plerisque, quas examinare mihi licuit, mirum mihi viſum est, quod nulla in cranio crista longitudinalis, uti apud Canes, ſed eo validior transverſalis, reperitur. Species ſingulae diverſa caudae longitudine diverſoque cutis colore a ſe invicem differunt, ceterum vero valde inter ſe conveniunt. In veris Felibus cauda terram attingit: Lynx tamen cauda praeditus est, ad tarſum ſolummodo pertinente, et longas habet ac pilis obſitas auriculas. Felis Cerval, cauda longiori, nondum tamen terram attingente, inſtructa, et auriculis gaudens valde piloſis, nec vero penicillo ornatis, corpore quoque, quod ad colorem, plerisque veris Felibus ſimilis, medio hic inſiſtit loco. Feles vel immaculatae ſunt, uti F. Leo, F. Concolor, F. Discolor; aut ſunt ſtriatae, uti F. Tigris; aut denique maculatae, inter quas F. Pardus, F. Leopardus, et F. Iubatus pertinent. Inter maculatas et ſtriatas mediae ſunt F. Pardalis et Unca, maculis utpote, in ſerie poſitis, ornatae; inter maculatas vero et non maculatas F. Lynx, maculis non ſemper diſtinctis praeditus, uti quoque F. Caracal.

Sequentis generis animalia, Viverrae, Canum, Felium, et Muſtelarum proprietates in ſe coniungunt, et hinc diverſa haec genera connectunt. Roſtrum acutum cum Canibus, formam cum Mustelis, et falculas ſemiretractiles tantummodo cum Felibus, communes habent. Aeque ac hae, olfactu et viſu gaudent valde perfectis, oculos habent antrorſum poſitos et nocte fulgentes, cum, Felium quoque more, noctu eſcam quaerant. Paucae illae ſpecies, quas hic deprehendimus, adeo ſibimet ſimiles ſunt, ut nondum conſtet, an vere ſpecierum nomine appellandae ſint. Zibetha, Civetta, et Genetta ceteris magis cognitae ſunt. Quantum ad colorem, e Mustelis proxime ad Viverras accedere mihi videtur M. Sarmatica. Mustelarum genus amplum est: ſpecies

Digitized by Google

tamen ſingulae ſibi invicem valde ſimiles ſunt. Colore vel nigricante, vel fuſco, ſunt M. Galera, Canadenſis, et Zibellina; colore minus obscuro et roſtro albido M. Sibirica. Magis etiam albidum est rostrum in M. Putorio. M. Toina per totam gulam albido praedita est colore; M. Martes flavo. M. Erminea denique et M. Vulgaris tota inferiore corporis parte albido, ſuperiore vero, aeque ac ceterae ſpecies, fuſco ſunt colore. In M. Furo tandem nullus color fuſcus apparet, et totum hoc animal e flavo albidum est.

Quantumvis etiam Lutrarum genus, digitis palmatis praeditum, a ceteris diſtinctum videatur, tamen haec differentia non adeo inſignis est. In Viſone ſaltem illa numbrana parva eſſe videtur, cum ii, quibus conſpiciendi huius animalis copia fuit, illud modo pro Mustela, modo pro Lutra, habuerint. Tota vero forma cum Mustelis congruit.

Intercedente Lutrarum genere, quod e Falculatorum ordine ultimum est, ab his ad Pinnipedia tranſitus paratur.

TARDIGRADA ET EFFODIENTIA.

Praeter illos ordines, quibus intercedentibus, Mammalia cum reliquis tribus animalium vertebratorum claſſibus cohaerent, duo adhuc conſiderandi ſuperſunt. Animalia haec ſunt organiſationis inferioris, cum ſenſuum organa, excepto olfactu, parum ſint abſoluta.

Horum ordinum alter continet Tardigrada, cloacam habentia, certo indicio, organiſationem minus perfectam eſſe. Maiore antipedum longitudine, forma praeterea, et praecipue vultu, tum quoque, quod vitam in arboribus degunt, haec animalia cum Simiis conveniunt. Ventriculum quadruplicem, amplum intestinum rectum, et magnas glandulas ſalivales cum Ruminantibus communes habent; a quibus tamen valde diverſa ſunt, quod tractu intestinorum gaudent longe minore.

Non, niſi pauca animalia, hic invenimus, quae Cl. ILLIGER in tria genera diſpoſuit. Falculis longiſſimis in omnibus extremitatibus diſtinguuntur Bradypus Tridactylus et Choloepus Didactylus. Intercedente Prochilo Urſino, tranſitus fit ad formam vulgarem, cum in hoc animali antipedum falculae non tantae ſint, quantae in praecedentibus, ſcelidum autem parvae. Etiam, quod ad digitorum numerum, ille Prochilus ad formam vulgarem accedit. Quinos enim

in quoque pede habet digitos. Utriusque istius prioris generis animalia rostro praedita sunt brevi, fere uti Simii; Prochilus autem rostrum habet productum, labiis cartilagineis, protensilibus, munitum, unde apparet, eo intermedio, transitum fieri a Tardigradis ad Effodientia.

Uti Tardigradis soli dentes incisivi desunt, ita in Effodientibus nec dentes incisivos, nec laniarios, invenimus. Quin multa eorum plane sunt edentula, quae itaque vicissim transitum parant ab Effodientibus ad Reptantia. Motus eorum non valde celer est. Illa, quae pilis tecta sunt, Orycteropus et Myrmecophaga, uti iam monstravimus, Prochilo aliquantum affinia sunt. Quod attinet ad corporis integumentum, Manis et Dasypus tantum ab omnibus animalibus differunt, ut arduum sit, hic facilem quendam et naturalem transitum indicare. Mani cum Myrmecophaga commune est os omnino edentulum, uti quoque lingua longissima, teretiuscula, et emissilis. Dasypus autem, aeque ac Orycteropus Capensis, dentibus molaribus gaudet. Singulae species, ad Dasypodum genus pertinentes, adeo secum cohaerent, ut, cauda sensim longiore facta, et sensim aucto cingulorum numero, a Dasypode Tricincto ad Duodecimcinctum, unicam quasi faciant seriem.



Quatuor adhuc sunt ordines, qui pertractandi restant; e quibus Reptantia transitum parant a Mammalibus ad Amphibia, Volitantia ad Aves, Natantia ad Pisces, Pinnipedia vero ad Pisces et Amphibia. Non tamen haec animalia intermedia voco inter Mammalia et illas classes, sed vera esse dico Mammalia, quae non, nisi aliquibus rebus, a forma horum vulgari differunt, et, quod ad structuram quarundam partium, ad illas classes accedunt.

VOLITANTIA.

Volitantia sunt illa animalia, quae, volandi facultate praedita cum sint, Mammalia cum Avibus quasi connectunt. Quantumvis etiam Vespertilio a ceteris Mammalibus differre videatur, tamen ab eius forma tam singulari ad vulgarem aliorum transitus lenis locum habet. Iam in prioribus ordinibus nobis sese offerunt Pteromyum Phalangistarumque genera, animalium, quae, cute

Digitized by Google

corpus late cingente praedita, huius ope etiam aliquantisper in aëre sustinere se possunt. Inter ipsa vero Volitantia inveniuntur quoque Dermoptera, quae, licet quodammodo volitent, et caudam atque extremitates palama involutas habeant, tamen liberis gaudent manibus. Apud Chiroptera contra ipsae manus alae sunt. Sequens itaque, et lenis quidem, hic apparet transitus. Apud Pteromyn et Phalangistam soli antipedes cum scelidibus, membranae ope, sunt coniuncti; apud Galeopithecum etiam cauda et collum hanc coniunctionem participant; apud Chiroptera denique, praeter ipsas has partes, digiti quoque cum istis extremitatibus, per membranam talem, connectuntur. Quam prope singula genera singulaeque species ad se invicem accedant, mox videbimus.

Pleraque illa, quorum forma a vulgari longe distat, pollices antipedum falculis habent munitos. Apud Pteropodem et Harpyiam etiam digito indici falcula est. Nasus apud duo genera, Rhinolophorum et Phyllostomorum, miro prosthemate ornatus invenitur. Pteropodi cauda deest, Harpyiae brevis est, Rhinolopho aliquanto maior, Phyllostomo aut plane deficit, aut saltem patagio anali brevior est. Hac itaque in re hoc animal cum Noctilione Leporino convenit, uti quoque cum Saccopteryge Lepturo, quae etiam caudam habet, patagio anali breviorem, in eo autem cum Harpyia congruit, quod apex eius caudae liber est. Apud Vespertiliones e contrario cauda patagium anale vel aequat, vel aliquantum longitudine superat, uti apud Serotinum, qui itaque transitum quasi parat ad Dysopen Molossum, Vespertilionum more cauda praeditum longa, patagium superante.

Uti hic lenis nobis apparet transitus, sic etiam in aliis corporis partibus, e. g. in numero dentium, talem reperimus. Ita Harpyia in maxilla superiore duos, in inferiore nullos habet dentes: Dysopes praeterea etiam in inferiore duos gerit: apud Saccopterygem infra quatuor, supra nulli inveniuntur: Pteropus in utraque maxilla quaternis dentibus gaudet: Noctilio autem in inferiore duos, in superiore quatuor habet: apud Vespertilionem denique et Nycteridem plurimi dentes, infra nempe sex, supra vero quatuor, reperiuntur.

Pari ratione ex aliis partibus transitum indicare possemus, nisi hoc modo de via, quam sequi nobis propositum est, magis deflecteremus. Ad monstrandam affinitatem specierum inter ipsas, solum Vespertilionum genus eligimus. Vespertilio Auritus in superiore corporis parte griseus, in inferiore vero albus est, atque habet auriculas, corpore fere longiores. Apud Vespertilionem

Digitized by Google

BECHSTEINII auriculae aliquanto breviores ſunt, color vero idem. Eodem quoque colore, auriculisque etiam brevieribus, praeditus est V. NATTARERI, qui tamen patagio anali ciliato ab omnibus differt. Colorem plane ſimilem et auriculas aeque breves habet V. Murinus, ceterum corpore multo maior. Uti apud hos dorſi color est cinereus, ita V. SCHREIBERI infra ſupraque est griſeus, quare tranſitum parat ad alteram ſectionem, ad quam qui pertinent Vespertiliones ventrem non, uti praecedentis ſectionis, albo colore praeditum habent. Apud V. Murinum color dorſi e griſeo ad fuſcum vergit. Apud V. DAUBENTONII illius color est obſcurior, ventris tamen, uti apud praecedens animal, albidus. V. Discolor infra plerumque niveus, ſupra fuſcus est. V. Serotinus est ſupra pulchre bruneus, infra e bruneo flavus. Etiam V. Pipiſtrellus ſupra obſcurior, quam infra, invenitur. In V. Laſioptero tandem et V. LEISLERI eodem ſuperior inferiorque corporis pars colore praedita est. Pari modo hic tranſitus in ceteris generibus indicari potest.

REPTANTIA.

Ad Reptantium itaque progrediamur ordinem, ad quem quae pertinent animalia inter Mammalia et Amphibia atque Aves media ſunt. In his ſtructura capitis, et in Ornithorhyncho etiam rostri, ſimilis est, atque in Anate. Avibus vicina eſſe haec animalia, e ſivicula et calcare in pede Ornithorhynchi maris patet. Quod ad genitalium fabricam et cloacam, cum Amphibiis conveniunt, Ornithorhyncho praeterea etiam et in aqua, et in terra, vitam agente. Cum Mammalibus vero, tam pilis, quam cetera partium externarum internarumque figura, congruunt. Echidna partim Myrmecophagae, partim Hyſtrici, ſimillima est. De Pamphracto Squamato, an ſit Mammale, an vero Amphibium, nondum decidi potest.

PINNIPEDIA ET NATANTIA.

Duo tandem postremi hi ordines ita inter ſe conveniunt, ut a Mammalibus ad Pisces gradatim inclinare facile ſentias.

Phocarum genus, tam quod ad capitis dentiumque formam, quam quod ad quatuor liberas perfectasque extremitates, Mammalibus, et praecipue quidem

Digitized by Google

Falculatis, proximum est. Ferarum in modum, auriculas adhuc habent P. Iubata et P. Urfina; quibus vero P. Vitulina aliaeque omnino carent, qua itaque in re cum Trichecho Rosmaro conveniunt, laniariis fuperioribus permagnis a reliquis valde diverfo. Uti his fcelides adhuc diftinctae funt et palmatae, ita animalia e Sireniorum familia fcelides habent in caudam plagioplateam connatas, Cetacea vero iis omnino carent. Pinnipedia antipedes habent, digitis perfecte ungulatis inftructos. Manatus et Halicore adhuc gaudent antipedibus exfertis, pinniformibus, pentadactylis, digitis quaternis lamnatis. Apud Rytinam inveniuntur etiam antipedes brachiiformes, attamen callo ungulaeformi terminati, digitis apparentibus nullis. In Cetaceis nulli funt artus pectorales, nifi pinnae exunguiculatae; ventrales autem plane defunt. Propius etiam ad Pifces accedunt haec animalia, ob fpiracula illa fingularia, quibus aquam, ore haustam, eiiciunt, quod Pisces branchiorum ope perficiunt. Multa praeterea pinnam habent dorfalem, unde maior quoque apparet convenientia. Hac pinna tamen caret, cum aliis, Ceratodon; parva praeditus est Ancylodon; Delphinus vero aliique pinnam habent infignis magnitudinis.

In plurimis me errare posfe fateor, nec erroribus indulgebo.

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS CONRADI VAN HASSELT

MED. STUD.

IN ACADEMIA GRONINGANA

RESPONSUM

AD QUAESTIONEM, AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM PROPOSITAM:

CUM, LICET NATURAE CORPORA VARIO MODO INTER SE DIFFERANT, EX HUC USQUE COGNITIS OBSERVATIONIBUS TAMEN CONSTARE VIDEATUR, ITA COMPARATAM ESSE RERUM NATURAM, UT LENTO QUASI PASSU AB UNA SPECIE AD ALTERAM PROGREDIATUR, ATQUE SIC CONTINUAM QUASI CATENAM EFFICIAT, EX VARIIS QUIDEM ANNULIS, INTIME TAMEN IUNCTIS, COMPOSITAM, HAEC CATENA IN MAMMALIUM CLASSE DEMONSTRANDA QUAERITUR.

Digitized by Google

Dulce et decorum est perſcrutari Naturam.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Diu me retinuit rei difficultas; tandem vero exercitii causa gravem huncce laborem suscepi, cuius fructum non nisi timidus vobis offero, viri Clarissimi!

De catena, quae demonstranda in Mammalium classe quaeritur, eadem mea fuit opinio, quam Clarissimus TIEDEMANN his verbis exprimit. „Die Säugthiere sind gleichsam nur verschobene menschen oder gebrochene, „und aus ein ander geworfene strale seines bildes."

Ex hoc principio hunc meum laborem instituens, nihil mihi aptius videbatur, quam Mammalium divisionem ipsius huius auctoris meam facere, et, ut magis etiam eius principia opus meum sublevarent, in tres partes hanc demonstrationem divisi; cuius prima, Introductionis loco, eam naturalem divisi-

Digitized by Google

enem, quam in Mammalium clasſe propoſuit Clarisſimus TIEDEMANN, *toto regno animali communem ostendit, ut hoc modo eius diviſionis cum natura convenientia atque perfectionis progresſus, qui in animalium regno hac diviſione tam facile obſervatur, eo facilius et certius in Mammalium claſſe demonſtrarentur.*

Altera pars *generaliter agit de Mammalibus, ſicut introductio de animalibus: et, quamvis fere totus in tertia parte repetatur, tamen necesſarius mihi videbatur hic generalis proſpectus de Mammalium perfectionis progresſibus: quia ſic magis ex imo quaſi puncto incipientes, ſecundum eam diviſionem Clarisſimi* TIEDEMANNI, *Mammalium ordines conſiderare posſumus, atque eorum adeo minor vel maior cum hominum organiſatione convenientia apparet, ex qua ad minorem vel maiorem perfectionem concludi debet.*

Hic generalis proſpectus fundamentum tertiae partis *exiſtimari potest, in qua magis ſpeciatim de Mammalium ordinibus, familiis, generibus et ſpeciebus agetur. Quanquam nullo modo in omnibus generibus ab una ad alteram ſpeciem tranſire auſus ſum, praeſertim in quibus ſpecierum numerus admodum magnus est; verumtamen, quantum potui, generum et ſpecierum minorem vel maiorem convenientiam inter ſe, vel quod idem est, catenam Mammalium perſcrutatus ſum.*

Atque inſtitutum hac ratione primum meum opus vobis offero, cuius prin-

Digitized by Google

cipia praecipue e TIEDEMANNI et CUVIERII libris collegi; cum propria argumenta in hac naturae perscrutatione mihi nec essent, nec, si fuissent, mihi quidquam prodesse potuissent, cum semper sententiis clarissimorum virorum dicta mea stabiliri deberent: quod opus spero fore ut non plane vestra, Viri Clarissimi, attentione sit indignum.

Digitized by Google

Die Reproductionskraft ist um so thätiger, je einfacher das thier organisirt ist, oder um so mehr es blos aus einen darmkanal u. s. w. besteht.

TIEDEMANN.

Digitized by Google

INTRODUCTIO.

Differt in eo animalium vita a vita vegetabilium, quod illi praeter nutritionis et propagationis quoque mobilitatis et ſenſibilitatis actiones propriae ſunt: Vegetabilium enim vita tantummodo conſtat nutritione et ſpeciei propagatione. (1) In animalium vita praeter has functiones motum et ſenſus obſervamus.

Magis itaque complicata est animalium vita; non plantae ad inſtar uno eodemque loco ſemper manet animal, ſed tranſit ex uno ad alterum et, praeter hanc ſe movendi facultatem, rerum externarum affectiones percipit, quibus omnino orbata est planta: quae duae actiones ſolis animalibus propriae ſatis nobis ostendunt perfectionem, ad quam vita in animalibus pervenit, ſi cum plantarum vita comparamus.

Quatuor vero iam dictae animalium vitae functiones diverſis organis efficiuntur, quae propter ſuas actiones organa nutritionis, propagationis, mobilitatis et ſenſibilitatis nominantur, quorum duo priora in eo conveniunt, quod, vita ſibi propria, ex heterogeniis formant materiebus corpori homogenias et neceſſarias; quae actio utrique propria profluit ex vi reproducendi: actio motus autem praeſertim quarundam partium facultate ſe contrahendi efficitur, vel, quod idem est, *Irritabilitate:* et ſenſibilitatis tandem organa vi ſentiendi agunt.

---

(1) TIEDEMANN Zoologie ſ. 23.
„Das ganze Streben der Pflanzen ist auf die ernehrung und fortpflanzung oder reproduction gerichtet."

Digitized by Google

Quanquam ita in quocumque animali hae tres vires inveniuntur, tamen proportio earum virium in diversis animalibus quam maxime differt.

Vidimus iam in plantis solam vim reproducendi agere, quare minor earum vitae est perfectionis gradus; sic etiam in multis animalibus hanc vim reliquis praecellere facile observatur atque haec animalia maxime ad plantas accedere, ut sunt v. c. Polypi, quorum vis reproductiva adeo magna est, ut quacumque dissectione novus formetur polypus. (2) Cum Irritabilitate respiratio, sanguinis motus, systhema musculorum et ossium perfectione augentur, atque inde Zoologorum cum natura adeo conveniens animalium divisio in *invertebrata* et *vertebrata*. A Polypis per multas animalium series Invertebratorum organa motus et sensus magis magisque fiunt perfecta; usquedum in piscium classe tandem vertebras invenimus: ut unum tantummodo exemplum adducam; quis non observat insectorum progressum ad perfectionem, si cum Polypis comparationem instituat. In his enim nec caput (3) nec sensuum (4) organa inveniuntur, quae in illis occurrunt: hi unum eundemque locum (5) semper tenent, cum illa motus diversos perficiant; verumtamen reproductionis organa, tanquam producta inferioris vitae, in infimis animalium classibus, maxime ad plantas accedentibus, prius semet explicant et magis quam reliqua organa forma tenus cum organis supremarum classium conveniunt; tubum enim intestinalem iam in infimis polypis (6) videmus; qui, quanquam ad perfectiora adscendens, tamen iam primum typum suum in iis ostendit: certe, ut proprietates cuiuscumque animalis, ita duae reliquae vires iam polypis et aliis infimis adsunt; attamen primus ty-

(2) Reproductiva vis in polypis reliquis viribus praecellere patet satis ex hac observatione: quamquam in his perfectio organorum reproductionis multo quam in superioribus animalibus maior est, in quibus tanta reproducendi actio non observatur; tamen in iis reliquarum virium organa magis perfecta sunt atque cum perfectione organorum „werd das thier ein geschlossferes ganze," ut TIEDEMANN dicit; „zo das von Polypen durch alle thierclassen bis zum menschen alle theile ihres „organismus in eine werkzamer Sphäre träten, und alle glieder desselben in einem engeren bezuge „stehen."

In minima illa perfectione organorum irritabilitatis et sensibilitatis, qua diversa organa non adhuc diversas corporis partes formant; sed totum fere animal unum reproductivum organum constituit, forte, ut mihi videtur, causa quaerenda est, quare polypi plantarum modo ramificatione speciem propagent.
(3) TIEDEMANN pag. 23. (4) Idem pag. 30. (5) Idem pag. 30. (6) Idem pag. 30.

Digitized by Google

pus eorum organorum non adeo convenit cum perfectioribus irritabilitatis et ſenſibilitatis organis; id, quod in reproductivis organis obſervavimus: non ſolum enim musculi (7) et oſsa (8), ſed etiam, quae cum illis pari paſsu (9) progrediuntur, organa motus ſanguinis et reſpirationis (10) in infimis animalium claſsibus non inveniuntur. Satis itaque patet ex irritabilitatis organis infimarum claſſium, in his non, niſi umbram, adeſse eorum organorum perfectionis, quae in ſupremis claſsibus obſervatur; quaeque organa, tanquam effecta altioris vitae, ſerius, quam reproductionis organa ſe explicant, atque in iis infimis ſyſthema reproductionis illud est, in cuius actione ſola fere eorum vita conſiſtit: nam ea organa, in quibus vita ad maximam altitudinem adſcendit, ſenſibilitatis nempe, omnium postremum perfectionem adipiſcuntur.

Stricto ſenſu autem (11) dici poſset, nullum animal cerebro gaudere, niſi vertebratum, vel potius, in ſupremis Invertebratis non cerebrum, ſed ganglia in capite inveniri et piscibus ipſis hoc cerebrum gangliforme cum Invertebratis aliquo modo commune eſse: in inferioribus Invertebratis certe nihil, niſi ganglia, inveniuntur, cum nutritionis organis eodem loco ſita; atque in infimis polypis nec caput nec cerebrum nec nervi inveniuntur.

In omnibus vertebratis ſemper eundem ſenſuum numerum obſervamus, cum in invertebratis fere ſemper unus abest vel alter; donec tandem omnes in unum ſenſum communem transeunt.

Quanquam ex dictis obſervationibus ſatis patet, in infimis claſsibus totum corpus fere nihil eſse, niſi organon reproductionis, atque cum perfectione or-

---

(7) SPRENGEL in Phyſiologia part. 2. pag. 128. de musculorum motu dicit. „In diſtomatis „vero et amphistomatis Rudolphii, ut et in lingulis, omne fibrarum muſcularium vestigium evaneſcit, „nec ullum in Zoophytis ſuper est: motus animalculorum ſola tela celluları efficiuntur." (8) Poſitio et fabricatio oſſium ab omnibus animalibus diſtinguit vertebrata: in omnibus reliquis haec materies minus vel magis ſolida, organorum motus fundamentum, ſuperficiem corporis tegit, ſed in vertebratis a mollioribus organis tegitur, et in omnibus his mollioribus medium tenet: in vertebratis oſſa chemice conſtant praecipue ex phosphate calcis, in inferioribus ex carbonate calcis. (9) SPRENGEL pars 1. pag. 437. de ſpiritus ductu dicit „quo validior est et potentior irritabilitas, eo ampliora etiam ſunt et maiore arte conſtructa ſpiritus ducendi inſtrumenta." (10) SPRENGEL p. 438. Zoophytorum denique omnis ſuperficies aërem abſorbet et reſpirat, ut plantae. (11) SPRENGEL pars 2. pag. 183. licet cerebrum (inſectorum) duobus lobis conſtituatur, minoris tamen momenti est differentia eius a gangliis ipſis, quorum maior propago eſse videtur.

Digitized by Google

ganorum irritabilitatis et fenfibilitatis organa reproductionis diminui, ita ut in quacunque fuperiore clasfe proportio organorum irritabilitatis ac fenfibilitatis ad organa reproductionis fuperet proportionem inferioris clasfis, et denique cum hoc progresfu altiorem vitam nancifci animal, vel, ut verbis TIEDEMANNI utar „dasz es ein mehr gesllosfenes ganzes mache:" verumtamen non inutile mihi videtur modificationes organorum etiam in vertebratis perfcrutari.

In Animalibus vertebratis, ut in praecedentibus, frigidi fanguinis irritabilitatis, ut et fenfibilitatis, organa ab eorum, quae calido fanguine gaudent, fuperantur: multo in illis fimplicior (12) est musculorum fabrica; una tantum cavitas (13) est cordi et perfectio cerebralis fyfthematis illorum horum fyftemate multum est postponenda: fenfibilitatem ita et irritabilitatem in illis praecedit reproductio, quod facile patet ex innumerabili ovorum quantitate et ex corpore per integram vitam erefcente. Haec tamen omnia maxime de piscibus vera funt, vel infima frigidorum vertebratorum clasfe, inter vertebrata et invertebrata, quafi copulam formante: non enim pulmonibus, fed bronchiis refpirat piscis (14); idem, quod in fupremis invertebratorum obtinet; magis etiam in amphibiis osfium, musculorum (15) et cerebrale fyftema (16) ad fyftema animalium calidi fanguinis accedit, quibuscum etiam vocem, effectum pulmonum, communem habent amphibia; praeterea extremitates multorum amphibiorum magis funt exfertae, quam pinnae piscium totam vitam in aqua degentium, cum illa partim terra, partim aqua vivant: quibus omnibus a reproductiva piscium clasfe atque adeo vertebratorum infima ad magis irritabiles clasfes et fenfiles calidi fanguinis amphibiorum ope progredimur.

Duae clasfes calidi fanguinis, aves et mammalia, irritabilitatis et fenfibilitatis ad fupremum punctum pervenerunt. Irritabilitatis organorum perfectio avium perfectionem fuperat mammalium (17), in quibus, quod ad organa refpirationis, nec illae veficulae aëriferae nec illae osfium cavitates eodem ufui destinatae inveniuntur, quibus aves gaudent et ex qua conftructione celerior ille motus fanguinis et maior illa temperatura derivanda est. Sed eodem modo, ac irritabilitate, aves

(12) SPRENGEL pars 2. fol. 128. (13) SPRENGEL pars 1. fol. 415. (14) SPRENGEL pars 1. f. 460. (15) CUVIER Vorlefungen uber vergleichende Anatomie 1 Th. 3—4 und 5 vorlezung. (16) CUVIER 2 Th. f. 178. (17) CUVIER 1 Th. f. 61—63.

Digitized by Google

superant Mammalia, sic etiam sensibilitate a Mammalibus superantur; eodem loco quo, ad irritabilitatem, Mammalia inter amphibia sunt et aves; eundem etiam, quod ad sensibilitatem, aves inter amphibia et Mammalia locum occupant.

Sensibilitas est summum vitae punctum, quo fit, ut Mammalium classis reliquis omnibus praesit: systhema enim cerebrale maximam perfectionem adipiscitur in Mammalibus:

A polypis itaque usque ad Mammalia per multas animalium series adscendentes observamus facillime catenam (18), quam exhibet natura. In omnibus eaedem tres vires agunt, sed discrimen, quod observamus, tantummodo in modificatione harum virium consistit: secundum eundem typum, secundum quem polypus, etiam formatus est homo et ille typus non nisi perficitur.

---

(18) Solum hic catenam deducimus ex organorum perfectione quam sensim sensimque, magis magisque accrescere vidimus; at vero si, ut petrefacta demonstrant, animalium perfectio cum terrae perfectione pari passu progreditur, ea catena necessaria sequela est, quod TIEDEMANN his verbis exprimit: „alle Thieren scheinen nur Fortbildungen der Infusionen zu zein und alle Pflansen Fortbildungen des „Schimmels: das fortbilden scheint in gleichem Schritt mit der Entwickelung der Erde gegangen zu „sein, hier für spricht die Stuffenvolge der Versteinerungen aus dem untern Thierclassen bis zu „höheren. Von dem älteren bis zu neueren Erdlagen."

Digitized by Google

Der menschliche Organismus ist derjenige, welche alle Thierorganismen in höchster Harmonie in ſich vereinigt.

TIEDEMANN.

In dem einen Geschlecht (der Säugthiere) ist mehr dieſes Syſtem oder Organ in dem andern mehr jenes entwikkelt aber immer nur bey geringerer Ausbildung eines andern Syſtem.

TIEDEMANN.

Digitized by Google

GENERALIS PROSPECTUS DE MAMMALIUM PERFECTIONIS PROGRESSIBUS.

Vidimus in introductione, cum regressu organorum irritabilitatis et sensibilitatis, in toto regno animali organa reproductionis magis magisque se exserere usque dum tandem totum fere animal ex uno reproductivo organo constitutum sit, atque in quibusdam organa irritabilitatis, ut in avibus, in aliis sensibilitatis, ut Mammalibus, maximè explicata esse; nunc eodem modo in Mammalium classe, quamquam sensibilitate omnes classes ab illa superantur, organorum tamen modificationibus in his systhema sensibile, in aliis irritabile, in aliis iterum reproductionis reliquorum individuorum ratione praeesse, ex partium structura et proportione inter se observare conabimur, atque adeo cum TIEDEMANNO hanc animalium classem in tres ordinis dividere *sensilem*, *irritabilem* et *reproductivum*; cum reliqui ordines vel inter hos intermedii sint vel inter hos et sequentes classes vertebratas; a quibus omnibus excludit ille vir Clarissimus humanum genus, cum nec unum nec alterum organon reliquis praestet; sed, ut verbis TIEDEMANNI utar „auf dem höchsten Punckt der Organisation „steht" atque „alle Thierorganismen in höchsten Harmonie in ihm vereind sind" „ita ut „alle Thieren nur gebrochene und aus ein ander geworfene Strahlen „seines Bildes sind."

Ex hoc luminis centro ad radios transeuntes, quosdam illorum cum hoc centro magis, quosdam minus convenire, in hoc prospectu ostendere conabimur,

Digitized by Google

illudque applicare ad divisionem Clarissimi TIEDEMANNI et denique ex ea divisione ordinum catenam deducere, quam format natura in mammalium classe.

Ordiamur ab

Organis sensibilitatis

et primo loco a Clarissimi SOEMMERINGII (19) observatione de magnitudine humani cerebri cum reliqua corporis nervosa massa comparati: ostendit enim ille Vir Clarissimus in nullo alio animali tantam esse cerebri massam et nervorum tenuitatem, si cum cerebro comparatur; et si in censum adscribimus, in infimis Mammalium ordinibus Multungulorum, Bisulcorum, Natantium, etc. cerebrum quam plurimum diminui, comparatum cum corporis massa et e contrario nervorum massam, quo inferius animal, eo magis accrescere; haec posita usque ad infimos ordines constare, concludemus.

Pollicata (20), quod ad cerebri perfectionem, sequuntur homines. (21) In reliquis nec tantam hemisphaeriorum extensionem nec tantam convexitatem observamus et omnibus reliquis desunt lobi posteriores (22); atque tandem proportio inter magnitudinem cerebri et cerebelli Pollicatorum est proxima ei, quae hominum; cum regressu enim systematis cerebralis primum cerebrum diminuitur (23): aeque ac humanum genus, quod ad sensus, omnibus, ita praestant pollicata etiam reliquis ordinibus; solum organon olfactus hominis (24) perfectionem non acquisivit: etiam quod ad tactum, prope hominem sequitur simia (quod ex manuum forma postea patebit), cum in reliquis ordinibus fere semper unus vel alter sensus perfectior sit a natura cum reliquorum regressu (25): in Falculatis (26) enim visus et olfactus cum regressu tactus et gustus: in Salientibus, Prensiculantibus, Ruminantibus auditus et olfactus, quorum priora tactu postremum ordinem quam maxime praecedunt.

---

(19) TIEDEMANN Zoologie s. 103. (20) Sequar ubique ILLIGERI denominationes. (21) TIEDEMANN s. 314. (22) CUVIER Th. 2. s. 169. (23) Videtur cerebellum quasi primus typus vel potius processus vermiformis, cum cerebrum serius se explicet. (24) TIEDEMANN s. 315. (25) Idem 213. (26) Idem 339 „die augen sind grosf; die pupille ist oval in perpendicularer Rigtung und „sehr reizbar, denn am Tage ist sie fast ganz verengt, dahingegen in der Dunkelkeit erweitert sie sich, „wesswegen diese thiere auch in der Nacht sehr gut sehen: in der Nacht funkeln die augen wahrscheinlich als Folge der kräftigen irritablen äusserung der gefässhaut. Das gehör ist stärker als bei dem men„schen und den vierhändigen thieren, aber schwächer als bey den meisten Nagern und Wiederkauern, „wie auch die mittelmässige Grösse des äusseren Ohrs darthut."

Digitized by Google

In reliquis ordinibus omnes regrediuntur; in Tardigradis praecipuus adhuc est olfactus.

Organa motus.

Primo inter hominis fceleton (tanquam motuum fundamentum) et reliquorum Mammalium conparationem inftituamus.

Caput inprimis nostram attentionem meretur.

Trium regionum, quae caput formant, diverfa proportio est in diverfis ordinibus. (27) Post Hominem *Pollicatis* cranii regio maxima est, quae femper magis magisque diminuitur per hanc mammalium feriem *Falculatorum*, *Salientium*, *Prenficulantium*, *Bifulcorum*, *Multungulorum*, etc. (28), atque eodem modo est regio fenfuum; cum e contrario per eundem tenorem masticationis regio augeatur.

Ex hac obfervatione profluit diminutio anguli facialis, qui per eandem hanc feriem ab angulo recto in Homine usque ad Natantia in lineam fere horifontalem mutatur, cuius mutationis vel diminutionis anguli facialis productum est magis magisque accrescens os intermaxillare.

Non minus, ipfo capite, hominum capitis pofitio fupra truncum vel vertebrarum columnam attentione digna est et valde memorabilis: in omnibus enim reliquis foramen magnum magis magisque ad posticam capitis partem vergit; quo pars bafilaris osfis occipitis non, ut in homine, angulum acutum fupra lineam horizontalem, fed fere rectum infra eam (ut ita dicam) format, caputque fupra vertebras non aequilibrium tenet, ad quod vero fustenendum in iis ligamentum nuchae magnam aequirit foliditatem, cuius in homine non nifi umbra reftat.

Columnae vertebrarum curvaturae in folo homine funt, quarum, in anteriore corporis parte adfpecta, prima collo convexa, fecunda thoraci concava, tertia lumbis iterum convexa quartaque facro iterum concava est; fupra quam columnam aequilibrium tenet caput; quo fit, ut, fi a parte bafilari a margine foraminis magni linea ducatur perpendicularis, corpora vertebrarum colli, lumborum ut et promontorium facri haec attingat linea et denique fidat inter pe-

(27) Tiedemann f. 121 et 122. (28) Tiedem. f. 232

Digitized by Google

des: at vero quia céntrum gravitatis in medio fitum est inter fuperemam partem osfium ilii ad eandem altitudinem ac promontorium facri, demonftratur facile a linea perpendiculari in promontorio illud haerere centrum: quamquam autem centrum motus in acetabulis pelvis fitum fit, videmus tamen, fi ad pofitionem colli et capitis amborum osfium femoris attendimus, ex directione, duo illa puncta in unum convenire; fi fcilicet in directione colli amborum femoris osfium lineas ducimus, in unum punctum fe illas fecare, videmus; quod punctum illud idem est promontorium; centro itaque motus et centro gravitatis unum est commune punctum, fecundum leges Mechanicas ad aequilibrium in motu erecti hominis necesfarium. Hominis pelvi foli ea pelvis forma est; in reliquis magis magisque illam formam amittit pelvis; centrum motus et gravitatis non ibi amplius conveniunt.

Non folum longitudo, fed et gravitas infimarum extremitatum, hominum cum anterioribus comparatarum, fed etiam manuum fabrica et pedum, hos ad incesfum, illas ad tactum formatas ostendunt; quod in aliis ordinibus magis magisque diminuitur. Pollicatis et fupremis Prenficulantibus claviculae funt, ut hominibus; defunt Digitigradis; cum qua etiam evanefcit brachiorum rotatio manuumque tactus. (29)

A Pollicatis per feriem Prenficulantium, Falculatorum, Bifulcorum, Multungulorum et Solidungulorum (30) caput osfis humeri globi formam amittit, cum qua etiam rotationem; Bifulcis itaque motus tantummodo est ginglyformis. Quo magis extremitatibus anterioribus tantummodo ad incesfum utuntur; eo etiam magis fimplex ginglymus obfervatur.

In Pollicatis (31) fere, ficut in hominibus, radius circa axin torquetur; in fummis Prenficulantibus fere (32) idem, quod in Pollicatis; in infimis (33), ut Bifulcis, radii motus non est nifi ginglyformis; iam in omnibus Falculatis (34) radii rotatio obscura fit; in Multungulis (35) fimplex est ginglymus; in folidungulis et Bifulcis (36) ipfa ulna evanefcit; fic etiam in Volitantibus (37) at-

(29) Quamquam infimis ordinibus faepe funt claviculae, ut Effodientibus; quando vero tantummodo effodiendi caufa funt: ut volitandi Volitantibus. (30) TIEDEMANN f. 245. (31) CUVIER Th. I. f. 343. (32) TIEDEM. f. 440. (33) CUVIER f. 331. (34) CUVIER f. 349. (35) CUV. f. 350. (36) Idem f. 351. (37) Idem f. 351.

Digitized by Google

que in Natantium familia (38), quae Cetibus constat, tam humeri, quam carpi inmobiles sunt radius et ulna.

Pari passu evanescunt etiam musculi supinatores et pronatores (39), ita ut in Ungulatis non amplius inveniantur; in Volitantibus vero in flexores mutantur; donec tandem in Natantibus omnium musculorum non nisi umbra restat in tendinibus. (40)

Quo magis ad incessum serviant eo etiam longiora fiunt ossa metacarpi; cum e contrario longitudo ossis humeri diminuitur (41), eodemque progressu etiam augetur colli longitudo cum antipedibus comparata.

Exceptis Bisulcis ossium metacarpi numerus convenit cum digitorum numero (42), in quibus tamen os illud, quod canon dicitur, in prima aetate ex duobus ossibus concretum esse patet; in Natantibus etiam omnia concreta videntur.

Nulli Mammalium (43) proprie ultra quinque sunt digiti vel pauciores quam tres: digiti forma sua in homine sunt princeps organon tactus; qua in re ad eum proxime accedunt Pollicata, quae sequuntur prima Prensiculantium genera, extremitatibus anticis victum ori admoventia: sequuntur Falculata, praedam etiam illarum ope dilacerantia, cum in reliquis ad incessum tantummodo accommodatae sunt vel ad volandum vel ad natandum.

Pollicis positio et longitudo differt ratione ea, qua magis vel minus princeps organon tactus in manibus invenitur; atque in illis, in quibus pedes anticos relinquit organon tactus, etiam evanescit pollex.

---

(38) Cuv. Th. 1. S. 352. (39) Cuvier Th. 1. S. 363. dicit de supinatoribus „die Affen haben genau dieselben Muskeln (wie Menschen) die Fledermäuse haben keine Muskeln, welche bestimt „sind die Rukwärtswendung hervor zu bringen: diese Bewegung würde sie der Fähigkeit zu fliegen „beraubt haben.

„Die Katze und der Hund haben blos den kurzen Ruckwärtzwender; der lange fehlt ihnen. Das Kaninchen (una infimarum Prensiculantium specierum) had weder den einen noch den andern; auch „fehlen dieselben den Thieren mit getheilten hufen, den wiederkäuenden und den einhufigen Thieren"

et de Pronatoribus:

„die Affen und die fleisfressenden Säugthieren haben dieselbe Bildung in diesen beiden Muskeln: den „Fledermäusen, welche nur einen einzigen Knochen an ihren Vorderarme oder blos einen Anfang von Ellen„bogenknochen haben, fehlen die vorwärtswendenden Muskeln: das Kaninchen nur den rundlichen „Vorwärtswender cet." (40) Cuvier 1 Theil S. 364. (41) Cuvier Th. 1. S. 325 et 375. (42) Cuvier Th. 1. S. 375. (43) Cuvier Th. 1. S. 375.

Digitized by Google

Longitudo et positio pollicis in homine ea est, ut facillime omnibus digitis opponatur, qua facultate hominum manibus maxima perfectio est; decrescit ea longitudo in Pollicatis (44), cum eaque haec facultas.

In Salientibus, Prensiculantibus, Falculatis non omnibus adsunt Pollices; ubi vero sunt, positio ea est, qua reliquis digitis non opponi possunt, cum in una serie sit pollex (45) cum reliquis digitis; atque cum organo tactus evanescit in Unguliferis.

Eodem progressu etiam in digitis diminuitur musculorum apparatus. Iam in Pollicatis nec extensor brevis nec flexor longus pollicis invenitur et s. p.; donec tandem in Unguliferis totius apparatus nihil fere remanet nisi extensor et flexores communes. (46)

Cum tibia comparatum, nulli tam longum femur est, quam homini, quod decrescit ratione ea, qua accrescit metatarsus (47); quam ob causam in Solidungulis et Bisulcis externo aspectu fere non observatur, sed tegitur femur musculorum apparatu. Acetabulorum positione magis magisque in Mammalium seriebus femoris positio ab erecti hominis positione recedit; perpendicularis fere est in Falculatis infra vertebrarum columnam et in Unguliferis angulum format cum columna acutum. (48)

Tibiae Fibulaeque hominis positio perpendicularis sensim sensimque in obliquam mutatur inferiore musculorum insertione semimembranosorum et semitendinosorum (49): Fibula aeque atque ulna deest in infimis Mammalibus, in Solidungulis non est, nisi appendix, et in Bisculcis non amplius observatur. Metatarsus a metacarpo non differt.

In Pollicatis longiores sunt digiti, quam in hominibus et pollicis positio manuum motus affert: hominum manus ad tactum, ad incessum vero formati sunt pedes; at vero in Pollicatis manus et pedes non differunt; ex qua aequalitate

(44) Cuvier s. 377. (45) Tiedem. I. s. 343—344. (46) Cuv. I. Th. s. 391—400. (47) Idem s. 431. (48) Idem s. 429. (49) Cuvier I Th. s. 453. „Der halbmembranöse und „halbsehnige Muskel findet sich in den vierfüssigen Thieren wie im Menschen: allein zie setzen sich bei„de durch eine breite Sehnenhaut an das Schienbein; man muss auch bemerken, dass ihre Anzetzung „hier weiter unter als im Menschen geschieht, etwas was das Bein inme in einer halben Beugung er„hält, diess ist eine von den Ursachen, welche die vierfüssige Thieren aufregt zu gehen hindert, die „Affen haben auch dieze Anzetzung zehr weit unten."

Digitized by Google

etiam concludi posſe mihi videtur, Pollicata ad ſtatum erectum non formata esſe.

Musculus cutaneus, qui deest homini, eo fortior est Mammalibus, quo magis pes anterior ad ſolum incesſum formatus est. (50)

De *organis circuitus ſanguinis*, quae ad irritabilia, et *digestionis*, quae ad reproductiva pertinent, coniunctim agamus, cum ſemper, ſi haec accreſcant, decreſcant altera.

Poſitio baſis cordis ad centrum tendineum diaphragmatis in ſolo homine invenitur; in reliquis cor ſternum attingit atque ab hac poſitione in animalibus diviſio ſinuum et ventriculorum cordis in ſiniſtrum et dextrum dependet, cum in homine potius anteriorum et posteriorum nomina mereantur. Quod ad reliqua non magna differentia inter haec organa obtinet, niſi quod ad eorum magnitudinem. In Pollicatis nec irritabilia nec reproductiva organa valde praevalent: in Prenſiculantibus (51) reproductiva magis accedunt ad illa, quae Ruminantium ſunt (52): in his enim canalis intestinalis longitudo ad corpus est uti 25—1 cum in illis uti 8 vel 12—1; et in quibusdam Prenſiculantibus ventriculus, ut in Ruminantibus, ex duobus vel tribus ventriculis conſtet. In Falculatis (53) e contrario maximi ſunt pulmones, cum canalis intestinalis ad corpus ſit ut 3—1.

In Multungulis (54) medium tenent ea organa inter Falculatorum et Ruminantium organa; canalis longitudo ad corpus est ut 12—1. — Volitantium (55) digestionis et irritabilitatis organa proxima ſunt Falculatorum et Avium organis. In Natantibus (56) organa digestionis, praecipue ventriculus, accedit ad ruminantium ventriculum; Pinnipediaque hoc reſpectu ſunt inter Falculata et Natantia.

---

(50) Hic musculus necesſarius est ad contractandam cutim in dorſo inſecta depellendi cauſa. (51) Tied. ſ. 438. cet. (52) Tied. ſ. 392. cet. (53) Idem ſ. 338. cet. (54) Idem ſ. 500. cet. (55) Idem ſ. 529. cet. (56) Idem ſ. 543. cet.

Digitized by Google

Die Saugthiere ſind gleichſam nur verſchobene Menſchen oder gebrochene und aus einander geworfene Strahlen ſeines Bildes.

TIEDEMANN.

Digitized by Google

DE MAMMALIUM ORDINIBUS, FAMILIIS, GENERIBUS ET SPECIEBUS.

HOMO.

Humanum genus, cuius organismus ad fupremum perfectionis gradum pervenit, non tantas oftendit organorum modificationes, ex quibus in ceteris Mammalibus ceterae fubdivifiones exiftunt; fed in homine vel potius Erectorum ordine, in una familia, in uno genere, in una fpecie humana hoc non obtinet: climatis enim effectus, vel et vitae generis, non organismi diverfitates funt habendi; propagatio enim fecunda, quae tantummodo inter individua unius fpeciei obtinet, ab hominibus diverfarum regionum perficitur.

Hic vero nihil refert, characteres enumerare, quibus homo ab omnibus animalibus diftinguitur; pluris vero, minorem vel maiorem convenientiam oftendere fupremum hominum inter et unius vel alterius Mammalium ordinis organismum. Quam convenientiam cum in Generali profpectu in Pollicatis obfervaremus maximam, ad hunc ordinem nunc tranfeundum effe, fequitur.

POLLICATA.

Quadrumana. Convenientiam inter humanum genus et Pollicatorum ordinem proficifci praecipue vidimus ex perfectione organorum fenfibilitatis in Pollicatis;

Digitized by Google

regressu etiam horum organorum magis magisque Pollicata accedunt ad reliquos Mammalium ordines. Comparatione regionum capitis regressum hunc facile observamus: quam comparationem nos indicat angulus facialis: primis enim Quadrumanorum generibus Simiae ut et Hylobatae, angulus est facialis 65° (57), (cum inter homines etiam individua inveniuntur, quorum angulus 70° non excedit) et in genere Cercopitheco et Cynocephalo acutam observamus faciem 30° (58); ceterae autem omnes Pollicatorum familiae acutam illam faciem cum inferioribus Mammalium ordinibus communem habent.

Manuum forma etiam in Pollicatis magis magisque ab illa hominis perfectione recedit, cui princeps organon tactus est; sed sensim sensimque ad solum incessum manus formatae videntur: quae manuum perfectio cum facultate status erecti pari passu regreditur.

In supremis Quadrumanorum generibus, in ea specie, quae dicitur Orang, statum fere semper erectum videmus; manuum ut et lamnarum forma maxime etiam accedit ad hominum formam, cum in infimis ordinibus Leptodactylorum et Marsupialium (59) non manus sed pes anticus invenitur; atque corpus ad statum erectum minus minusque aptum videtur eadem ratione, qua centrum gravitatis magis ex pelvi recedit et cum extremitatum posticarum diminutione in corpus altius adscendit. Haec satis ostendunt, quo regressu organorum descriptorum infima Pollicatorum genera copulam formant cum superiorum Quadrupedum generibus; dentesque ipsi, qui ratione victus valde diversi sunt in diversis ordinibus, illorum generum catenam nobis demonstrant: in Quadrumanis enim aeque ac in hominibus *quatuor approximati primores* (60); in Prosimiis *supra* 4 *bigemini*, *infra* 6 *vel* 4; in Macrotarsis *supra* 4 *vel* 2, *infra* 2 *vel* 6; in Leptodactylis *infra et supra* 2; et in Marsupialibus quam maxime diversi sunt, cum in his 2 in aliis *supra* 10 *infra* 6 et sic porro inveniantur.

Distincte itaque, (si ad victum attendimus, qui tantos effectus in organismo producit), ex hac dentium patet diversitate infimorum Pollicatorum generum

---

(57) ILLIGERI Prodromus Mammalium pag. 67. (58) Idem pag. 68 et 69. (59) Leptodactyla reducta sunt ad Prensiculantia a TIEDEMANNO, qui Marsupialia cum Salientibus ILLIGERI ad separatum ordinem retulit. (60) Verba cursiva sunt ILLIGERI.

Digitized by Google

quaedam Prenſiculantium, alia Falculatorum organismum cum ſuo coniungere.

Primum itaque Quadrumanorum genus Simia, ſpecies praeſertim Troglodites vel Orang, erectum hominem ceteris iungit Mammalibus; Camperi angulus 65° et forma totius corporis, cuius ope omnium facillime erectus incedit, hanc post hominem principem faciunt Mammalium ſpeciem.

In genere Hylobatarum angulum facialem ad 60° reductum videmus. quibusque *erectis antipedes terram attingunt*. Cauda deest huic generi, quae in multis ad aequilibrium tantum est; quod brachiis reſtituitur ad inceſſum fere erectum, qui capitis poſitione forſan neceſſarius et, ſi adſcendit Centrum gravitatis, fortasſe minus facilis erat huic, quam Simiarum generi.

Generis Laſiopygarum *angulus facialis est inter* 50 *et* 60°; ſic etiam in genere Coloborum, quibus ob caudam tanta brachiorum longitudo neceſſaria haud erat: huc usque omnibus horum generum ſpeciebus ut Trogloditi et Satyro generis Simiarum, iisque quae dicuntur Lar et Moloch generis Hylobatarum, Nemeae et Nictitanti generis Laſiopygarum atque illi denique quae nominatur Polycomos ut et Ferrugineae generis Coloborum ungulae ſunt lamnares; in ſequentibus vero, in his *lamnares*, in aliis inveniuntur *tegulares*, vel quae mediae ſunt inter *lamnares* et *falculares* inferiorum ordinum.

Angulus etiam facialis in genere Cercopithecorum inter 45 et 60° est, in Cynocephalorum a 45 *usque ad* 30° diminuitur, qua cum diminutione etiam animalium feritas augetur, quod facile patet, ſi feram ſphingem cum ſuperioribus ſpeciebus comparamus. In infimis postremi huius generis ſpeciebus cauda prime decreſcit, imminuitur, evaneſcitque tandem, cum qua etiam diminuitur facilitas ſtatus erecti translato centro gravitatis; in his nempe cauda aequilibrium non reſtituere potest. Senſim itaque ſemſimque tota animalium forma magis magisque cum infimis convenientiam nanciſci videtur.

Haec ſex genera pertinent omnia ad orbem antiquis cognitum, quae *naribus ſepto tenui deremtis* a generibus orbis novi *ſepto lato* diſtinguuntur: ſenſibilitatis ratione, quam orbis novi generibus adſcribit Cl. TIEDEMANNUS, infimis orbis antiqui haec genera minime mihi videntur postponenda: in illis enim angulus facialis aequat 60°, cum infimae ſpecies orbis antiqui 30° angulo gaudeant: potius itaque ſeparatam ſeriem ducimus, cui ſecundum Laſiopygarum genus non ante ponendum videtur. Diverſas in his generibus caudas

Digitized by Google

videmus vel *Prehenfiles*, ut in generibus Atelarum et Mycetarum; vel *volubiles*, ut in Callitricum; vel *laxas*, ut in Pitheciis, Aotis et Hapalis: Cauda prehenfilis est inftar quintae manus, nam non minus accommodata est tactui; quae facultas diminuitur in *volubilibus*, et in *laxis* non obfervatur: tactus organa itaque praecellunt in iis, quae cauda utuntur prehenfili; id, quod praefertim motuum velocitati favens in toto vitae genere fuos effectus exferere debet; hinc a prehenfilibus incipientes per volubiles ad laxas progredimur.

Maxime prehenfilis cauda est Panifco, qui fpecies est octavi Atelarum (61) generis, *pilis parvis hic atque illic tecta*, cum plures pilos et longiores in fpecie quae dicitur Belfebub pluresque etiam in Seniculo generis Mycetarum (62) obfervamus; accedit itaque Seniculus magis ad Apellam Callitricium generis fpeciem (63), cui *cauda volubilis*, five media inter praecedentes prehenfiles et fequentes *laxas* Pitheciarum, (64) Aotorum (65) Hapalarumque (66) generum. Ungues etiam lamnarum formam amittunt. Sunt adhuc *lamnares* in genere Ateletarum, *tegulares* in genere Mycetarum, Callitricium, Pytheciarum, Aotorum et *iam falculares* in Hapalarum genere; auresque ipfae in infimo genere Hapalarum uti in quibusdam fpeciebus Cercopithecorum generis et Cynocephalorum orbis antiqui immarginatae funt et conveniunt cum inferiorum ordinum auribus

Profimii. Profimiorum (67) characteres infima iam Quadrumanorum genera quodammodo cum fuis coniungere vidimus. Facilitas corporis erecti fummis Quadrumanis propria diminuitur in infimis et plurimi tandem Profimii quatuor pedibus gradiuntur: acuta facies infimorum illorum etiam quafi praeparatio est ad faciem vulpinam horum. Obfervanda praecipue est in fpecie Oedipi, generis Quadrumanorum, Hapalarum, cum Profimiorum genere, Lemure, convenientia. Dentium primorum huius familiae tam numerus quam pofitio confiftit inter *quatuor Quadrumanorum approximatos* et diverfum numerum et pofitionem inferiorum ordinum; praeter duas mammas pectorales, quae ei communes funt cum Quadrumanis, duas habet ventrales, cum in inferioribus or-

---

(61) Ill. pag. 70. (62) Idem 70. (63) Idem 71. (64) Idem 70. (65) Idem 71. (66) Idem 71. (67) Ill. f. 72.

Digitized by Google

dinibus fere semper plures inveniantur; sic etiam, quod ad prolem. Accrescit in hac familia Tarsi longitudo, ita ut in genere Stenopum *aliquantum tibiis breviores sint Tarsi*, cum in sequente familia Macrotarsorum (68) (quae a Cl. TIEDEMANNO ad Prosimios reducitur), *Tarsi tibiis longiores* sint; quibus producitur magis postici pedis longitudo, quam et in multis Marsupialibus, in Salientibus et in fere omnibus Prensiculantibus videmus.

Clarisf. ILLIGER ad ordinem suum Pollicatorum omnia reduxit genera, quorum extremitates posteriores veris instructae sunt pollicibus et hanc ob caussam duas familias praecedentibus iunxit, Leptodactyla (69) et Marsupialia, (70) quae familiae, pollicibus extremitatum anticarum destitutae, accedunt ad ordines inferiores.

Clarisf. TIEDEMANNUS dixit de suo genere glirium Sciurorum (71), (ad quod etiam Leptodactyla ILLIGERI pertinent) medium esse inter Prensiculantia et Prosimios. Quod magis probari potest si inter ILLIGERI Prensiculantia familiam ponimus Leptodactylorum, in qua non nisi unum genus Chiromyum, et una species Madagascariensium, quae pollices extremitatum posticarum, uti Prosimii Quadrumanique, habet, cum vero pes eius anticus, uti in Sciuris Quadrupedibus, eo pollice destitutus sit: dentes praeterea glirium huic speciei etiam proprii sunt.

MARSUPIALIA.

Marsupialia (72), ad quae etiam ILLIGERI Salientia refert TIEDEMANNUS, media sunt inter Quadrumana, Falculata et Prensiculantia, ita ut quaedam genera magis ad haec, ad illa magis alia accedant. Quod ad cerebri formam, maxime cum Falculatorum Digitigradis (73) convenit haec familia. Quod ad Organa sensuum, Auditus et Olfactus, uti in Prensiculantibus, praeesse reliquis videntur; iam in infimis Quadrumanorum generibus oculi fiunt magis magisque distantes, in his vero ad capitis latera vergunt (74); sunt et illis Claviculae (75) aeque ac Quadrumanis et supremis Prensiculantibus: Marsupialibus ILLIGERI verus est pollex extremitatibus posticis; pes vero anticus

---

(68) ILL. 73. (69) ILL. s. 75. (70) Idem 75. (71) TIED. s. 445. (72) Idem s. 422. (73) TIED. s. 422. (74) Idem s. 423. (75) Idem 423.

Digitized by Google

cum Falculatorum pede convenit (76); in Salientibus vero ILLIGERI pedum forma maxime cum fupremis Prenficulantium convenire videtur: Organa digestionis maxime accedunt ad organa Falculatorum, fi Carnivora funt; Salientium vero Herbivora Prenficulantibus hoc refpectu proxima funt; in illis dentes etiam magis cum Falculatorum, in his vero cum Prenficulantium dentibus maxime conveniunt: propagationis organorum magnitudinem cum Prenficulantibus communem habent.

Genus Thylacidum (77) a TIEDEMANNO inter genus Didelphyum pofitum et Salientia, longitudine extremitatum posticarum ad Salientia et Prenficulantium fuprema accedit; *mediis etiam digitis coadunatis* posticorum pedum polliceque multo minore pollice Didelphyum cum ordine Salientium ILLIGERI maxime convenit; qui ordo (78) iis pollicibus deftitutus inter Marfupialium familiam ILLIGERI et Prenficulantium familiam Macropodorum medius est; *dentes etiam primores infra duo funt* et eorum digestionis organa proxima funt Herbivororum organis.

PRENSICULANTIA.

In Gliribus TIEDEMANNI feu Prenficulantibus ILLIGERI magnitudo organorum digestionis et adeo reproductionis diminuit magnitudinem organorum refpirationis feu irritabilitatis; in animalibus enim irritabilibus digestionis organa funt ad corporis magtudinem ut 3—1; in his vero ut 8 vel ultra — 1, pertinetque huc etiam organorum propagationis magnitudo. (79) Mobilitatis organa fupremorum Prenficulantium cum Pollicatorum infimorum organis maxime conveniunt; claviculae, quibus, uti illi, gaudent, motus promovent antipedum; antipedibus victum ori admovent cet: quae antipedum actiones tactum demonftrant; qua proprietate, ad fenfibilitatem reducenda et in inferioribus ordinibus fenfim fenfimque decrefcente, medius est hic ordo inter Mammalium fenfiles et inferiores praefertim reproductivos ordines.

Macropoda. Cum Salientibus ILLIGERI primo loco convenit genus Pedetarum (80) fpecies Cafrorum; cum genera Dypodum et Merionum magis ad Duplicidenta-

---

(76) TIED. 483. (77) Idem 430. (78) TIED. f. 430. (79) TIED. f. 446. (80) ILLIG. f. 81.

Digitized by Google

torum (81) formam accedere mihi videantur, quorum posticorum pedum longitudo Duplicidentatorum longitudini proxima est, quibuscum etiam *motum saltatorium* communem habent Duplicidentata; sic et aurium figura ambobus eadem est; claviculae superiorum ordinum tantummodo in hoc ordine musculis inseruntur, qui hoc respectu, medius est inter genera claviculas habentia et iis destituta.

Duplicidentata. Primo loco generis Leporum summae species, Tolai, Timidus, Variabilis ad Macropoda proxime accedunt, cum infimae, Nanus et Cuniculus, nos ad Lagomyum genus ducant; cauda in Cuniculo praesertim brevissima est, evanescitque in Lagomyum speciebus; quod genus postremum secundum TIEDEMANNUM medium est inter Leporum genus et Subungulatorum familiam. (82)

Subungulata. In antecedentibus iam generibus magis magisque falculae fiunt Ungulaeformes; donec haec denique familia (83) Subungulatorum nomen acquirit; qua cum falcularum forma motus antipedum solus fit incessus; claviculae etiam non amplius inveniuntur, atque haec falcularum forma in hac adhuc augetur familia. In specie Paca Coelogenyum generis, Aperiaque et Cobaia generis Caviarum haec res non ita comparata est, uti in speciebus generis Dasyproctarum quae Aguti et Acuchi nominantur; estque haec ipsa familia, quae et hac ungularum forma Prensiculantia cum Multungulorum Lamnungui-um familia coniungit, praesertim genus Dasyproctarum, cuius et Ungularum numerus maximam illarum familiarum ostendit convenientiam; cum postremum Subungulatorum genus Hydrochoerorum *Ungulis semipalmatis* Palmipedorum familiae quasi umbram ostendat.

Luculenter demonstrat convenientia illorum generum Subungulatorum Lamnunguiumque, cum regressu formae antipedum magis magisque inferiorum ordinum formam acquirere Prensiculantia.

Aculeata. At eodum modo, quo Subungulata Prensiculantium ordinem iungunt cum Multungulis, ita etiam ipsa Prensiculantia, Aculeatorum familia, cum (84) Falculatorum subterraneis iunguntur, genere nempe Erinaceorum, quocum singulare illud corporis pinnatum tegumentum etiam commune habet.

(81) ILLIG. 91. (82) TIED. f. 438. (83) ILL. p. 92. (84) ILL. p. 89.

Digitized by Google

Agilia. Genus Sciurorum, a Clarissimo TIEDEMANNO inter Prensiculantia positum et Prosimios, ad ILLIGERI Agilium (85) familiam pertinet, quod, ut antea diximus, quam maxime probabile est, si ad familiam hanc ILLIGERI traducimus Leptodactylorum familiam, in qua non nisi unum genus Chiromyum, una species Madagascariensium invenitur.

Ut Prosimii, vitam in arboribus degunt. Eodem modo, quo illi, victum ori adducunt; promovetur ille motus Claviculis. Uti illi, praesertim etiam fructibus nutriuntur.

Summis huius generis multis speciebus *caudae* sunt *longae*, *floccosae*, *distichae*; quae caudarum gravitas in motuum velocitate certe aequilibrium quodammodo restituit, quod manuum regressu hoc genus amiserat.

Infimarum specierum caudae minus longae minus floccosae, ut Getuli et Palmarum, transeunt ad Tamiadum genus, speciem striatam, uti illae infimae striatum etiam corpus habentem. Format illud genus Tamiadum copulam generis Sciurorum cum Myoxorum genere. Cum diminutione caudarum floccosarum magis etiam ad Murina (86) accedunt Agilia: genus Tamiadum, *cauda tereti attamen floccosa*, genere Myoxorum, speciebus Glirium, Dryadum, Nitelarum, praesertim vero Muscardinorum Murinis copulatur.

Murina et Cunicularia. In diversis (87) Murinorum et Cunicularioram generibus summae et infimae species in multis convenire videntur, ita ut quasi ex uno puncto diversa exeant genera et per diversas formas ad unum inferius redeant punctum; sic v. c. tam Arctomyum generis species Monax, quam Cricetorum species Acidulorum, cum genere Murium convenire videtur.

Eodem etiam modo Arctomys, per diversas formas, ut est species Bobax cet. specie Citellorum, et Cricetus per formas specierum Arenariorum, Furunculorum cet. specie Phaeorum ad se invicem accedunt; amboque ad infimas transeunt species generis Hypudaeorum in familia Cunicularioram ut Lemnus est Hudsoniusque cet.; cuius etiam generis species summae magis cum genere Murium conveniunt. Forma itaque generis Murium ea est, quae fere omnium generum summis speciebus communis est.

---

(85) ILL. p. 82. (86) ILL. p. 84. (87) De Pteromyum genere ut et Marsupialium Phalangistarum agemus cum ad Volitantium ordinem pervenerimus.

Digitized by Google

Iam in praecedentibus familiis, Macropoda sequentibus, ut et in generibus, post genus Sciurum, oculorum magnitudo sensim sensimque diminuebatur; in hac vero familia ad nihilum fere reducuntur oculi; atque hoc respectu etiam observamus, genus Murium reliquis praeesse; sic etiam, quod ad aures, quae in infimis non inveniuntur, ita ut fere dici posfit, his duobus sensibus externo aspectu diftitutas esse infimas species: Extremitatum tandem celeritas, huic toti ordini adeo propria, maxima est totius familiae generi Murium, cum in infimis generibus motus praecipuus sit cuniculos agere. Illud idem genus Murium, cuius plurimae sunt species, quae omnes, quanquam magnitudine, non forma differunt, similitudine sua cum Sericibus, Falculatorum genere, copulat Prensiculantia cum Falculatis.

Inter summas species generis Hypudaeorum plurimum, ut iam diximus, cum genere Murium convenientes, etiam recensetur Mus Amphibius, qui, quamquam *palama destitutus*, tamen facile natat et fere in aqua degit, adeoque nos ducit ad generis Fibrorum speciem muris Zibetici, cuius postremae extremitates, pro *palamis*, *longis instructae sunt pilis*; qua re facilius cum Palmipedis (88) Murina coniungit. Quae Palmipedarum familia *postremis digitis palama connexis* et postrema corporis parte, praesertim cauda, fere ut in piscibus, squamis tecta, nobis primam speciem mammalium natantium exhibet. Cum genere Fibrorum plurimum convenit genus Hydromyum, cuius species Leucogastrorum extremitatibus posticis *semipalmatis* media est inter Fibrum Zibeticum et *palmatum* Chrysogasterum; quae *palama*, *quam latiorem* etiam Coypus habet, et nos ducit ad genus Castorum.

Iam restant infima Murinorum et Cunicularicorum genera memoranda. Generis Hypudaeorum infimae species *Lemnorum et Hudsoniorum* cet. cum generis Cricetorum speciebus infimis Phaeorum cet transeunt in genus Georychorum, cuius species Talpinorum, Capensium et Aspalacium, ut et Typlorum generis Spalacium et Maritimorum generis Bathyergorum cum Subterraneorum infimis convenire videntur; quibuscum aurium oculorumque ut et antipedum uno verbo totius corporis forma convenit.

---

(88) Illig. pag. 82.

Digitized by Google

FALCULATA.

Ad ea, quae in profpectu generali adduximus argumenta de Falculatorum irritabilitate, in quibus illa vis maxime ceteris praecellit, nihil amplius addendum videtur. Antequam vero ad Falculata tranfimus, prius monendum est, nullum Marfupialium genus cum Falculatis tam convenire, quam genus Dafyurorum (89), cuius fpecies Macrourorum figura, ut et vitae genere, cum Falculatis imprimis convenit.

Sunt Falculata vel Digitigrada vel Plantigrada, quas proprietates aliae fequuntur: quamquam enim irritabilitas toti huic ordini prae reliquis viribus propria est, variis modis tamen exferitur i. e. in hoc genere vel in hac fpecie magis, quam in illa, obfervatur; ea etiam modificatione, quae in toto fuos effectus producit organismo, genera huius ordinis quaedam cum fuo aliorum ordinum organismum iungunt: fupremum punctum irritabilitatis obtinet in Digitigradis; quod praecellit multum Plantigradorum (90): in fupremo Digitigradorum genere Felium intestinalis canalis est ad corporis longitudinem ut 3: 1 et in inferiore genere Lutrarum ut 5: 1; cum in Plantigradorum genere Urforum fit ut 8: 1.

Ex quacumque harum divifionum Cl. ILLIGER conftituit duas familias; ex Plantigradis Plantigradorum (91) et Subterraneorum (92) familiam: e Digitigradis vero Sanguinariorum (93) et Gracilium (94) familiam.

Plantigrada. Inter omnia haec genera nullum certe harum familiarum tantam cum fupremis ILLIGERI Pollicatis habet convenientiam, quantam Plantigradorum genus Cercoleptarum; cuius fpecies *Caudivolvula* profecto ea est, quae Falculatorum ordinem cum fuperioribus coniungit; referebatur enim antea a viris eruditis (95) ad Profimios; quare facillime cum fuperiore illa familia convenientia apparere potest; attamen accurate obfervata in hac fpecie tam

---

(89) ILLIG. pag. 77. (90) Magis etiam haec victum quaerunt fructus, infecta et vermes vel animalcula, ad quae quaerenda non tanta opus est vi musculari: illis contra ad praedam quaerendam et dilacerandam vis muscularis quam maxima necesfaria est; cui victus diverfitati in Digitigradis pulmonum magnitudo et brevis intestinalis canalis tribuenda funt, cum in Plantigradis longior canalis intestinalis, minores vero pulmones fint. (91) ILLIGER p. 127. (92) Idem 123. (93) Idem 131. (94) Idem 135. (95) SCHREBER ad illam fpeciem.

Digitized by Google

dentium, quam et hallucis pofitio et figura ad Falculata eam pertinere docuit: ficut multae fpecies fupremae, ita etiam Caudivolvula commode posticis fedet extremitatibus, vitam in arboribus fere degit, caudaque gaudet volubili atque fructibus praecipue vefcitur. Nullum itaque reftat dubium, quin haec fpecies Falculata cum Pollicatis coniungat. Eiusdem familiae genus Procyonum fpecies Lotorum tam vitae genere, quam et fenfibilitate, qua, uti Pollicatorum, extremitates eius anticae prae reliquis gaudent, post Caudivolvulam fequi videtur et praeterea haec ipfa fpecies quodammodo cum Digitigradis coniungit Plantigrada; quanquam enim quod ad pedis formam ad Plantigrada pertinet, incesfu tamen magis Digitigrada est haec fpecies, ita ut femidigitigrada dici posfet: *Manicula* eius nuncupat ILLIGER *manuformia digitis longioribus*. Genera Urforum (96) et Gulonum omnium reliquorum Plantigradorum generum maxime cum praecedentibus quod ad vitae genus convenire videntur; cum ea, quae reftant, Nafua et Meles terram fodiendo, victus quaerendi caufa, inter Plantigradorum familiam et Subterraneorum media fint; praecipue postrema fpecies generis Melium, quae Labradorius dicitur, brevitate extremitatum et antepedum falcularium magnitudine maxime fubterraneis fimilis videtur.

Subterranea. Subterraneorum familia, cuius nomen vitae genus indicat, in multis cum infimis convenit Prenficulantibus; quod ex brevi defcriptione facile patebit: praeter vitae generis congruentiam Claviculae funt utrique; fenfuum externorum minorem perfectionem, ficut et extremitatum brevitatem, quam in illa, etiam in hac invenimus; eundem victum confumunt et in infimis fubterraneorum fpeciebus etiam pedum anticorum magnitudo posticorum praecedit.

Primo vero generi Erinaceorum (97) *rinarium prominulum* est ficut generi Melium, cum genus Centetarum *nafo proboscideo* diftinguitur; qui omnium reliquorum fubterraneorum characterem facit: quo fit, ut ad reliqua etiam ma-

---

(96) Genus Urforum in omnibus profecto convenit cum illis, quae fupra generatim de Plantigradis diximus: magnitudo pulmonum et canalis intestinalis ut in reliquis est: ficut haec, fructibus alitur; caufa vero, quare maiora dilaceret animalia tantum corporis magnitudini tribuenda est; nullo modo tamen cum Digitigradorum vitae genere comparari potest, quae non nifi animalium dilaceratione victum quaerunt. (97) Erinaceus quoque fe iungit cum Aculeatorum familia Prenficulantium ut antea diximus.

Digitized by Google

gis accedat hoc genus. Reliquorum omnium primo loco genus Soricum extremitatum forma, reliquorum extremitatibus cursui magis accommodata, praecedenti proximum est; quod speciebus suis Araneorum, Exilium cet. Falculatorum ordinem connectit cum ordinis Prensiculantium familia Murinorum, in tantum, ut etiam dentium forma, ceteroquin in Falculatis et Prensiculantibus adeo diversa, quodammodo conveniat: in fere omnibus Falculatorum generibus *quatuor* vel *plures primores* inveniuntur dentes; duo vero in genere Soricum, uti in Prensiculantibus, qui tamen quasi sunt *bicuspidati*, vel incisi, vel ex pluribus concreti videntur, ut communis Falculatorum typus servetur; *laniarii* vero, qui in omnibus fere solitarii sunt et primoribus longiores, in hoc genere breviores inveniuntur et numero plures, Prensiculantium *diasthema* quasi adimplentes. (98) Quae praeter sorices etiam ad subterranea pertinent, multa generum non procul absunt a diversis Murinorum generibus: ita Sorex plurimum convenit cum genere Murium; generis Mygalarum species Moschatorum cum genere Fibrorum, quod medium est inter Palmipeda Murinaque Prensiculantium et Falculatorum Subterranea.

Genus Condylurarum, species Cristatorum et Longicaudatorum, ut et genus Scalopum, species Aquaticorum, media sunt Mygalen inter et Talpam; extremitates enim posticae ad natandum, anticae ad fodiendum formatae videntur: Talpa tandem et Chrysochlorys cum infimis murinorum generibus, v. c. Bathyergorum, maxime conveniunt.

In Plantigradis praecipue quorundam sensuum externorum minor perfectio, *nasus prominulus* et extremitatum brevitas, ad fodiendum magis quam ad incessum formatarum, inferioris vitae sunt characteres: quibuscum enim magis magisque decrescit irritabilitas. Tiedemanni vero Digitigradorum familiis Sanguinariorum et Gracilium, quarum irritabilitas omnium Mammalium praecellit irritabilitati, haec vis ita generatim propria est, ut maior minorve huius defectus ex Falcularum forma et extremitatum longitudine, sola deducenda videatur, hac cum praedae quaerendae facultate, illa cum dilaceratione conveniente. Sanguinariorum familiae extremitates longiores sunt Gracilibus atque

(98) In Erinaceis scilicet supra solummodo duo, in Centete *supra et infra* duo sunt *Laniarii*, cum in Sorice *supra* 5 *infra* 2 inveniantur.

Digitized by Google

in familiae eius generibus irritabilitas est maior, quam in ceteris Mammalibus.

Sanguinaria. Incipiamus a genere Felium: (parum enim cognitum est genus Megalotidum, quod forte medium est, quod ad supremos ordines) cuius species diversae omnes *falculis acutis* sunt instructae *retractilibus voginatis:* qua falcularum forma omnium maxime ad dilacerandum aptae videntur; retractae enim semper acutae manent falculae atque non solum dentibus, ut reliqua genera, sed falculis etiam praedam dilacerat Felis. Quam plurimae in hoc genere inveniuntur species, ut sunt Leo, Tigris, Pardus, Leopardus, Oncia, Catus etc. in quibus omnibus irritabilitas generis huius facillime animadvertitur. Harum specierum pluribus pellis est maculis vel striis distincta; sic striata est Tigris, maculata Oncia, Leopardus, Iubata; cum alia inter striata et maculata animalia media sint, ut Pardalis. Genus Hyaenarum sequitur Felium genus; cum sequente genere Canum *falculae fixae* ei sunt communes; ut pluribus Felibus, Hyaenae corpus etiam est striatum. Genus Canum, quamquam recte ad sanguinaria refertur, tamen irritabilitate a praecedentibus superatur; lubenter enim vegetabilibus aluntur quaedam species. Primae species, ut Lupus, Familiaris, Vulpes, Aureus maioribus extremitatibus accedunt magis ad genus Felium; cum inferiores, Cinereus, Argenteus, Lagopus brevioribus pedibus cum Viverris magis convenire videantur, quibus etiam cum Viverris magis est acuta facies.

Genus Viverrarum Felem et Canem inter se iungit: corporis figura quam plurimum cum Felibus convenit, maculisque vel striis, quibus illud, hae distinguuntur. Magis vero deductum et gracile corpus earum est, cum brevioribus pedibus comparatum; falculae etiam mediae sunt inter Canum et Felium Falculas: *semivaginales* scilicet ac *semiretractiles* sunt: acuta facies cum Canum facie magis convenit, et tandem cum Felium visus egregius, tum Canum Olfactus in Viverris inveniuntur.

Gracilia. Corpore magis deducto Gracilium characterem habet genus Viverrarum, atque Gracilium genus Herpestarum (99) maxime cum Viverris conve-

---

(99) Hoc genus Herpestarum *digitis semipalmatis* quodammodo cum genere Lutrarum convenire videtur; verum tamen, quod ad totius corporis figuram, genus Lutrarum generi Mustelarum similius est.

Digitized by Google

nit, ſtriaeque; quae in Viverrarum Genetta, cet., in his etiam inveniuntur. Aliud genus Mephitidum cum genere Herpeſtarum et Viverrarum antea unum erat genus Viverrarum nomine; ab iis autem diſtinguitur *elongatis falculis antipedum foſſoriis;* qua falculorum forma etiam aliud genus ſanguinariorum inſignitur, Ryzaena, antea ad Viverras redacta, ſpecies Tetradactylarum. Hoc genus Mephitidum dicit TIEDEMANNUS anatomice nondum obſervatum eſſe; in multis vero cum Mustela convenire; cui opinioni ſi aſſentimur, dubia deſunt, quin genus Mephitidum, antea ad genus idem ac Herpeſtarum reductum, partim cum Herpeſte, partim cum Mustela conveniat. Genus illud Gracilium in aqua degens, *Palamis* natandi cauſa inſtructum, Lutra ſcilicet, ad Pinnipedia accedit; ſpecies vero Lutreolarum ſe tam arcte copulat cum genere Mustelarum, ut, ſi Palamis careret, haec ſpecies ad Mustelas pertineret.

Digitigradorum itaque familiae, primum propter extremitatum brevitatem in Gracilibus, tum *propter pedes ſubretractos et palmatos* accedunt ad Pinnipedia.

MULTUNGULA.

Multungulorum (100) ſyſtema cerebrale vel magnitudo regionis cranii magnitudinem, quae Biſulcorum est, non ſuperat. Inter ſenſus etiam auditus et olfactus (101) principes ſunt, ut in illis. Organa Mobilitatis ſunt media inter Falculatorum et Biſulcorum.

In Falculatis primo veri nominis Digitigrada vidimus, cum qua eundi ratione brachii rotatio ſenſim ſenſimque in Ginglymum mutatur et evaneſcit clavicula: haec omnia etiam in Multungulis videmus: brachii enim motus, ut in Biſulcis, non niſi Ginglyformis; digitorum numero et forma media ſunt inter Falculata et Biſulca: est enim eorum numerus in diverſis diverſus, non plures quam quinque inſiſtentes, non pauciores duobus, qui postremus digitorum numerus in genere Suum et Tapirorum, ut et Ungularum forma, maxime convenit cum digitis Biſulcorum.

---

(100) ILLIGER p. 94. (101) Naſi forma prominente totus hic ordo praeſertim convenit: *proboſcis prehenſilis* est in genere Elephantum: *naſus elongatus mobilis* in Tapiro; *proboſcis truncata marginata mobilis* in Sue et Lamnunguibus, quae in genere Hippopotamorum e Rhinocerotum mutatur in *immobile chiloma*.

Organa digestionis eodem modo inter Carnivora sunt et Herbivora media; quod idem obtinet ratione organorum irritabilitatis: est enim in Sue Scrofa canalis intestinalis ad longitudinem corporis ut 9: 1 (102) in aliis, ut in genere Hyraeum (103), secundum Cuvierium ut 15—1 et sic in cet.; dentes in hoc ordine quam maxime differunt; generi Tapirorum et fere omnibus speciebus generis Suum dentes sunt maxime cum carnivororum dentibus convenientes: in Elephantum genere solummodo duo sunt primores. (104) Ex his omnibus et praecipue ex organis digestionis satis patet, organizationem horum animalium, quanquam perfectio organorum praesertim mobilitatis Falculatorum multum est postponenda, mediam tamen inter Carnivora esse et sequentia Herbivora.

Hic vero illorum animalium proponere seriem nequeo, (105) verum tamen cum aliis ordinibus quorundam generum convenientia observari potest; non solum enim Lamnunguium familia cum Prensiculantium Subungulatis totius corporis forma convenire videtur; est etiam ei familiae pro *laniariis diastema*, ut in Prensiculantibus, vel Lanearii sunt minuti *decidui*; sed etiam genus Hippopotamorum in aqua plurimum degens quodammodo convenire videtur cum Pinnipedium ordine, ut et *cornua nasalia* generis Rhinocerotum cum

---

(102) Tied. f. 516. (103) Idem 519. (104) Qui vero non manducando inserviunt, sed defensioni; quo fit, ut veris dentibus, exceptis molaribus, careat Elephas. (105) Tied. f. 64. „Ebenso, „wie jedes Individuum mit der einfachsten Bildung anfängt und während seiner Metamorphose sich „mehr entwickelt und ausbildet, so scheint auch der gesammte Thierorganismus mit den einfachsten „Thierformen oder mit den Thieren der untersten Classen seine Entwicklung begonnen zu haben." Hoc idem obtinere, quod ad inferiores classium ordines, docent Petrefacta inferiorum Mammalium ordinum, et f. 70. „In der letzten Erdschichte findet man auch viele fossile Reste von Säugthieren, meis„tens aus der Ordnung der Wallfische, wiederkäuenden Thieren, Schweine und Faulthiere: aus den „Elephanten-geflecht E. Mammouteus et Americanus, aus dem Nashorngeflecht mehrere Arten: ein „geflecht, welches ausgestorben zu seyn scheint, Palâotherium; es giebt drey Arten, und z. w.;" f. 72. „Fossile Uberbleibsel von reissenden Thieren kommen nicht sehr häufig hervor; die bekannte„sten sind von Thieren aus dem Bären-geflecht." f. 73. „In dem Zeitraume, in welchen die vorherge„nannten Thiere lebten, war die Blühte des Thierorganismus, der Mensch, noch nicht hervorgetre„ten. Fossile Reste von Menschen — und Affen — hat man noch nie gefunden."

Quo inferiora animalia, eo etiam plura dantur petrefacta. — Ex quibus omnibus ultro patet, quare haud fieri posse mihi videatur, ut huius ordinis, item sequentium infimorum generum series proponatur: hic atque illic genera relinquebantur media, verum tamen multa evanuerunt, quibuscum etiam series.

Digitized by Google

frontalibus ruminantium: forte dici posset Sus Babyrussa pedum altitudine plus quam reliquae Suum species cum genere Tapirorum convenire et Tapirum naso producto mobili medium esse inter genus Elephantum et Suum: at vero in reliquis adeo differunt haec animalia, ut idoneam catenam statuere non ausim.

SOLIDUNGULA.

Solidungula. „Sie kommen in der Bildung der Sinnes — und Bewegungs-„organe den Wiederkauern am nächsten, in der Bildung des Magens und „Darmkanals aber den Schweinartigen Thieren" dicit TIEDEMANNUS; Olfactus enim et auditus, ut in ruminantibus, reliquis organis praevalent; pupilla etiam ovalis est et horizontalis: illae motus organorum partes, quae fere evanescunt in ruminantibus, appendices sunt in hoc ordine; sic fibula (106) et duo ossa Metacarpi et Metatarsi sunt quasi processus, et sulcum etiam habent concretus radius et ulna, quae omnia desunt ruminantibus. Ventriculus parietum duplicaturis non divisus est, uti in illis, et longitudo canalis intestinalis est ad corporis longitudinem ut 10—1, cum in ruminantibus sit ut 18 — usque ad 25—1: hinc in organis reproductionis magis cum Multungulis convenit hic ordo et dentes primores in maxilla superiore et laniarii, quamquam Herbivorus est, in Equo inveniuntur, uti in Multungulorum plurimis.

BISULCA.

Ad ea, quae iam in generali prospectu de magnitudine Bisulcorum (107) reproductionis organorum diximus cum regressu reliquorum organorum, aliquid hic addere non necesse mihi videtur. (108)

Tylopoda. De genere Camelorum dicit TIEDEMANNUS „die Thiere dieses „Geslechts machen den Uebergang von dem zweihufigen zu den einhufigen Thie-„ren:" pedes enim *subbisulci* et dentes laniarii vel et primores in maxilla superiore adsunt; sic etiam in Auchenias, altero genere Tylopodorum familiae:

(106) TIED. f. 523. (107) ILLIGER f. 102. (108) Cornua vel cerata, quae fere omnibus sunt generibus, demonstrant etiam vim reproductivam; illorum catena facile in oculos incurrit.

cum reliquorum vere Bisulcorum generum, ut Capreolorum, quibusdam speciebus in superiore maxilla unus sit dens caninus, et Cavicornium generi Antilopum in maxilla inferiore; in reliquis nec laniarii nec alii dentes sunt, nisi molares in maxilla superiore. Alterum genus Tylopodorum, Auchenia, magis ad cetera genera accedit: eandem generis Camelorum capitis formam, generi Equorum valde similem, etiam observamus in genere Camelopardalorum, cui cerata sunt quasi primordio *pelle obducta*.

Capreoli. In Capreolorum familia, parti corporis posteriori praecipue, generis Equorum forma est, cum pars anterior ad Cavicornium figuram accedat; differunt et inter se cerata huius familiae, alia sunt teretia dentata, ut in Elaphis, alia sunt palmata, ut in Alcibus, alia media sunt inter illa. Genus Antilopum corporis figura ad Capreolos, cornuum structura ad Cavicornia pertinet; medium adeoque tenet.

Cavicornia. Videntur cornua per multas curvaturas ad rectum transire et hac figura magis convenire cum genere Caprarum; sunt enim species cum duabus curvaturis, ut in Dorcade, Euchore cet. quae maxime capreolis similes; sunt et aliae una curvatura, inter quas etiam species Gnoum, cuius pars anterior Bovi similis est, et tandem aliae inveniuntur, quarum cornua vel recta sunt vel spiralia, inter quas Cervicapra, quae omnium maxime ad Capras accedit. Generi Caprarum, ut et Bovum, non ea est extremitatum longitudo, qua Capreoli adeo cum equo conveniunt, quaque genus Antiloparum inter Capreolos est et Cavicornia. Quaedam species generis Boum, ut species Moschata, corpore floccoso maxime accedunt ad species generis Caprarum corpore lanato, ut ad Arietem.

In duobus ordinibus praecedentibus non inveniuntur genera intermedia classium Mammalium reliquorumque vertebratorum; omnium tamen praecedentium infimos esse nemo certe dubitat.

TARDIGRADA.

In Tardigradis organa sensibilitatis omnia regrediuntur: tardus est motus, ex quo parva patet illorum irritabilitas: magis repunt, quam incedunt; breves sunt eorum extremitates posteriores, longae e contrario anteriores. Generi illorum Prochilorum *pedes sunt Pentadactyli*, generi Bradyporum *tridactyli* et Choloepedum antipedibus *duo sunt digiti*, *tres vero* scelidibus. Quod ad

Digitized by Google

Organa reproductionis maxilla inferior gravis est; dentes primores, qui ruminantibus *ſupra* deſunt, his deſunt *ſupra et infra*: eorum ventriculus, est ruminantium (109) magnus, non longus vero canalis intestinalis. (110) Ureteres, ut in avibus, exeunt in Cloacam; in genere Bradypodum et Choloepedum *Mammae duae ſunt pectorales.*

Singularem hunc ordinem (111) alii alligare ordini non auſim: ſolummodo illorum organorum convenientiam ostendam verbis TIEDEMANNI ſ. 312. „die Faulthiere kommen in der Form des Darmkanals mit den wiederkäuen-„den Thieren uber ein, in der Form der Bewegungsorgane aber, die Hände „ausgenommen, mit den Affen."

EFFODIENTIA.

Effodientium ordinis quaedam genera quodammodo cum infimis familiae Murinorum et Subterraneorum convenire videntur: breves horum extremitates, ungues foſſoriae anticae, in Vermilinguibus maiores, et naſus prominulus, character illorum infimorum, est etiam Effodientibus.

E Vermilinguibus Orycteropus antra fodit, ut Murinorum infimae et Subterraneorum. Generibus Myrmecophagarum et Manium *digiti ſunt obvoluti*, quorum postremum Manium genus *corpore toto ſquamis oſſeis imbricatis tecto* medium quaſi est ad Cingulata *trunco testa oſſea ſcutulata zonis mobilibus interſecta:* quo minor numerus zonorum, eo magis motus diminuuntur, et praecipue *testa illa oſſea* quamdam cum quibusdam amphibiis ſimilitudinem demonſtrant Cingulata.

VOLITANTIA.

De volitantibus dicit TIEDEMANNUS: „die Thiere dieſer Ordnung ſind „wie Ubergangsthiere zwiſchen der Claſſe der Säugthiere und der Claſſe der „Vögelen anzuſehen." Cerebellum (112) in hoc ordine maximum est, ad cerebrum ſcilicet ut 1—2 — 3. Ratione ſenſuum auditus et tactus praecipui ſunt

(109) Sunt, ut illi, vere Herbivori. (110) TIED. ſ. 487. (111) Petrefacta ſunt, de quibus TIED. ſ. 488. nota c. dicit: „CUVIER sur le megalonix; Animal de la famille des paresseux, mais de la „taille du boeuf et autre animal de la famille des paresseux, mais de la taille du Rhinoceros." (112) TIED.

Digitized by Google

(113): Quod ad Organa motus extremitates anteriores, uti in avibus, perfectissimae et claviculae longae sunt; ipsa extremitas saepe triplo corpus superat: pectoris alarumque musculi fortissimi sunt (114): irritabilitate ad aves accedunt; magnum cor, magnique pulmones cum irritabilibus avibus sunt Volitantibus communes; trachiae sunt cartilagines annulares, ut in avibus: uti his, etiam illis Epiglottides desunt. Quod ad organa reproductionis dentes proxime accedunt ad falculatorum dentes, et simplex etiam est illorum ventriculus, brevis canalis intestinalis.

In Marsupialium et Agilium familia genus quoddam intermedium est eorum ordinum et Volitantium: in Marsupialibus scilicet genus Phalangistarum (115), in Agilibus genus Pteromyum (116) *pedibus dermopteris patagio lumbari interdumque collari* ad Volitantia accedit: inter quae et Chiropterorum familiam genus Volitantium est Galeopithecorum, *pedibus dermopteris* cum illis et *patagio piloso*, at vero *patagio* cum his instructum *etiam anali:* eiusdem generis canalis intestinalis Chiropterorum Canali etiam longior est, eo ad Prensiculantia magis accedens.

REPTANTIA.

ILLIGERI Reptantium ordo, (117) quod ad cerebri partes, cum Mammalibus convenit, in reliquis vero quam maxime ab iis differt: desunt mammae, et cloacam habent, ut aves, sic etiam *rostrum productum;* in genere Ornithorynchorum *rostrum anatiforme*. Ab incessu repente nomen Reptantium huic ordini datum est, quam ad caussam hanc iungit ILLIGER „*ut affinitas eorum cum* „*amphibiis reptantibus indigitetur.*

Pili in genere Ornithorynchorum corpus tegunt, longi spini in genere Tachyglossorum, in genere incerto Pamphractorum in *squamas imbricatas* mutantur. Partim itaque cum Mammalibus, partim cum Avibus, partim cum Amphibiis convenit hic ordo.

PINNIPEDIA.

A vitae genere est, quare ILLIGERI Pinnipedia (118) a TIEDEMANNO Mammalia amphibia nominentur: flexili annulo oculorum scleroticae ad lentem

---

s. 529. (113) Idem s. 530. (114) TIED. 531 et 532. (115) ILL. 78. (116) Idem 84. (117) ILLIGER s. 114. (118) ILL. s. 138.

Digitized by Google

accedit cornea, dum animal in medio denfiore, in aqua, degit; pergit et fanguinis circuitus vel aperto ductu Botalli vel foramine cordis ovali vel plurimum facco venae cavae, cum aqua impedit pulmonum actionem: quo etiam tempore magnum Hepatis volumen fanguinis forte favet decarbonizationi (119). *Pedes funt retracti, obvoluti, palmati, postici diftincti, retrorfum verfi, fibi invicem approximati.* Ventriculus accedit ad amphibiorum et pifcium ventriculum; deest enim faccus coecus; eius fibrae vero musculares falculatorum funt; longus est canalis intestinalis; ad corporis enim longitudinem ut 28—1.

In multis ordinibus, praecipue vitae genere et adeo extremitatum forma, huius ordinis umbram obfervavimus; in Falculatis vere medium genus est Lutrarum; in aliis enim *pedes funt palmati*, verum in his *pedes funt palmati femiretracti.*

Reducit etiam Clar. TIEDEMANNUS ad hunc Pinnipediorum ordinem Sirenia, ILLIGERI Natantium familiam: cum tamen huius familiae *pedes postici non fint diftincti, fed in caudam plagioplateam connati et antici, non, ut in cetum familia, pinnae fint exunguiculatae, fed magis apparentes, obvoluti, brachiiformes, aut lamnati aut unguiculati;* media dici potest haec familia inter Pinnipedia et Natantia: cum eius genus, Rytinarum, *digitis apparentibus nullis* proximum fit Natantibus: dentes etiam, qui omnibus adfunt Pinnipedium generibus, Sirenium foli generi, Halicorum, infra funt 2 *primores;* in reliquis folummodo molares inveniuntur: cum in Cetibus fere omnibus pro dentibus *Elasmia* reperiantur. Sirenium corporis tegumentum etiam medium est inter Pinnipedia et Cete: *Pilofum* enim est Pinnipedium *corpus, pilofum* etiam corpus Sirenium generis Halicorarum; *fetis raris obfitum* generis Manatorum; *pilis nullis, fed epidermide fibrofa obductum* generis Rytinarum, et denudatum Cetum est corpus.

Adeo itaque divergunt radii ex luminis centro (Homine), ut perfecta manus, ala in Volitantibus ad aves transgredientibus, et pes retractus fiat in Pinnipedibus Amphibia proximis, tandemque pinna in Natantibus, Mammalium pifcibus; ita ut et Mammalium infimi ordines, ut TIEDEMANNI verbis utar, „im Wasfer, der Mutter alles lebenden, zuruckgeblieben find."

---

(119) TIED. 547.

HERMANNI DE RANITZ,

GRONINGANI,

IURIS CANDIDATI,

DE IURE NATURAE ET ETHICA COMMENTATIO,

AD

QUAESTIONEM,

AB ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM,
IN ACADEMIA PUBLICA, QUAE GRONINGAE EST,
ANNO MDCCCXVI PROPOSITAM:

„*QUANDOQUIDEM IN PRAESENTI STUDII PHILOSOPHICI* „*CONDITIONE, HAUD PAUCOS STATUERE VIDEMUS, DU-* „*AS ESSE DISCIPLINAS, QUARUM UTRIUSQUE HOMO EST* „*SUBIECTUM, ALTERAM* IUS NATURAE, ETHICAM *ALTERAM,* „*UTRAMQUE PECULIARI PROPRIETATE DISTINCTAM;*
„*QUAERITUR, NUM IUS NATURAE ET ETHICA VERE* „*DISCRETA SINT INTER SE,* ET *FONTE IDEARUM, EX QUI-* „*BUS UTRAQUE HARUM DISCIPLINARUM EXPROMATUR,* „ET *OBIECTIS, QUAE UTRAQUE CONSIDERET,* ET *FINE,* „*AD QUEM UTRAQUE TENDAT.*"

CUI PRAEMIUM ADIUDICATUM EST.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Ad quaestionem, ab Ordine Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum in Academiâ Groninganâ anno 1816 *propositam, sequenti commentatione respondere conatus fui. Videant rerum aequi iudices, quonam successu propositum attingere mihi licuerit.*

Ipsum opusculum in III Capita distinxi, quorum primum de Ethices fonte, obiecto et fine *agit;* de Iuris naturae fonte, obiecto et fine *alterum; ut tandem in tertio, instituta comparatione, videre possimus* de utriusque disciplinae inter se differentia.

Praemisi Introductionem Historicam, *qua demonstrare volui, Veteres ius et officium commiscuisse semper; Recentiores, inde a* GROTII *temporibus,*

Digitized by Google

haec ſeparaviſſe quidem; ſed, non obſervato iuris principio a GROTIO propoſito, in faciendâ diſtinctione inter ius et officium ſibi non conſtetiſſe, ad tempora usque viri ſummi KANTII, qui, in hac re aliam ſecutus viam, tandem firmo fundamento differentiam inter utramque disciplinam conſtituiſſe mihi videtur. Licet equidem ſciam hanc introductionem historicam in propoſita quaestione non postulatam eſſe, eam tamen non plane ſupervacuam, ſaltem ab ipſius quaestionis argumento non alienam duxi.

INTRODUCTIO HISTORICA.

§ I.

Ex eo, quo Philosophiam primum excoluerunt homines, tempore, multas quoque, easque diversissimas de bono ac iusto, de virtute ac iustitia protulerunt sententias viri docti. Alii aliquid esse natura bonum et iustum docuerunt; alii nihil esse iustum iniustumve natura putarunt; omnes vero iusti notiones ex vita sociali, ex educatione derivarunt. Quantae etiam dissensiones, quae opinionum diversitas prognata inter eos, qui virtutis et iustitiae existentiam ex ipsa hominis natura hauserunt; quorum quidem alii in felicitate, alii in perfectione finem posuerunt, ad quem homini sit enitendum, et ex quo vivendi rationem ac actionum leges deduxerunt. Veteres quidem Philosophi, uti et ex recentioribus illi, qui ante HUGONIS GROTII tempora vixerunt, inter iustum et bonum accurate non distinxerunt; ille vero, quem nuncupavi, GROTIUS, homines in hac re accuratiorem monstravit viam, ac sedulo iuris notionem separavit a notione boni, et doctrinam Iuris a doctrina Ethicae. Actiones humanas semper iusti legibus debere convenire docuit, ita quidem, ut, nisi iis morem gerat homo, aliis hominibus, sive universis, sive singulis, sit facultas illum cogendi, ne leges iustitiae violet; hinc omnes actiones, quas homo ex iuris lege vel edere vel omittere tenetur, referri ad *obligationes* simpliciter dictas, quas etiam vocant *obligationes perfectas.* Praeter has autem iusti leges, alias esse in humana natura positas, ab illis omnino diversas, docuit GROTIUS, *Morales*

nempe, five regulas virtutis, quibus homo, vi fuae naturae rationalis, impellitur, ut moraliter bene agat, et quibus tenetur obtemperare; ita tamen tenetur, ut, fi male agere velit, hoc, quod ad facultatem iuris aliorum attinet, ei integrum fit, neque iudex fit apud homines, cui de actionibus moraliter bonis malisve competat iudicium. Hae actiones morales referuntur ad *officia*, quae alii *obligationes imperfectas* vocant, et *disciplinae* ETHICES praebent materiam, cum *obligationes* ad IURIS NATURAE pertineant *disciplinam*.

§ II.

Non ita antiquitatis Philofophi, quorum apud veterem illum populum, in omni doctrinarum genere facile principem, Graecos, primus nobis occurrit SOCRATES, quem Divinum fere posteritas dixit. Ille enim SOCRATES „primus," quod CICERO ait, „Philofophiam devocavit e coelo — et coëgit de vita et mo- „ribus, rebusque bonis et malis quaerere" (1); nam ante hunc follicitі tantum fuerant Philofophi de rerum origine quaerenda ac explananda, cumque de coelestibus cogitarent, et de rebus occultis, et ab ipfa natura involutis, virtutes et vitia, resque bonas et malas nil curabant. (2) Cum illum SOCRATEM de iustitia disputantem audimus (3), ea videmus illum commifcere, quae funt Ethices, cum iis, quae ad Ius referuntur: quae quidem omnia, cum intus quafi vocem audiamus, haec nobis facienda iniungentem, alia omittenda praecipientem, a SOCRATE ad leges divinitus hominum in animis veluti infculptas referuntur, nulla diftinctione facta leges virtutis inter et iuris. Has vero omnes diverfas quidem agnovit a legibus civilibus, quarum funt fundamenta, neque quosdam homines, quamdam gentem tantum obligant, fed funt omnibus hominibus, quarumvis Rerumpublicarum civibus praefcriptae.

Nec PLATO, SOCRATIS discipulus, officia ab obligationibus diftinxit. Ille homini ad finem fuae naturae esfe enitendum docuit, et huncce finem beatisfimam esfe vitam existimans „fenfit tamen *in unâ virtute* esfe pofitam beatam vitam, „nec tamen beatisfimam, nifi adiungerentur et corporis, et cetera, quae fupra

(1) Tusculan. Quaest. Lib. V, Cap. 4. (2) CICERO, Academic. I, 4. (3) XENOPHON, Memorab. SOCRATIS, IV, 4.

Digitized by Google

„ dicta sunt, ad virtutis usum idonea! Ex hac descriptione *agendi quoque ali-„ quid in vita et officii ipsius initium reperiebatur*; quod erat in conserva-„ tione earum rerum, quas natura praescriberet. Hinc gignebatur fuga desi-„ diae, voluptatumque contemptio, ex quo laborum dolorumque susceptio mul-„ torum, magnorum, recti honestique causa, et earum rerum, quae erant con-„ gruentes cum descriptione naturae: unde amicitia existebat, et *iustitia* atque „ *aequitas*." (4) Videmus ex his, quomodo et PLATO, de quo pluribus hoc loco disputat CICERO, commisceat iustitiae et virtutis regulas, omnemque iustitiam ex virtute, quasi ex fonte, deduxerit; et hanc virtutem suae Reipublicae fundamentum posuit PLATO, ita ut ad beatissimam vitam cives pervenirent. (5)

Uti PLATO, ita nec ARISTOTELES, quem CICERO a PLATONE non differre pronuntiat (6), differentiam iuris obligationes inter ac virtutis officia videtur cognovisse. Ille quidem ius aliquod agnovit naturale, a legibus in civitate scriptis diversum, quod prius appellat *τὸ φυσικὸν δίκαιον*, cum posteriores efficiant *τὸ νομικὸν δίκαιον*, vel etiam aliis locis legem communem (*νόμον κοινὸν*) opposuit legi privatae (*ἰδίῳ νόμῳ*), et legi illi communi vim esse naturalem obligandi dicit; verum ad illam refert praecepta moralia, quibus parentes venerare, amicos beneficiis persequi, iisque, qui bene de nobis meruerint, gratiam referre iubemur (*τὸ γονέας τιμᾶν, καὶ φίλους εὖ ποιεῖν, καὶ τοῖς εὐεργέταις χάριν ἀποδιδόναι*). Ex quibus omnibus satis aperte patet, eum inter officia moralia ac iuris obligationes non satis distinxisse. (7)

Minime quidem (ut, quae hactenus disputabam, paucis complectar) negamus, Veteres percepisse alia esse officia, ad quae praestanda quis cogi possit, et alia esse libera a coactione; minime quoque negamus, Veteres recte distinxisse inter officia, tanquam partim repetenda ex virtute *iustitiae*, partim ex virtute *temperantiae*, ex quo utroque, veluti fonte praecipuo, omnes virtutes demanare censuerunt: sed illud recte asseverasse nobis videmur, veteres Philosophos et iustitiam et temperantiam praecipue considerasse respectu simpliciter ethico, nec dilucide neque explicite significasse, quid in officiis, aliis praestandis, dicatur iustum, quid honestum, attributo proprie constanti ac praecipuo.

---

(4) CICERO, Academic. I, 6. (5) Cl. VAN SWINDEREN, *Oratio de PLATONE, optimo in legibus condendis principiis magistro.* (6) CICERO, Academic. I, 4. (7) Conf. FRIED. BALLHORN, Commentatio de iure naturali Veterum; Gött. 1798, pag. 21, sq. imprimis pag. 26—28.

Digitized by Google

§ III.

Praecipuos Graecorum Philosophos quosdam iustum ac bonum, iniustum ac malum commiscere vidimus. Quid Romani fecerint, breviter etiam tangere liceat. Et hic ad TULLIUM CICERONEM primum oculos vertamus, necesse est, quippe qui Graecorum philosophiam primus cives suos docuit, atque, uti in multis aliis, ita et in his de patria optime meruit. Ille vero in libris *de Legibus* praesertim, attamen et in *Orationibus*, aliisque operibus, praeclara habet, ex quibus patet, eum ius aliquod agnovisse a natura existens, naturalem habens vim obligandi, quod omnes homines teneat, neque scriptis legibus aut demum constitui, aut mutari, aut abrogari possit, neque aliud sit Athenis, aliud Romae, neque populorum scitis sanciatur, sed in mente nostra quasi sit insculptum cum ratione illa, quam a natura accepimus. (8) Illam vero legem non ad actiones hominum vel iustas vel iniustas restrinxit CICERO, sed officia pietatis, virtutis hac lege contineri docuit; „atqui," inquit, (9) „si „natura confirmatum ius non erit, virtutes omnes tollantur. Ubi enim libe„ralitas, ubi patriae caritas, ubi pietas, ubi aut bene merendi de altero, aut „referendae gratiae voluntas poterit existere? Nam haec nascuntur ex eo, „quod natura propensi sumus ad diligendos homines, quod fundamentum iu„ris est." (10)

---

(8) Conf. de Legibus I, 16, 15, 16; II, 4. Pro Milone IV, de Republica III; aliaque loca. (9) De Legibus, I, 15. (10) Addatur idem de Inventione, II, 22, in verbis: „naturae „quidem ius est." etc. et de Officiis, III, 7, in verbis: „iustitia, in qua" etc. De Iure Naturae CICERONIS plurima invenire licet in eruditissima Disputatione Viri Consult. D'ENGELBRONNER, *de loco Ciceronis qui est* DE LEGIBUS, *Amstelod. Praeside* H. C. CRAS, *v. Cl.* defensa, 1802, inprimis Cap. II. § 2. et Cap. V. § 2. Consentientem habemus virum doctissimum in eo, quod dicimus, CICERONEM non distinxisse inter Ius Naturae et Ethicam; hunc autem recte non distinxisse contendit; ait enim (pag. 90), „alterum vitium, cuius caussa isti veterum iurisprudentiam vituperant, illud est, quod „iurisprudentiam naturalem ab Ethica segregandam esse, ne somniasse quidem veteres cernant. Pulcrum „somnium profecto, et multis, medius fidius, multorum vigiliis, longe longeque anteponendum! E„quidem non somniasse KANTIUM crediderim, cum Ethices et Iurisprudentiae eundem fontem esse „docuit, rationem. Iurisprudentia enim et Ethica tam aptae inter se ac nexae natura sunt, ut, qui al„teram ab altera distrahat divellatque, animi et corporis inducere discidium videatur. Utraque discipli„na e ratione exoritur; utraque actiones hominum regit; nec quoniam actionum externarum imperium

Differentiam Ius naturae inter ac Ethicam aeque minus observarunt, qui in fragmentis operum nobis servatis de iure philosophantur, ICti Romani, plurimi Stoicorum placitis addicti; et ob hanc causam de Stoicis antea nil dixi; quare nunc meam de ICtis Romanis sententiam veram esse, probare conabor.

Primo quidem notum est, Stoicos proprie iuribus tantum intellexisse illa praecepta, sive potius affectus physicos, quos communes habet homo cum ani-

---

„iuri tribuitur, Ethicae contra internae actiones subiectae dicuntur, idcirco hae disciplinae a se invi„cem divellendae videntur. Quasi vero in civitatibus, cum alius rei militaris curam gerit, alius iuris„dictioni praeëst, uterque non a summo imperante auctoritatem omnem munusque suum mutuetur." An distinguendae sint disciplinae Iuris Naturae et Ethices, in ipsa nostra commentatione videndum erit. Argumenta vero, quibus Doct. D'ENGELBRONNER suam, de iis non distinguendis, sententiam confirmare studet, non multum ponderis habere mihi quidem videntur. Quod enim dicit, utramque, etiam ex KANTII sententia, ex ratione oriri, quis neget? sed quid! ergo propterea Ius Naturae et Ethica unam tantum faciant disciplinam, quia eundem habent fontem? an non alio respectu diversae, atque omnino separandae esse possunt? aut forte singulae disciplinae, quae ex eodem fonte promanant, ex Doct. D'ENGELBRONNERI sententia, revera non differunt, sed unam eandemque tantum constituunt disciplinam? Ex hac profecto argumentatione ad tres tantum disciplinas facile reduceremus omnes, prouti vel experientiam, vel intellectum, vel rationem habeant fontem, quippe omnis humana cognitio ex his tribus tantummodo fontibus oriatur. Sic Historia naturalis, Physica, Astronomia, Geographia, Medicina, Historia, caet. unam tantum constituant disciplinam, quippe omnes experientiam habentes fontem; aut potius duae disciplinae essent, ex hominis natura, vel sensuali, vel rationali ortae; vel tandem una esset, eaque ipsum hominem habens fontem. Hinc videmus, quo hoc argumentum, quod probaret Ethicae et Iuris Naturae disciplinas non esse separandas ob fontem communem, nos ducat; nihil itaque probat. Quod sequitur de nexu, quo inter se iunctae sunt hae disciplinae, ut separari nequeant, argumentum non est, sed effatum, cuius probationem desideramus. Dein dicit, quoniam actiones externae obiecta faciunt unius, internae contra alterius disciplinae, idcirco disciplinas non a se invicem divellendas videri. Quare autem haec non idonea sit separandi caussa non addit, et id est quod quaerimus. Sequitur comparatio ex civitatis moderatione deprompta. In rebus philosophicis argumenta, ex comparatione quadam desumta, non multum quidem probant: illa vero, quam Doct. D'ENGELBRONNER proponit, nihil plane efficit; imo, si quid probat, contra ipsum probat. Namque an propterea quod, cum is, qui rei militaris curam gerit, tum is, qui iurisdictioni praeëst, a summo imperante auctoritatem omnem mutuetur, ad eandem provinciam utriusque pertinent res? an non potius necessario hae a se invicem sunt separandae et distinguendae provinciae, ut quaeque sua tantum regat obiecta, nec altera cum altera quid habeat commune? Porro huius comparationis vis nititur argumento primum proposito, hoc nempe, quod, quae ab eodem fonte descendunt, res non possint separari; quid autem hoc probet supra vidimus, cum et plures aliae adsint caussae, quare in specie diversas dicamus disciplinas.

Digitized by Google

malibus, quique absolvuntur sui, generis, ac sobolis conservatione (11); et quod ad haec ita dicta *Iura* attinet, de iuris a virtute separatione nihil quidem cogitari potest; sed praeterea, ubi disputant de iustitia et de iure Gentium naturali, commiscuerunt virtutis ac honestatis regulas cum iis, quae ad ius pertinent. Probare hoc videtur illa ULPIANI (12) aequi ac iniqui, et liciti ac illiciti commixtio, eo loco facta, ubi philosophica ratione de iure ac iustitia disputat, ubi ergo notionem iuris separare debuerat ab aequo et licito, sive ab aequitatis et virtutis notionibus; probare hoc videtur eiusdem iustitiae definitio: „*est constans et perpetua voluntas* ius suum cuique tribuendi." (13); *constanti* quippe et *perpetua voluntate virtutem* intelligebant Stoici; ita vero haec definitio minime apta est ad disciplinam Iuris, a disciplina Ethicae bene secernendum; probare hoc videtur Iuris praeceptum, *honeste vive!* (14). ULPIANUS quippe hic honestatem non eam intelligit, legibus praescriptam positivis, atque in civitatem introductam; verum de iustitia et iure philosophatus, et iustitiam virtutem esse disputans, honestatem illam naturalem, quam et virtutem dixerunt Veteres, hoc Iuris praecepto contineri voluisse videtur. (15) Porro ad ius Gentium a POMPONIO refertur „erga Deum religio, ut parentibus et „patriae pareamus" (16) quae quidem, ad officia virtutis pertinentia, ad iuris, aut Naturalis, aut Gentium, obligationes referri numquam possunt. (17)

(11) Pr. I. de I. N. G. et C. L. 1. § 3. ff. de Iust. et Iure. (12) Lex 1. § 1. ff. de Iust. et Iure. (13) L. 10. pr. ff. eod. (14) L. 10. § 1, laud. (15) Vide tamen omnino quae de significatione trium regularum iuris egregie disputat Doctiss. F. L. VAN SONSBEECK in Diss. *ad Leg.* 10. *ff. de Iustitia et Iure etc.* Groningae 1809, inprimis vero p. 16. seqq. (16) L. 2. ff. de Iust. et Iure, I. L. 1. § 4. eod. (17) Mihi, ICtos Romanos non observasse distinctionem inter officia ac obligationes statuenti, obiici posse L. 17, § 3. ff. *commodati*, equidem scio; in qua lege PAULUS distinguere videtur inter officium et obligationem: verum non opposuit hic PAULUS *officium virtutis*, nullam cogendi facultatem praebens, *obligationi Iuris naturali*, cuius adimpletio exigi potest; sed *suscepta obligatio* PAULI est obligatio *Iuris Civilis*, et hanc, ubi suscepta est, ab eo distinguit, quod, ante obligationem susceptam, magis esset voluntatis et officii; ut adeo ex hoc PAULI fragmento concludi non possit, eum quamdam distinctionem observasse inter *officia virtutis*, et *obligationem Iuris* NATURALEM. Ast vide Cl. GRATAMA, Regtsgel. Magaz. I D. pag. 426. not. 185.

Digitized by Google

§ IV.

Atque hac ratione pro instituto satis mihi videor de Iuris naturae ac Ethices praeceptorum commixtione ab antiquitatis philosophis dixisse. Iis temporibus, quae postea venerunt, barbariei densa caligine ita fuere involuti populi Europaei, ut de philosophia excolenda ne cogitatum quidem fuerit. Tandem vero ex tantis tenebris sensim lux affulsit hominum ingeniis, bonasque artes et doctrinas iterum excolere coeperunt viri prae aliis docti; nec tamen hi Ius Naturae evexerunt ad disciplinae separatae dignitatem, verum cum Ethica, cum Theologia positiva, cumque legibus positivis hic illic permixta singula tractaverunt iuris naturae capita. GROTIUS, de auctoribus, qui ante ipsum scripserant, locutus, „illi," inquit, „omnes de uberrimo argumento paucissima di„xerunt, et ita plerique, ut sine ordine, quae naturalis sunt iuris, quae Divi„ni, quae Gentium, quae Civilis, quae ex canonibus veniunt, permiscerent „atque confunderent." (18)

§ V.

Ecce vero, ille ipse GROTIUS, qui primus (19) iuris, quod a natura ac ab aeterno, et immutabile existit, disciplinae systema exstruxit, illudque certis principiis, ab aliis disciplinis distinctis, inaedificavit, suisque limitibus circumscripsit. Omnes, qui ante hunc venerant GROTIUM, quasdam dedisse iuris notiones, cum legibus moralibus ac positivis commixtas, vidimus, nec has ex certis quibusdam principiis, veluti ex fonte, deductas, atque in artis formam redactas; nam alii ex Deorum voluntate illas derivarunt; ex humana natura, ad beatam vitam tendente, alii. Quid vero GROTIUS fecerit videamus. Hic separavit illud, quod revera *iustum* est, a virtutis, ab aequitatis ac politices regulis: „illud „quoque sciendum," inquit (20) „si quis quid debet non *ex iustitia propria*, „sed *ex virtute alia*, puta liberalitate, gratia, misericordia, dilectione; id, sicut „in foro exigi non potest, ita nec armis deposci. Nam ad utrumque horum

---

(18) GROTIUS de I. B. et P. Proleg N°. 37. add. Cl. GRATAMA; Regtsgel. Magaz. I D bl. 8, sq. (19) Vide Cl. GRATAMA, l. l. pag. 1, sq. (20) De I. B. et P. II, 22, § 16.

Digitized by Google

„non fufficit, ut id quod postulatur fit *ex morali ratione* faciendum, fed prae„terea opus est in nobis *ius* quoddam fit ad illud, quale ius interdum leges „divinae et humanae dant etiam circa debita aliarum virtutum, quod cum fit, „nova tunc debendi ratio accedit, quae iam ad iustitiam pertinet:" quo loco quis clarius, quis apertius, quis melius probat, eum ius naturale a virtute et a legibus pofitivis diftinxiffe. Praeterea „temperavi me ab his," inquit (21), „quae funt alterius tractationis, ut quae docent quid *ex ufu* fit facere; quia „ista fuam habent artem fpecialem, *politicam*."

Uti autem ab aliis disciplinis feparavit Ius Naturae GROTIUS, ita et hanc disciplinam fundamento fatis firmo inaedificavit, illamque ftabilivit, certum illi principium affignando, ex quo quid iuris fit poffit dignofci. Nempe, quod initio huius loci breviter diximus, GROTIUS in iis, quae iuris funt, obligationibus exigendis facultatem cogendi pofuit; hanc vero facultatem hominibus negavit in iis, quae ad virtutem fpectant, ita ut cogere poffimus alios, ut iuris obligationibus fatisfaciant, ut virtutis praeceptis morigeros fe praeftent illos cogere non poffimus; hoc profecto nihil efficiebat ad disciplinam ordiendam, nifi et fimul GROTIUS nos docuiffet, unde dignofci queat, utrum quis hanc alium cogendi facultatem, ut hic aliquid faciat omittatve, habeat, an minus, et huius rei principium propofuiffet. At vero hoc principium in neceffaria ac rationali humanae focietatis cuftodia pofitum effe docuit. Ex humanae nostrae naturae indole Vir fummus probavit, hominem effe naturam (ens) focialem, cui proprium ac naturale est cum aliis, fibi fimilibus, in focietate vivere: „inter „haec autem," inquit (22), „quae homini fint propria, est appetitus focietatis, id est, communitatis, non qualiscumque, fed tranquillae, et pro fui in„tellectus modo ordinatae, cum his qui fui funt generis:" et porro: „haec „vero," inquit (23) „quam rudi modo iam expreffimus, focietatis cuftodia, „humano intellectui conveniens, fons est eius iuris, quod proprie tali nomine „appellatur." Ex hac vero focietatis humanae rationali ac neceffaria cuftodia, quid iustum, quidve iniustum fit, derivat GROTIUS (24); eo fcilicet redit doctrina GROTII, ut, fi de actionis alicuius cum naturali iustitia quaeratur conve-

(21) l. l. Proleg. N. 57. (22) l. l. Proleg. N. 6. (23) Ibid. N. 8. (24) Exempla exftant de I. B. et P. I, 1. § 3. N. 1. et I, 2, § 1. N°. 3.

Digitized by Google

nientia; vel disconvenientia, videndum fit, an posfit fubfiftere, falva et illaefa aequali hominum focietate; fi posfit, iustam pronuntiat actionem; fin minus, iniustam eam dicit: iusti itaque regula, ex mente GROTII, haec esfe videtur: *Ita age, ut actio tua non adverfetur notioni focietatis humani generis necesfariae et rationalis.* (25)

Praeterea GROTIUS ius naturae derivavit ex principiis hominum internis, ex fua ipfius natura, nulla ratione habita alius cuiusdam naturae, five entis fuperioris, quod auctoritate decreverit quid fit iustum, quidve iniustum: „et „haec quidem" (fcilicet ius aliquod inter homines existere) „quae iam dixi„mus," inquit (26), „locum aliquem haberent, etiamfi daremus, quod fine „fummo fcelere dari nequit, non esfe Deum, aut non curari ab Eo negotia „humana." Ab hac vero GROTII doctrina inter plures recesferunt PUFFENDORF atque BARBEYRAC, qui iuris naturae vim obligandi ex voluntate Dei derivant (27) uterque tamen ratione diverfa.

§ VI.

Post GROTIUM Iuris Naturae Doctores plerique, huius vestigia fecuti, omnes hominum obligationes morales diftinxerunt in *obligationes iuris* ac *virtutis*; priores dixerunt plurimi *obligationes perfectas*, posteriores *imperfectas*. Hisce adimplendis quemvis hominem teneri docuerunt, quatenus velit honeste, pie, probe vivere; fi vero fenfuum malit illecebris morem gerere, fi affectus male moderatos malit fequi, nemo est, qui eum cogat, ut obligationibus imperfectis fatisfaciat: in his igitur, quod aiunt, nulla est facultas cogendi. In prioribus contra facultatem cogendi inesfe ftatuunt; ita ut alii, quibus ius est acquifitum ab alio petendi, ut hic aliquid aut faciat aut omittat, fi huic obligationi non fatisfaciat, hunc cogere posfint, ut, quod facere ex iure tenetur, revera faciat. Utut in hac diftinctione plurimi eandem fecuti fint viam,

---

(25) Conf. Cl. GRATAMA, l. l. p. 25, fq. et doct. S. GRATAMA, in Diss. inaug. de iure et iniuria, p. 124, fqq. (26) l. l. Proleg. N. 11. add. N. 12: et L. I, 1, § 10, N. 1, 2, et 5. Cl. GRATAMA, l. l. p. 24, fq. (27) PUFFENDORF, de O. H. et C. I, 2, § 5: et de I. N. et G. II, 3, § 4 et 19: et BARBEYRAC, ad haec loca, in Gallica verfione.

Digitized by Google

alias plane ingressi sunt, easque inter se diversissimas, simulac eo ventum esset; ut aliquod principium esset ponendum, ex quo posset cognosci, quaenam iam nunc pertineant actiones ad obligationes perfectas, quaenam contra ad imperfectas; atque ubi de hoc principio inveniendo quaestio agitabatur, mirum in modum ea iterum commiscuerunt, quae honestatis sunt, cum iis quae sunt iuris; nonnulli iuris naturae principium petentes ex Dei voluntate, alii ex communi hominum salute, utilitate, felicitate promovenda; ex perfectione, ad quam perpetuo tendat homo, alii; ad hoc opusculum autem non videtur pertinere haec omnia, ne si pro viribus possem quidem, ad examen revocare. (28) Vidimus igitur, necdum post GROTII opus de Iure belli ac pacis, per longum temporis spatium eo pervenisse viros doctos, ut inter se de Iuris Naturae fonte et obiectis consentiant; hoc tantummodo plurimi fecerunt, ut inter obligationes perfectas et imperfectas, sive obligationes iuris et virtutis officia distinguerent, nullo tamen posito principio, ex quo ius derivarent, firmo et stabili: sed si iuris naturae accurate limites non posuerint, tamen forte feliciores fuerunt philosophorum conatus in Ethices disciplina stabilienda; et huic principium quoddam, generaliter agnotum, invenerunt? Videamus!

§ VII.

Philosophorum, qui tempora, in quibus scholae Criticae molimina totam philosophiam nova veluti facie donaverunt, antecesserunt, de obligationis moralis fundamento sententiae ad triplicem classem referri posse mihi quidem videntur. Sunt enim alii, qui illud obligationis moralis fundamentum derivarent ex voluntate Dei; alii, qui ex ipsa hominis natura illud profluere arbitrarentur; aliis tandem satis firmum fuisse videtur, nullam naturaliter adesse differentiam

---

(28) Diversa principia iuris naturae recensentur a MEISTERO, in Biblioth. Iur. Nat. vocibus *Ius naturae* et *principium*. Adde HOEPFNERI tractatum, opere illius *de Iure Naturae* subiectum. Plurima praeterea iuris principia Cl. quorumdam auctorum, ad duas classes relata, examinavit et refellit I. F. FLATT, *vermischte Versuche*, Lips. 1785, in Tractatu I, pag. 6, multis sequentibus: Ipse vero auctor contendit pag. 5: „dasz das Naturrecht im neüeren sinn entweder gar nicht, oder doch nicht in dem „Umfang, und in der Form, die es jetzt hat, zu der Zahl der Wissenschaften gehöre:" quam sententiam stabilire aggressus fuit, post aliorum opiniones refutatas, pag. 101, sqq.

Digitized by Google

actionem malam inter ac bonam, verum hanc differentiam ex rerum rationibus, aucta amplificataque humana ſocietate, eſſe adinventam. Ad priorem claſſem pertinent inprimis PUFFENDORF, et, qui hunc ſtrenue defendit, BARBEYRAC. (29) Alterius vero ſententiae, ſive moralitatis internae defenſores inter recentiores inprimis ſunt LEIBNITZ (30) et WOLF. (31) Illi ſummam agendi legem in Dei voluntate ponunt; hi vero non omnes idem agendi principium admittunt. Antiquisſimum est illud Graeci EPICURI: *fac te felicem!* Aliorum vero, quod propoſuit WOLF, est: *perfice te!* Cum tandem Angli HUTCHESONI principium virtutis ſit: *age ſecundum dictamina ſenſus tui moralis!* Vir ampliſſimus T. SYPKENS horum omnium philoſophorum opiniones expoſuit, atque eas feliciſſimo ſucceſſu impugnavit. (32) Quamvis de principio et cauſa obligationis deinceps dicendum ſit, quae a Criticis philoſophis probantur, hoc tamen loco obiter obſervandum mihi videtur, ab utraque ſummae moralis legis derivandae ratione, quam modo tradidi, Criticos recedere philoſophos, quippe qui, uti omnem auctoritatem extraneam firmiter negant, ita etiam falſum eſſe omne honestatis fundamentum disputant, quodcunque a fine quodam felicitatis, vel perfectionis, vel aliunde ſumitur; hi itaque defendunt, omnem honestatis cauſam in veneratione poſitam eſſe legis, quam in ſe habet homo, cuiusque praecepto ipſi, ſine ulla restrictione, est obediendum.

Eorum tandem, quos ad tertiam retuli claſſem, philoſophorum principes ſunt MONTAGNE, qui docuit bonum eſſe, quod convenit cum educationis nostrae regulis; et MANDEVILLE, ex cuius ſententia illud bonum est, quod convenit cum moribus patriae. Non ut ego, probe virium huic rei minime parium conſcius, hasce opiniones refellerem, illas propoſui; verum hoc tantummodo conſilio, ut ostenderem, quam parum adhuc inter ſe convenerint viri docti de virtutis ſumma aliqua regula conſtituenda, ex qua honestas, vel turpitudo actionum humanarum poſſet diiudicari. (33)

---

(29) Vide loca ſupra in nota 27 citata. (30) Epist. II, 145. Ed. KORTHOLTI, et Epist. Cenſ. adiecta editioni PUFFENDORFII de O. H. et C. Trai. 1769. II, 989. ſeqq. (31) Philoſ. Pract. I. § 56. ſeqq. et § 131. ſeqq. (32) In Diſſ. Philoſ. Iurid. inaug. de primo moralitatis principio, Gron. 1801. Plura moralitatis principia recenſuit GARVE Ueberſicht der vornehmſten Principien der Sittenlehre. Breslau 1798. (33) De hoc Philoſophorum inter ſe diſſenſu Conf. REINHOLD, Briefe über

Digitized by Google

§ VIII.

Hac igitur ratione per feculorum plurium intervalla disputarunt philofophi de principiis virtutis ac iuris conftituendis, de rebus fummi momenti toti humano generi, quibus an quid maius, quid prius fit, ego quidem nefcio. Neque tamen disputando eo pervenerunt, ut certum aliquid atque indubitatum fundamentum iacere potuerint, cui boni ac mali, iusti ac iniusti philofophiam, quafi aedificium, posfent inaedificare. Omnes quidem fere in eo confenferunt, hominum actiones aut iustas esfe aut iniustas, aut bonas aut malas; fed fummam iustitiae virtutisque regulam finguli pofuerunt diverfam. Hisce perpetuis disfenfionibus ingeniorum in varias partes dilaceratorum, orta est omnium fere disciplinarum conditio incerta atque vacillans (34); atque factum est, ut doctrinae Metaphyfices existentiam atque utilitatem negarint haud pauci, qui medio feculo proxime praeterlapfo vixerunt, viri acutisfimi (35): nec tamen propterea philofophi de Metaphyfica denuo ac firmiter ftabilienda nihil folliciti fuerunt; fed cum fibi perfuafum habuerunt, philofophiam alia plane ratione esfe tractandam, ut ad veritatem via posfet fterni (36), vir fummus, quem laudare iuvenem dedecet, KANTIUS ex Germania, philofophorum feracisfima patria, prodiit, Criticae, quae dicitur, philofophiae pater ac auctor; huius autem philofophiae, cum videatur vera dedisfe principia, e quibus de iure ac virtute disputare posfimus, placita iam nunc ego pro viribus, eatenus tamen, quatenus huius opusculi propofitum requirit, exponere conabor.

---

die Kantifche Philofophie II Th. 2 Brief. (34) REINHOLD, l. l. I Th. 1 Brief f. 12, f. (35) REINHOLD, l. l. f. 27 et 90. (36) REINHOLD, l. l. I Th. 3 Brief, inprimis pag. 92, fqq.

Digitized by Google

CAPUT I.

De Ethices fonte, obiecto, ac fine.

Perſpicuum habuit KANTIUS, ea ratione, qua, qui ante ipſum de iis cogitasſent obiectis, quae humano generi ſummi ſunt momenti, de Deo, de virtute, de iure, ceteris, veritatem quaeſierant philoſophi, ad illam perveniri non posſe. Neque enim accurate ſatis ac ſedulo in illam mentis humanae facultatem inquiſierant, qua obiectorum extra ſe poſitorum homo cognitionem acquirit; et obiecta contemplantes, quatenus animo nostro obſervantur, quaestionem non moverant, an illa obiecta revera ſeſe ita nobis repraeſentant, uti ſunt, an vero mutationem aliquam patiantur, cum in ſenſus illa excipimus. Niſi tamen hoc certum ſit, de ipſis obiectis disputatio vacillans et incerta est; „man musz," inquit REINHOLD (57) „eine auf einem allgemein geltenden „Princip festſtehende Antwort auf die Fragen ausfindig machen; was ist über„haupt *erkennbar?* was ist unter *Erkenntnisſvermögen* zu verſtehn? und wo„rin beſteht das eigenthümliche Geſchäft der *Vernunft* beym *Erkennen* über„haupt?" Hac itaque ratione permotus KANTIUS in mente humana primo illam investigavit facultatem, quam *cognoſcendi* appellant philoſophi; in rerum autem cognitione acquirenda triplici agit modo facultas cognoſcendi, nempe *ſenſualitate*, ſive *facultate ſentiendi*, *intellectu*, et *ratione*; et ita quaevis harum facultatum comparata est, ut certas habeat leges ſibi praeſcriptas univerſales, immutabiles, quas *formas* appellavit KANTIUS, ſecundum quas in cognitione functiones exerceat quaeque facultas.

Ad inſtituti nostri rationem ſufficiat dixisſe, intellectum esſe eam facultatem, qua imagines rerum, per ſentiendi facultatem admotas, coniungimus, disiungimusve, easque inter ſe comparamus, atque ex his iudicia, quae *conceptus* vo-

(57) l. l. pag. 93.

Digitized by Google

eant, formamus. Huius facultatis certas etiam formas determinavit vir acutissimus, quas *cathegorias* dixit, quae, si solae ac simpliciter sibi relinquuntur, cognitioni pariendae homini minus aptae sunt, at vero accommodatae ad ea, quae sentiendi facultate ad hominem sunt appulsa, ansam dant peculiaribus quibusdam decretis efformandis. Eminet inter has illa lex: *omnis res suam habet causam*, quam *causalitatis legem* vocant: ex hac vero lege, non ad res ipsas transferenda, verum ad sola phaenomena naturae restringenda, demonstravit vir acutissimus, quo modo, salva hac lege universali ac immutabili, libertas moralis in subiecto possit cogitari, quippe quod subiectum ad mundum phaenomenalem, seu ad phaenomena non pertinens, lege causalitatis, quae de phaenomenis tantum valet, teneri non potest. (38) Ratio facultas est conclusiones ex principiis deducendi, atque haec perpetuo eo tendit, ut cognitionem nostram absolvat et perficiat. Praeter iudicia ab intellectu formata in ipsa ratione notiones quaedam obviae sunt, quas non ab experientia petiit, sed quae, ad ipsam rationem pertinentes, *ideae rationis* vocantur; quarum tamen expositio hic nil pertinet. Ratio vero, quatenus ad cognoscendi facultatem pertinet, atque de obiectis experientiae tantum sollicita est, vocatur *ratio Theoretica*. (39)

At vero non hic subsistit homo; non sufficit illi rerum extra se positarum scientiam acquisivisse, quatenus scilicet haec acquiri potest; maioris multo momenti quaestio se hominum ingenio semper obtulit, et offert quotidie, qua nulla maior, nulla gravior excogitari potest; et ad quam qui respondit, totius humanae naturae dignitatem se firmo fundamento stabilivisse gloriari merito poterit. Quaerit homo, *quid mihi est agendum?* Haec quaestio totam officiorum et obligationum seriem complectitur, omnes humanas respicit actiones. Pendet a responsione ad hanc quaestionem humana dignitas, quae, nisi sciat homo quid sibi sit agendum, quid omittendum, tota evanescit. Si physicis tantummodo impulsionibus regatur homo, ita ut eo perpetuo tendat, ut vitam hic

---

(38) Vide Cl. LULOFS, in Diss. inaug. *de Libertate* Gron. 1809. pag. 31—53. (39) Quae hic brevissime ac leviter tetigisse mihi ad sequentia intelligenda necessaria visa sunt, in omnibus Criticam philosophiam exponentibus libris inveniuntur. Praeter ipsius KANTII opera conferri possunt KIESEWETTER „Versuch einer fassliche Darstellung der wichtigsten Wahrheiten der Kritischen Philosophie," I Th. s. 31—229. VILLERS, „Philosophie de Kant, ou exposition, etc." P. II, p. 235—361. VAN HEMERT, „Kritiesch Magazyn, III Deel, III St. p. 73; aliique huic operi inserti tractatus.

habeat commodam, affluentem deliciis, ut, quantum poſſit, ſenſuum ſatisfaciat titillationibus, bruti inſtar homo ſe nobis offert; verum quanto praeſtantior, quanto nobilior illa humana natura rationalis, moralis, quae ſecundum certas leges, non ex phyſica natura, aut ſenſuum affectibus ortas, ſuas componit actiones, ut exiſtentiam ſuam moralem, rationalem ornet et perficiat. Atque hoc profecto hominis est. Sentiunt omnes, quotquot ſunt, aut fuerunt, aut denique erunt homines, ſibi quaedam eſſe facienda, alia vero omittenda; non omnia, quae agere poſſunt phyſice, licita eſſe, aut quaecunque agendi momenta honesta eſſe dicenda, humanaeque naturae praeſtantia digna; ſentiunt omnes, quamdam a natura adeſſe differentiam honestum inter ac inhonestum, licitum et illicitum, iustum ac iniustum, quae non oritur differentia ex legibus poſitivis, non ex educatione, non ex uſu, non ex utilitate, quae vero ſuam habet cauſam in ipſa ratione, divinitus homini praedita; ſentiunt illam virtutem eſſe univerſalem, perpetuam, quae non a tempore, non a rerum conditione, non a populorum opinionibus moribusve pendet, verum ubivis terrarum una ac eadem est, ita ut quae ſcelesta hic ſit actio, alibi non poſſit bona laudari; neque haec boni malique, iusti iniustique differentia a nonnullis tantum hominibus, quibus perſpicacius est ingenium, obſervatur, verum alta voce omnium hominum pectore ſe adeſſe virtus proclamat; „maximum hoc habemus „naturae meritum, quod virtus in omnium animos lumen ſuum permittit; eti„am qui non ſequuntur, illam vident.“ (40) Cuiusque igitur hominis, licet philoſophiae luce deſtituti, ingenium illi quasdam actiones vel edendas vel omittendas praeſcribit; ſed munus nunc est philoſophiae, haec ingenii, ſive ſanae mentis praeſcripta examinare; illorum fundamenta eruere, inquirere, an illa revera in hominum natura fundata ſint, nec ne; tandemque veritatem exponere, et ab adverſariorum vindicare dubiis et obiectionibus (41); in genere normam conſtituere certam, unde certa, in dubiis ob intellectus humani imbecillitatem quaestionibus, inprimis compoſitis, petatur deciſio, cuius igitur normae ope et ad vera ducantur philoſophi, et ab erroribus avertantur.

Si experientia itaque quemque hominem doceat, ut inter bonum et malum

---

(40) SENECA, de beneficiis, IV, 17. (41) Conf. FEUERBACH, Kritik des Naturlichen Rechts, pag. 24, ſq.

Digitized by Google

discrimen agnoscat, quaeritur, unde huius discriminis notionem acquirat. Cum autem illa suum debeat habere fundamentum in regula quadam agendi summa, sive primo principio homini proposito, non nisi ex ipsa ratione haec summa lex oriri potest, quoniam haec ad summa principia semper tendit, eaque proponit. Ratio itaque est, quae iubet ea facere quae sunt bona, omittere vero quae mala sunt; nemo est, qui se ipse attenta mente contemplatur, qui negare possit se hanc vocem, alia facienda praecipientem, alia omittenda iubentem audire; atque ita etiam aliorum hominum actiones diiudicamus ex hoc rationis nostrae praescripto, quod generale ac necessarium esse agnoviSmus; ita ut actionem malam vocemus, quaecumque ex nostrae rationis praescriptis nobis ita videtur; eam vero bonam praedicemus, quando rationis nostrae legi convenit. Rationi igitur proprium est, ut voluntati regulas praescribat, quas in agendo sequamur necesse est. Quatenus hanc suam functionem exercet ratio, *Practica* dicitur. (42) Si verum ita est, et quis negabit verum hoc esse, rationem homini leges quasdam in agendo praescribere, quas sequendas haec ipsa ratio absolute iubet; non potest non agnosci, hominem liberum esse debere, eum non liberum esse non posse; quippe si liber non esset, mali ac boni differentia, rationis practicae et officiorum existentia neganda esset, quae negari non potest: „alioquin enim," inquit Cl. LULOFS (43), „practica ratio „inane esset somnium, similisque tyranni imperio, qui manibus pedibusque li„gatos currere et operari iuberet: si vero eam cum libertate coniungamus „agendi, sanctissimum est mandatum, et ecce homo tibi exsurgit divina suae „naturae dignitate conspicuus." (44)

Ponamus igitur quae omnino ponenda sunt; humanarum actionum alias esse bonas, malas alias; hominem libertate morali gaudere, qua suo arbitrio se determinet ad actiones vel bonas vel malas edendas; atque rationem, quam practicam vocamus, homini legem praescribere, quam in agendo sequatur; enodandae iam nunc supersunt quaestiones sequentes: quomodo legem ratio praescribit? quamnam praescribit? quidnam est huius legis obiectum?

I. Quomodo legem ratio praescribit?

---

(42) Conf. REINHOLD l. l. III Th. 3 Brief, initio. (43) In Diss. l. pag. 57. (44) Conf. quae eloquentissima de Libertate habet VILLERS, Philosophie de Kant, P. II, p. 367—373.

Pronti duplici modo ratio agit, duplici modo illam confideramus. Quatenus materiem cognofcendi a fenfibus adductam, ab intellectu in conceptus formatam, abfolvit et perficit, omniaque cognitionis obiecta ad principia generaliora revocat, *Theoreticam* hanc vocamus. In hacce fua functione de obiectis extra fe pofitis tantummodo follicita est, et phaenomena confiderat. At vero ratio, quando fe ipfa contemplatur, perfpicit non perinde esfe quid agat homo, fed actiones alias bonas, alias malas esfe; perfpicit homini esfe praefcriptum bene agere, licet et male agere posfit; fed nullo habito refpectu rerum conditionum, actionis confectariorum, nullo perfonarum, nullo felicitatis, voluptatis (45), nullo perfectionis (46) habito refpectu, iubemur bene agere, virtutem colere; et ratio, quae nobis in agendo regulas praefcribit, *Practica* dicitur. Ex fui itaque ipfius natura hanc legem hominibus praefcribit, quam non argumentis demonftrare posfumus, quam vero intus animis nostris percipimus.

Ratio practica voluntati hominis regulam praefcribit univerfalem, immutabilem, perpetuam; et homo hanc regulam fequi tenetur vi huius ipfius rationis, quae eam praefcribit; ita ut haec abfolute fine conditione quadam iubeat. Rationis practicae dictamen fequendum est propterea, quod ratio practica iubet, five ob ipfam huius legis venerationem: „das Sitten-gefetz," inquit REINHOLD (47) „zeichnet fich dadurch unter allen wirklichen und möglichen Ge„fetzen aus, dasf es eine *Vorfchrift* ist, die den Grund ihrer Nothwendig„keit in fich felber enthält, daher ohne alle fremde fanktion *Gefetz* ist, und „folglich lediglich um ihrer felbst Willen befolgt werden kann." Illa hominis proprietas, qua vi rationis practicae fibi ipfe legem praefcribit, a Criticis philofophis αὐτονομία appellatur; atque rationis illa lex dicitur *imperativa cathegorica*, quia a nulla conditione pendet, atque per fe univerfaliter ac necesfario imperat.

---

(45) Vir ampl. T. SYPKENS, in disf. I. opinionem eorum refellit, qui felicitatem principium primum moralitatis praebere docent (p. 22—60) vide inpr. p. 40, ubi ostendit, quemnam circulum in demonftrando ii committant, qui felicitate fe intelligere dicunt illud Poetae: „nil confcire fibi; nul„la pallefcere culpa." (46) De perfectionis principio vide Eundem, pag. 60, fqq. (47) Briefe etc. II Th. 3 Brief p. 65.

Digitized by Google

Uti rationis practicae, five rationis, confideratae tanquam voluntati legem praefcribentis, est actionibus nostris normam dare, ita rationis theoreticae est fingulos cafus obvenientes examinare, et ad illos applicare regulam, ut exinde conftet, quid in cafu propofito ratio practica agendum praefcribat. Quando igitur hunc illumve mihi propono finem, ratio mea theoretica actionem, ad hunc finem asfequendum necesfariam, comparat ad legem a ratione practica datam; et quando, fola legis reverentia ductus, hanc actionem vel facio vel omitto, prout bona aut mala a ratione pronuntiatur, revera bene, honeste ago. Potest quidem, ut actio mea, obiective fumta, revera mala fit; fed hoc cafu ex eo hoc actionis vitium oritur, quod illam male ratio theoretica fibi repraefentarit. Ego, fola legis practicae veneratione agens, utut in facto errans, probus ac honestus maneo. Ab altera parte, quando actionem quamdam inftituo, patriae, humano generi utilisfimam, verum tantummodo dignitatum ambitione, divitiarum cupiditate, honoris vel praemii fpe motus, nihil feci quod virtutis mereatur nomen; prudens forte ac callidus fui, bonus equidem non fui.

II. Quam legem praefcribit?

Ea est homini natura, ut duplici posfit confiderari modo. Est illi natura fenfualis, qua, fenfu voluptatis ac taedii affectus, eo perpetuo tendit, ut perpetua ac quam maxima fruatur voluptate, qua fe felicem reddere cupit, qua omnem taedii dolorisque fenfum a fe avertere ftudet; estque hic felicitatis appetitus ita in homine fundatus, ita cum eius natura coniunctus, ut frustra conetur quis illam eruere, frustra quis praedicet fe illam vicisfe. Ab altera parte hominis natura rationalis, priori faepisfime oppofita, ad maiora illum tendere iubet, nulla felicitatis habita ratione, et perpetuo illi imperat, ut iustus, ut bonus fit, utut ex virtutis cultu mifer ac infelix evadat. Duae illae in eo naturae, rationalis ac fenfualis, continuo de fummo quafi imperio certant, et plurimum vario fuccesfu, ita ut hoc cafu alter vincat, alter alio. An igitur haec perpetua fit miferrima humanae naturae conditio, ut in oppofitas femper partes trahatur? estne uni illarum naturarum imperium plenum concedendum, ut alteram omni modo ex homine eruere atque evellere conari debeamus? num forte, quando rationi obtemperamus, exinde etiam felices evadamus necesfe est, ita ut hoc modo inter fe posfent confentire hae diverfisfi-

Digitized by Google

mae naturae (48)? Igiturne REGULUS ille *Batavus* BEYLING felix fuit, quia rationi obediens datam hostibus fidem servavit, carissimam coniugem reliquit, atque crudelissimae morti semet obtulit? Imo felix non fuit! Quid in perpetua hac pugna faciendum est? Quisnam, veluti Ariadne, nobis filum dabit, quo ex hoc labyrintho nos extricare possimus? Sua moralitatis lege Ratio dabit.

Ratio, vi suae naturae, perpetuo tendit ad τὸ absolutum inveniendum, summum principium, quo ad consensum redigantur omnia nostrae cognitionis obiecta; et inde etiam facultas principiorum vocatur. Quae diversa sibi a sensibus offeruntur coniungit, a τῷ conditionali ad conditionem adsurgit, ab effectu ad causam, et hanc eo perducit operationem, donec omnia sibi a natura diversa oblata in unum, in consensum redigat, omnemque dissensum, omnem repellat repugnantiam, quae rationi omnino contraria est, nec ab illa potest admitti.

Vidimus nunc fines, quos homo sibi proponit, habito respectu vel ad naturam suam sensualem, vel rationalem, diversos atque sibi oppositos esse. Haec quae rationi igitur diversa offeruntur, ab hac, secundum formam suae operationis, quae summum requirit omnium diversorum obiectorum consensum, in consonantiam debent redigi, et omnis dissensus tollendus est; si itaque regulam invenerimus, qua hic dissensus plane rescindatur, qua hominis natura sibi ipsa consentiat, summam invenerimus moralitatis legem, id est, normam, quam practica ratio homini ad suum libertatis moralis usum praescripsisse est censenda. (49)

Cum humanae naturae illa sit indoles, ut ab ea plane evelli nequeat felicitatis sensus, absurdum hoc velle adeo foret; tantummodo quaeritur, cuinam, sive sensuali sive rationali, appetitui parendum sit, ubi cuiusque consilia sibi invicem sunt opposita? Dubius autem esse nemo diu poterit, qui suam ipsius conscientiam candide examinat, ac veritatem quaerere cupit. Omnes enim uno ac pari consensu rationis legibus summas concedimus partes; rationi vero legem praescribenti per se, ob solam legis reverentiam, est obtemperandum; ita ut non respici debeat ad quemdam finem, veluti legis conditionem, sed ratio pra-

(48) VILLERS, l. l. pag. 374 et 375. (49) Conf. FEUERBACH, Kritik etc. p. 268, § 5.

Digitized by Google

ctica sui ipsius finis sit. Ex his sequitur, nos agendi principium hoc ponere posse: „semper te ipse tamquam naturam rationalem pro fine, numquam ve- „ro pro medio ad quaevis consilia habe!". Hoc modo in pugna naturam sensualem inter ac moralem, posterior, quippe quae tamquam finis consideranda est, vincat necesse est, cum medii instar rationem haberemus, si ea tantummodo utamur, ut naturae sensualis consilia attingamus. Omnibus autem naturis rationalibus, omnibus hominibus hoc idem principium in ratione sua est positum, neque quod in nostra ratione agnoscimus principium, in aliis non agnoscere possumus; quapropter id iam nunc ita extendimus, ut dicamus: „semper quamvis naturam rationalem pro sui ipsius fine, numquam pro me- „dio ad quaevis consilia habe!" Ex hoc autem principio observato sequitur, nobis talem agendi normam esse eligendam, quam omnes naturae rationales, si velint, aequaliter sequi possint ad sua sibi consilia promovenda. Nisi enim hoc faciamus, si aliquam actionem instituamus, qua alias naturas rationales prohibemus eadem agere, aut si haec actio, tamquam omnium propositum considerata, ipsa sibi repugnaret, ceteras naturas rationales media, nostris consiliis inservientia, haberemus. Ex his sequitur, nobis hanc moralitatis legem proponendam esse: „ita age, ut velle posses, ut tua agendi regula legem universa- „lem omnium naturarum rationalium constituat, neque hoc casu se ipsa tol- „lat!" Haec summa lex, quae universe obligationem exprimit, hac etiam ratione tradi potest: „vitae regulam, quam tu sequaris, sive ad quam tuas actiones „tu componas, elige illam, quae pro lege omnibus communi possit valere!" (50)

Haec lex, a rationis forma summum consensum requirente derivata, summa videtur esse regula humanarum actionum moralium, et omnia ex hac lege diiudicari posse videntur officia. In hac lege applicanda spectandum est ad regulam subiectivam, (*maxime*) quae nos ad agendum impellit; si *illa regula, quae nostrae* regulae (*maxime*) opposita est, se ipsa tolleret, neque legem universalem posset efficere, *nostra* regula comprobatur, et proposita actio moralitatis lege iubetur. Si vero nostra regula se ipsa tollat, et legem universalem non possit constituere, actio nostra vetita est. (51) Tandem simpliciter et absolu-

(50) FEUERBACH, l. l. p. 35, et 269 sqq. § 6. sqq. VILLERS l. l. pag. 383 sqq. SYPKENS, in diss. l. p. 131, sqq. § 65 et 66. (51) KANT, Metaphysica morum, in Operibus, ed. Bornii, Tom. IV, p. 564.

Digitized by Google

te licita est actio, quae, quando omnes idem vellent, sibi repugnans non esset, nec cuius contrarium etiam, si omnes vellent, sibi repugnaret, aut, quam consilium commune naturarum rationalium habere; et etiam non habere possemus. (52) Exempli loco hoc sit; impositum hominibus est officium sibi invicem, quantum possint, opem ac auxilium ferendi, quia, si contrarium statuamus, in repugnantiam duceremur necesse esset. Ponamus aliquem dicere: „ego „nulli auxilium praebeo:" ponamus hanc regulam (*maxime*) omnibus naturis rationalibus legem esse; an vero absurdius quid quis possit sibi fingere! anne hac ratione consilia hominum possent impleri, aut an potius eo ipso quisque homo consilia sua quaevis ad effectum ducere non posset? hoc profecto. Cum sua itaque consilia attingere non possit homo, si haec regula normam universalem constitueret; adeoque illud velle, esset sibi repugnantia velle, non est admittenda; verum cuivis homini incumbit officium aliis se paratum ad adiuvandum, eorumque commoda augendum praestandi. Porro; quaeritur, an liceat alterum, sui commodi causa, falsa rei repraesentatione decipere? ex moralitatis lege hanc actionem omnino vetitam esse pronuntio; consideremus hoc consilium commune esse naturarum rationalium propositum, atque omnes hanc sibi regulam (*maxime*) proposuisse: „sui commodi causa cuivis licet alios circumve- „nire." Anne, hoc posito, omnis fides submoveretur, atque eo ipso mihi aliquid dicenti non crederent homines, nec igitur consilium meum alios fallendi possem attingere? Repugnantiam adeoque involveret, et se ipsa tolleret meae actionis regula, tamquam lex generalis cogitata, et igitur proposita actio vetita est. Libero tandem meo plane arbitrio relictum est, an v. gr. velim nunc manum meam huc illucve movere, an non velim, quia hic motus omnibus naturis rationalibus communis sibi non repugnat; contrarium vero, quando manus non movetur, itidem existere potest. Hanc ita actionem generalem cogitare, et non cogitare possumus, adeoque simpliciter licita est. Interim observandum vanam plerumque esse de actionibus mediis disputationem, si ad vitae usum doctrinam applicemus, cum profecto nulla fere actio sit in abstracto media, quin, si cum adiunctis sumatur, statim fiat vel iussa vel prohibita.

E dictis porro intelligitur, actionum honestarum necessitatem non a caussis

---

(52) Feuerbach, l. l. p. 36 et 280, § 17.

Digitized by Google

phyficis, verum ab ideis pendere; quippe homo, quamvis, faltem quoad corpus; ad mundi fenfibilis phaenomena pertineat, et hac ratione naturae legibus necesfario fit fubiectus, propter rationem tamen facultatem habet actiones; non tantum ex fenfuum viribus aut incitamentis externis, fed ex ideis producendi. Igitur ratio a fe ipfa est caufa actionum fuarum, actionemque inchoare valet, nec per tempus, nec per fpatium determinatur, adeoque ratio per fe fubfiftit, non est phaenomenon.

Hoc itaque modo exponenda videtur, quam homo in agendo fequatur, fuprema lex; et hanc etiam generaliter confentaneam inveniemus cum eo, quod homines in genere, fua tantum de bono ac malo confcientia ducti, facere videmus; nempe quam plurime audimus homines hac formula utentes, cum aliorum actiones diiudicant: „pone, omnes ita fecisfe, quo tandem haec agendi ratio duceret?"; ipfi igitur fua rationis lege, quae generalia et univerfalia postulat, eo adducuntur, ut aliorum actiones ex hoc principio diiudicent.

Si itaque et ufu, et fimplicitate, et eo, quod univerfam posfit normam agendi praebere, fefe haec lex commendet: fi confentiat cuiusque de bono ac honesto opinionibus, fi plene fatisfaciat quaestioni illi, omni aevo agitatae, quid homini fit agendum, hanc legem moralitatis ponamus, atque inquiramus

III. Quidnam fit huius legis obiectum?

Non in confiliis hominibus propofitis, non in hominum actionibus hoc invenimus obiectum; hisce enim lex non imperat; verum nostrae voluntati normam praefcribit. Voluntas nostra, ut a facultate appetitiva, ita etiam diverfa est a ratione practica (53); facultas appetitiva momentis extrinfecus defumtis, non vero a ratione practica depromptis, veluti felicitatis, honoris aut laudis cupi-

(53) Quod dixi voluntatem diverfam esfe a ratione practica nonnullis videtur KANTIO non ita probatum esfe, quin, fi locum ex conftitutione metaphyfices morum (operum T. II. p. 285. Ed. Born.) cum Critica rationis purae practicae conferas, fibi aperte obloquatur. In illo opere enim „cum „ad actiones" inquit „a legibus derivandas *ratione* opus fit, fequitur, ut voluntas nihil aliud quam „ratio practica videatur" cum in hoc, ubi voluntatis naturam uberius explicat, hanc a ratione practica diligentisfime diftinguat. Hoc autem ut tollatur difcrimen, et ab adverfariorum obiectione philofophus vindicetur, ftatuendum videtur, voluntatem rationis practicae legibus, ceu fummis agendi principiis adftrictam esfe, quibus fi quis convenienter agat, rationis practicae formam voluntas induit, eiusque agendi modum re ipfa repraefentat.

Digitized by Google

dine, in voluntatem agit, et hanc ad ſua ſibi propoſita efficienda determinare conatur; volumus tamen ſaepisſime ea, quae non appetimus, et ea, quae appetimus, nolumus; nec igitur cum facultate appetitiva eadem facultas est voluntas; ratio practica, quae nec ipſa est voluntas, legem ſuam voluntati praeſcribit, ac ſimpliciter legis veneratione haec voluntas tenetur huic legi obtemperare, licet libertate morali posſit et non obtemperare. *Velle* itaque, ſi pura volendi notio ſpectetur, facultas est ſui ipſius legibus ſeſe ad efficiendum aliquam rem, animo repraeſentatam, ſponte determinandi. Est igitur *ſpontaneitas* caput in voluntatis notione. A vi vero mentis ſenſitiva et appetitiva proficiſcuntur incitamenta quaedam, quae pronam reddere voluntatem posſunt ut vi ſua utatur.

Ex eo autem ſponte ſequitur, quaenam actiones moralem aeſtimationem patiantur, quaenam non patiantur, ſive in quibusnam actionibus locum habeat moralitas, id est, de earum convenientia vel disconvenientia cum lege rationis practicae quaeri posſit; in omnibus nempe actionibus, quae a nostra voluntate non pendent, de earum honestate aut turpitudine quaestio nulla est et inanis, quia legi morali non ſunt ſubiectae. Facile nunc est docere quid ſit officium, postquam de interna eius potestate, indole atque fonte dixi. Est enim *officium*, reſpectu ad perſonam obligatam, „necesſitas moralis, actiones ſuas ad rationis practicae legem accommodandi, propter ſolam legis reverentiam." Hoc ſenſu dicimus, „mihi incumbit hoc illudve faciendi officium;" id est, „moraliter necesſe habeo hanc actionem inſtituere, propter illius cum lege rationis practicae convenientiam." *Officium* vero, pro actione ſumtum, est actio, „moraliter necesſaria, legi rationis practicae conveniens, propter ipſius legis reverentiam peragenda;" hoc ſenſu loquimur de officiis erga nosmet ipſos, erga alios, cet.

Quam ſimplex autem, quam pulchra ſimul ſe ostendit hic nobis virtutis haec et officii notio! Non a fortuna pendet, quae nos in multarum rerum tumultu collocavit, aut nobis vitae rationem praeſcripſit ſolitariam, ut virtutem exercere posſimus; non ab educatione, quae multa nos inſtruxit doctrina, aut contra, parum mentis facultates excoluit: non a favore aliorum, qui plurima nobis peragenda mandarunt negotia; quisque enim, quovis loco poſitus, quibusvis facultatibus inſtructus, potest virtuti obſequium praeſtare.

Propoſui legis moralis ac virtutis naturam et indolem ex Criticae philoſophiae ſententia, quatenus ſcilicet in hac expoſitione non erravi, quod, ne multis lo-

Digitized by Google

eis factum sit, vereor. Pulcherrima autem FEUERBACHII (54) videtur observatio, cum dicat haec demonstrari non posse, verum sufficere contra scepticismi defensorem ostendisse, quomodo lex moralitatis ex ratione declarari atque exponi posfit, cum hominis non sit explicare, quomodo ex ipsa interna legis illius natura, quae nobis phaenomenon non est, verum ad res ipsas pertinet, (55) illa ex ratione existere posfit, et existat: „will er noch weiter fra„gen," inquit, „will er wissen wie auch das Sitten-Gesetz seinem innern „Wesen nach durch Vernunft möglich und würklich sey? so können wir frey„lich nichts antworten; denn um dies zu können müsten wir mehr von der „Vernunft als ihre Form, wir müsten ihre innere Natur, und die Seele, wie „sie an sich ist, kennen: aber wir dürfen ihm nur seine Frage zuruckgeben: „wir brauchen sie nicht zu beantworten, da wir uns durch unser vorherge„hende Antwort hinlänglich gesichert, und unser Palladium vor allen Angrif„fen verwährt haben."

Inquirendum igitur nunc est, quinam ex dictis debeat esse Ethices disciplinae fons, quidnam obiectum, quis finis; quae brevissime ex supra dictis sponte redundantia tantum indicare opus erit.

Disciplina est complexus veritatum quarumdam, sub uno conceptu coniunctarum, ex certis principiis deductarum, atque in ordinem accuratum, et docendo aptum dispositarum.

Ethices itaque disciplina summum moralitatis principium quaerit, atque veritates, ex hoc principio deductas, accurate et ordine complectitur atque tradit.

Sunt vero omnes disciplinae, si mathematicas excipias, quarum propria est indoles, vel *Philosophicae* vel *Historicae*. Quae ad priorem pertinent classem illas exhibent notiones, quae ex sola ratione eiusque conceptibus derivantur, cum quae ad posteriorem pertinent classem, illas continent veritates, quas ope experientiae acquirimus.

Philosophica praeterea disciplina vel est *Theoretica*, vel *Practica*. Prior tantum inquirit in illud, quod verum est; posterior docet quid agendum sit, quidve omittendum; normam itaque actionibus nostris praescribit.

---

(54) l. l. p. 277. sqq. (55) Uti enim rationem per se subsistere iam supra dixi, ita etiam idem valet de huius lege, deque actionibus vere sic dictis, id est, liberis, quae non ut phaenomena a se invicem pendent, in infinitum progredientes.

Digitized by Google

Patet igitur, Ethices disciplinam philofophicam esfe; estque praeterea disciplina practica, ea nempe, quae hominum actionibus normam praefcribit, et quomodo hae inftitui debeant docet; quaeque igitur ad libertatis humanae ufum referri debet.

Suam habet originem ex *Ratione*, et quidem ex *Practica ratione*, ex eo fcilicet principio, quo haec legem moralem hominum actionibus fupremam praefcribit.

Officia obiecta funt Ethices; docet quippe ea, quae ex lege morali homini funt facienda ac omittenda: docet, quare haec, nempe ob legis reverentiam, fint facienda, quia, nifi ob hanc legis reverentiam peracta fint officia, forte legi posfunt convenire, bonae tamen propterea actiones dici non debent. Internae itaque libertatis nostrae ufum Ethica determinat, et hanc ad legis praefcriptum flectere iubet; nifi enim voluntas legi obtemperandi accedat, nulla est virtus.

In *virtute* itaque pofitus est Ethices finis, five, quod idem est, in *Moralitate*, id est, ut officia nostra impleamus, nullo extraneo quovis affectu moti, fed ob folam legis, five Rationis practicae dictaminis venerationem; ut igitur *boni* fimus.

Digitized by Google

CAPUT II.

De Iuris Naturae fonte, obiecto, et fine.

Quod in ſuperiori capite facere conatus fui, nempe diſciplinae *Ethices* fontem, obiectum, et finem conſtituere ex notione virtutis, ſive moralitatis expoſita, illud idem in hoc capite mihi videtur faciendum; debemus enim ipſius *Iuris* notionis originem quaerere, illius naturam conſtituere, ut exinde pateat, quid ſit disciplina, quae de iure ſollicita est, quamque iuris naturae disciplinam vocant Doctores; quisnam ſit huius disciplinae fons, quidnam obiectum, quis denique finis.

Sentiunt omnes homines, quovis loco poſiti, quamvis terrarum orbis partem inhabitantes, ſibi esſe iura quaedam, eaque immutabilia, aeterna, necesſaria; quae non acquiſiverunt ex communi hominum, populorumve ſponſione, non ex legibus civilibus, non ex moribus, non ex uſu; quae non alia hic ſunt, alia alio loco; verum quae a Natura matre ſimul cum existentia et ratione acceperunt, quae evelli nequeunt, quae neque abrogari, neque praeſcriptione amitti, neque obſoleſcere posſunt. Sentiunt ſibi integrum esſe, quasdam inſtituere actiones remoto omni arbitrio alieno, ita ut adverſus quemvis adverſarium, has actiones inſtituere prohibentem, vi et armis uti liceat; ſimul autem ſentiunt alias ſibi non licere actiones, niſi velint aliorum represſionem timere; ſentiunt ſibi esſe impoſitam quamdam necesſitatem ne alios turbent in ſuis viribus ſuo arbitrio adhibendis ad conſilia ipſis propoſita. Hinc ius, hinc obligatio. At vero philoſophi non est, hominem contemplantis, in illiusque naturam inquirentis, hic ſubſiſtere, atque, confuſis his ceterorum hominum notionibus, omnem rem abſolutam putare. Debet enim in harum notionum originem ac fontem inquirere, illas ſtabilire, definire, veros illis ponere limites, atque ſummas regulas, quibus regantur, quibusque ſubiiciantur, conſtituere.

Ad duas clasſes referri ſolent (56) ſententiae virorum doctorum, qui, Cri-

(56) Conf. FEUERBACH, l. l. p. 92, ſqq. Vir ampl. SYPKENS, in tractatu, over de betrekking

ticae philoſophiae rationes non ſecuti, alio modo iuris notionem conſtituere voluerunt. Alii nimirum contendunt omne ius oriri ex moralitatis principio, ita ut ad ius pertineat actio, quam lex moralis nec iubet, nec vetat. Alii, ius etiam ex moralitatis principio derivantes, ex existentia obligationis in ſubiecto obligato perfectae concludunt ad iuris existentiam in eo, cui obligatio praeſtanda est.

I. Contra priorem theoriam, quam *abſolutam* vocant *deductionem*, plura quidem moveri posſunt, et inprimis ab acutisſimo FEUERBACHIO mota ſunt, dubia. Breviter mihi autem ſufficiat propoſuisſe, hanc iuris deductionem non esſe admittendam, ſi ad eas notiones ducat, quae communi hominum de iure ſententiae atque conſcientiae ita repugnant, ut hac, a ratione data, ſolutione problematis: „quid est ius? unde deſcendit?" contentus esſe non posſit homo; quando ſcilicet quis contendere vellet, has itaque a communi hominum mente ortas notiones iuris falſas esſe, *quia ex hac deductione abſoluta non profluunt;* omnino hoc eo non probari reſpondeo. Aliquid efficeret obiectio, ſi huius deductionis veritas antea probata esſet; ſed cum hoc locum non habeat, nihil probat obiectio, niſi hasce iuris notiones per hanc viam inveniri non posſe, et igitur aliam esſe quaerendam, qua ad aliam ſolutionem quaestionum de iure pervenire posſumus, quae omnes continet notiones, a vulgari hominum opinione in iuris theoria requiſitas. Hanc autem viam quaerere deinde e re nostra erit.

Ex hac vero abſoluta iuris deductione non ſequitur

1. Homini esſe curae externa, id est, ea, quae actiones, legi morali contrarias, materiem habent. (57)
2. Hominem iure ſuo uti posſe et non posſe, ſive illi esſe libertatem iuridicam.
3. Hominem posſe alium cogere ne ab hoc ius ſuum laedatur. De ſingulis pauca monebo.

---

tusſchen de zedekunde en het natuurregt, qui exſtat in het Kritisch Magazyn, V Deel, III St. p. 337, ſqq. Conſult. G. H. DULLERT, in diſſ. inaug. de officii et iuris notionibus, recte inter ſe diſtinguendis, Hard. 1810. p. 24. Ne autem quovis fere loco hos laudem, ſufficiat hic monuisſe, me Auctorum illorum, (quibus et add. conſult. SIBR. GRATAMA, in l. diſſ. de iure ac iniuria, Cap. I—V,) operibus plurimum in hoc et ſequenti Capite elaborando uſum fuisſe. (57) FEUERBACH, l. l. pag. 289.

Digitized by Google

1. Tritisſimum illud est, omnibusque notum vetus proverbium: „ſummum „ius, ſumma ſaepe iniuria.“ Omnes enim homines contendunt, ſana ducti ratione, ſibi ius esſe quaedam agere, quae legibus moralibus plane contraria ſunt; credunt iuste ſe agere, quando miſero, fame exſtincto, panem roganti, ſuum denegant auxilium; quando debitorem, fortuna adverſa perſecutum, honestum tamen, ſed debito ſolvendo imparem, in carcerem proiiciunt, donec ultimum perſolvat debiti obolum. In his autem caſibus non illud facimus, quod lege morali permittitur; vehementer vero contra huius legis praeſcriptum peccamus: ergo aut iniuste agimus, aut iuris deductio abſoluta iuris notioni conſtituendae non valet. Quis vero prius contendat? itaque posterius verum ſit necesſe est.

2. Duplici modo a lege morali aliquid permittitur: aut enim *abſolute* aliquid permittit, aut *relative*, ita obſervante Cl. FEUERBACHIO. Eas permittit *abſolute* actiones, quae lege morali non comprehenduntur, quae facere, quaeque omittere posſumus ſine legis moralis violatione. Illas vero actiones, quas lex moralis faciendas praeſcribit, illas ſimul *relative* permittit, quia ex officii existentia oriuntur; hoc modo: „omne id, quod lex iubet, permittit.“ Ex abſoluta vero iuris deductione ius habemus ad officia nostra implenda, quia lex moralis hoc iubet, ideoque, relative ſcilicet, permittit. Recte hoc quidem; at vero in iuris notione omnino requiritur, ut nobis liceat iure nostro uti, et non uti, prouti nobis placeat. Iuribus nostris facultatem acquirimus agendi; non vero lex nobis praeſcribitur, quam, uti in lege morali, ſequi oportet. Haec iure ſuo utendi et non utendi libertas ex iuris deductione abſoluta non obtinet in omnibus illis iuribus, quae ex morali lege, relative permittente, oriantur, ſive quorum materies est officium, quia in his iuris non-uſus, id est, officii neglectus, lege morali non permittitur. Sic lex moralis iubet ut vitam meam conſervem, ornem, perficiam; igitur hoc permittit, adeoque ut hoc faciam ius habeo; ſed non habeo ut omittam, quia hanc omisſionem non ſinit lex moralis; id est, quando ego malim meas animi dotes non excolere, vitamque agere rudem, incultam, male non tantum, ſed et iniuste ago, ſecundum abſolutae iuris deductionis defenſores. Aut hoc verum est, aut, quod verius videtur, abſoluta iuris deductio iuris notioni non reſpondet.

3. Ut iuris notioni inſit facultas alios cogendi ne ius nostrum laedant, ita quidem requiritur, ut tota iuris notio ſine hac facultate cogendi evaneſcat.

Digitized by Google

Quid vero, si ex hac iuris deductione absoluta probari nequeat huius cogendi facultatis existentia, saltem in nonnullis casibus. Permittuntur absolute illae actiones, quas lex moralis neo iubet, nec vetat, quasque igitur non comprehendit; itaque ius habemus, secundum huius deductionis defensores, ut has actiones instituamus; adeoque ut per vim adversarium, in huius iuris exercitio nos turbantem, repellamus; et haec actio indifferens esset, lege morali non comprehensa? „ein Mensch," egregie inquit FEUERBACHIUS (58) „wird „nach Naturgesetzen behandelt! ein freyes Wesen wird durch eine äussere „Ursache bestimmt! wie kann dies ausserhalb dem Gebiet des Sitten-gesetzes „liegen? wie kann es dem Sitten-gesetz, um mich eines sinnlichen Ausdrucks „zu bedienen, gleichgültig seyn, ob ein vernunftiges Wesen als sache, oder als „Person behandelt werde?" Quid ergo? Ius habeo ad actionem indifferentem instituendam; ergo etiam ius cogendi, ne alter me in huius iuris exercitio turbet. Sed si hanc coactionem in casu quodam vetet lex moralis? si v. c. mihi placeat actionem quamdam nullius quidem momenti instituere, alter vero quodam facto prohibeat ne illam instituam; an ad vim et arma mihi statim recurrendum est, atque impetum in adversarium faciam, unde forte dissensus multi, vulnera et caedes? aut potius iram compescam, et cedam? Iubet posterius lex moralis; vim hic prohibet; nec igitur ius habeo vi utendi; manebitne hoc casu ius actionem instituendi, quia hanc permittit lex moralis, atque evanescet facultas cogendi, quia coactionem impedit eadem illa lex?

Hisce argumentis pro instituti ratione satis mihi videor dixisse adversus absolutam iuris ex lege morali deductionem, ac probasse, hanc non sufficere responsioni ad quaestiones de iuris fonte et notione.

II. Alia est theoria eorum scriptorum, qui ad iuris existentiam in subiecto quodam concludunt ex obligatione in alio subiecto existente, sive, uti quidam dicunt, ex alterius officio perfecto. Scilicet omnia officia ex moralitatis lege derivantes ea dividunt in *perfecta* et *imperfecta;* nos vero obligationis vocabulo utimur, quod accuratius illam denotat necessitatem moralem alterius ius non laedendi, cum officii vox pertineat ad disciplinam Ethices. Haec theoria dicitur relativa iuris deductio, quia secundum eam ius non existit, nisi ex re-

(58) l. l. pag. 124.

Digitized by Google

latione alterius obligationis deductum. Dicunt nempe huius theoriae defenſores, mihi ius competere, quia alteri obligatio incumbit; meum ius itaque ex alterius officio promanare, et iuris adeo notionem non per ſe et abſolute ſubſistere, ſed ab obligatione, quaſi a conditione, pendere. Impugnatur haec ſententia a nonnullis eo argumento, quod omne ius non ex adverſo habeat obligationem; quod quidem argumentum mihi non admittendum videtur, cum potius videatur omnino cuivis iuri obligatio oppoſita eſſe. Hic error vero aliorum auctorum ex eo videtur originem duxiſſe, quod de obligatione tantum cogitarunt particulari, poſitiva; ad obligationem vero generalem negativam non attenderunt, et praeterea obligationis et officii notiones commiſcuerunt. Sed miſſo hoc, ex abſentia obligationis deducto, argumento, alia ſunt, quae huic iuris derivandi rationi opponuntur argumenta. Rogo ego, unde cognoſcere poſſimus, an alicui incumbat quaedam obligatio, ſive quoddam officium perfectum? quaenam ſit differentia obligationem inter ac officium? Reſpondetur, quod quis ad priorem implendam cogi poterit; ut posteriori ſatisfaciat non item. Iterum autem rogo, quaenam nota ſit, unde dignoſcere queam an aliquis mihi ita aliquid debeat, ut, niſi faciat, eum cogere poſſim? Huic autem quaestioni plene reſpondere non poſſe huius deductionis defenſores mihi videntur, niſi ad ipſam iuris in me poſiti notionem velint recurrere: nam ſi, quod plurimi quidem reſpondent, quis dicat, obligationes poſſe deduci ex quodam principio, veluti: „„neminem laede, ſuum cuique tribue, neminis perfectiones „minue," et ſimilia, eadem est quaestio, quibusnam actionibus aliquem laedamus, quidnam ſuum cuiusque ſit.

Alia eaque graviſſima difficultas huic deductioni obſtare videtur, cum non praebeat abſolutam, univerſalem, ac per ſe ſubſiſtentem iuris notionem, qualis tamen omnino ad iuris diſciplinam conſtituendam requiritur; nam ex alterius quidem obligatione iuris notio conſtitui non potest, quae ſuo proprio ſuperſtructa ſit fundamento, quaeque per ſe ſubſiſtat. At vero, inquis, forte haec iuris notio per ſe revera non ſubſiſtere potest; merum est hominum figmentum, atque adeo haec obiectio contra iuris relativam deductionem nil efficit! Scilicet nihil efficeret, ſi aliunde probari poſſet hanc deductionem veram eſſe; at nunc omnino aliquid probat; hoc nimirum, alio modo videndum eſſe ut iuris notionem abſolutam conſtituamus; quod an fieri poſſit iam nunc periculum faciamus.

Digitized by Google

Illa est hominis, in relatione ad alios homines positi, natura, ut plura sibi assequenda possit proponere consilia, aliorum consiliis quam maxime opposita, ita ut igitur diversissimi fines, quos sibi proponunt homines, sibi invicem obstent, neque omnes possint obtineri; possunt homines sibi vitam, famae ac existimationis laudem, bona, libertatem eripere, imo haec et similia quam plurimum, eheu! committunt, ut suis, quae putant, commodis consulant. Sed ecce, obiicis, lex est moralis, quae haec omnia vetat; quid alio opus tibi est contra prava hominum consilia praesidio? Imo vero alio praesidio opus est; haec omnia quidem vetat lex moralis ut alter faciat; ita tamen vetat, ut si alter nihilominus facere velit, mihi non ex lege morali concedatur facultas prohibendi ne faciat, quia penes ipsum tantum iudicium est, anne officia implere velit, an minus. Num igitur hunc humanarum actionum inter se dissensum ac repugnantiam, qua se invicem tollunt, ferre potest ratio nostra? „*sum*; „*ut ne sim; sum, ut ne sit alter?*" inquit consult. GRATAMA (59) „haec „nemo credat, qui humano sensu, humano intellectu praeditus rectae rationis „utitur lumine." Nostrae igitur est rationis, ad summum, ad unitatem quam maximam perpetuo enitentis, quae repugnantiam plane non admittit, eamque vi suae formae tollere debet; rationis, inquam, est, principium, quo haec diversorum hominum propositorum dissensus tollitur, quoddam dare. Quod si cogitamus, et ad rationis formam respicimus, concludamus necesse est, rationem tale nobis proponere debere principium, quo diversa hominum proposita sibi invicem non obstent, salva libertate morali, qua quisque officiis satisfacere potest, et non potest, prouti velit; tale principium, quo cuivis homini *aequaliter* integrum maneat, suis officiis satisfacere, aut minus, remoto omni arbitrio alieno; tale principium, quo cuivis homini liceat sua sibi proponere consilia, et ad ea tendere, ita tamen ut et alius, quae sibi proponat, consilia pariter assequi possit. Iam ex his veluti sponte profluit, illud principium, sive hanc legem, deductam ex necessaria ac rationali custodia humanae societatis, ex omnium aequali libertate, ex necessaria hominum coëxistentia, ex omnium hominum aequalitate, quae enim omnia ad eadem tandem redire videntur, (60)

---

(59) l. l. pag. 124. (60) V. Cl. GRATAMA, Regtsgel. Mag. I, p. 26, et conf. s. GRATAMA, in l. diss. p. 124. convenientiam inter GROTII et Criticae philosophiae doctrinam de primo iu-

Digitized by Google

hoc modo posse enuntiari; „agé externe ita, ut liber usus arbitrii tui cum li-„bertate cuiusque possit ex lege universali constare." (61) Nihil difficultatis huius enuntiationis sensus habere videtur, modo teneamus, hic intelligi per *libertatem cuiusque ex lege universali*, quod illa libertas determinetur ac circumscribatur lege universali, ita ut omnibus sit eadem, adeoque oriatur ex omnium hominum aequalitate; idem igitur, ni fallor, fere fuisset, dixisse: „cum „aequabili, sive ex omnium aequalitate orta cuiusque libertate," vel etiam, „ob communem omnium aequalitatem," quippe quae omnis iuris fons est et fundamentum. Omnis actio, secundum hoc principium, iusta est, si illa neminis laeditur libertas; si, quando omnes idem fecissent homines, singuli suam aequabilem libertatem salvam haberent, neque in ea laederentur; iniusta contra actio est, qua mea libertas, quam cum omnibus hominibus communem habeo, ab alio offenditur.

Hoc modo proponimus iuris deductionem, quae, si vera habenda sit, omnes debet continere notas, quae ad iuris notionem constituendam requiruntur; breviter igitur hasce notas iam nunc proponamus, atque an nostra iuris deductio eas contineat videamus.

1. Primo autem quaeritur iuris notio per se subsistens, universalis, necessaria, immutabilis. Haec autem e proposita deductione profluunt. Pendet haec deductio a nulla quavis extranea notione, a nulla conditione, sed per se ex ipsa rationis natura oritur; nec tamen a lege morali quovis omnino modo iuris determinatur indoles, sed ratio, singulari operatione, cum summum actionum externarum omnium omnino hominum requirat et flagitet consensum, illud iuris principium, ut inde hic consensus existat, efformat. Est porro universalis ac necessaria, cum omnibus omnino naturis rationalibus ac liberis eadem illa sit atque aequalis, quum ita cum ratione, qua omnes gaudent homines, sit coniuncta, ut ab ea evelli nequeat, verum ex ipsa rationis vi existat, adeoque non possit non cogitari universalis ac necessaria. Itaque etiam debet esse immutabilis iuris notio. Est enim rationis indoles immutabilis,

---

ris principio de industria exposuerunt. et GROTII laudes in stabilienda iuris naturae disciplina separata vindicarunt, quare et ego de GROTIO paulo fusius in introductione, § V, egi. (61) KANT, initia Metaphysic. iuris doctrinae; Operum tom. IV, pag. 570.

Digitized by Google

aeterna, quae non a tempore, non a loco, non ab externis rerum rationibus pendet; quae diffuſa in omnes, ubivis una est ac eadem, nec igitur alia hic potest dare principia, alia illic; quae vero perpetuo ſibi conſtare debet, nullamque mutationem pati potest.

2. Ius proprium ſit homini, ſed tantum in relatione ad alios homines poſito, atque non niſi ad actiones externas pertineat. Ex propoſito autem iuris principio patet, non aliam esſe posſe hanc iuris notionem; circumſcribitur enim cuiuscumque ius aliorum aequali iure ſive libertate; ergo de iure quaeſtio numquam esſe potest, niſi quando duo pluresve homines una existunt, quorum cuiusque libertas aequali aliorum libertate determinatur. Hominis, ſolius in inſula deſerta, in navi errantis nullum est ius, quia ſuae actiones non aliorum determinantur libertate, cum ad aliorum libertatem non referri posſint; et ita etiam tantum pertinet ius ad actiones externas; interna enim actione aliorum libertas agendi laedi non potest. Quo fine, quo conſilio motus ego actionem quamdam inſtituero, ad aliorum arbitrium liberum nil pertinet.

3. Notio iuris, quae liberas tantum reſpicit actiones, requiritur. Et haec iuris notio in propoſita deductione invenitur: „age externe ita, ut" etc. Hoc modo proponitur ſummum iuris principium, quod igitur, niſi ad actiones liberas pertinens, cogitari nequit. In iis omnibus caſibus, in quibus homo rei inſtar extrinſecus legi cauſalitatis ſubiicitur, atque ex naturae legibus, ſine ſuae libertatis uſu, determinatur, non potest dici aliorum libertatem offendere ſuis actionibus, quia inſtrumenti in modum determinatur; adeoque nulla de iure quaestio est.

4. Notio iuris postulatur, ſecundum quam externa homo habeat iura, ſive, qua posſit actiones inſtituere legi morali contrarias, attamen iustas. Etiam haec iuris nota existit ex deductione iuris, quam expoſui; etenim actio mea, utut inhonesta, utut turpis, modo conſistere posſit cum cuiusque libertate ex lege univerſali, iusta est dicenda. Sic quando mendico panem denegem, quando homini in aquam delapſo auxilium, quo vitam conſervet, ubi posſim, non praebeam, eumque perire ſinam, utut turpis, imo inhumana ſit actio, iusta manet, quia mei arbitrii uſus potest conſistere cum aliorum omnium libertate aequali. Quando ego vitae pertaeſus me illa privari cupio, certe haec actio morali legi contraria, nullius laedit libertatem, adeoque iusta est.

5. Notioni iuris inſit cogendi facultas, id est, ex iure, quod habeo, ſimul

Digitized by Google

debet mihi competere ius, illud ius meum vi vindicandi contra omnium omnino aliorum actiones, quibus mei arbitrii liberum usum ex lege universali impedire conantur, sive quibus ius meum laedunt. Haec cogendi facultas sequitur ex nostra deductione; quia si quaevis actio iusta est, quae cum omnium aliorum aequali libertate potest consistere, patet iustam esse actionem, qua vi alium repello, ne me impediat in mei arbitrii libero usu ex lege universali; vis enim illa cum omnium aequali libertate constare potest. Si alter libertate sua ita in me utatur, ut excedat limites aequales cuiusque libertatis, adeoque in me iniuriam committat, hunc si ego repellam, atque in suae libertatis, quae cum omnium libertate consistere potest, fines reiiciam, hac vi non alterius cuiusvis libertatem ex lege universali laedo, adeoque iusta est. (62) Sic singulis hominibus certus quasi est descriptus orbis, intra quem libere agere possunt, qui omnium simili libertatis orbe determinatur atque circumscribitur, et in quo nullius arbitrium admittere tenentur, in quo se vi tueri illis licet, quem vero egredi iniuria est, ita ut intra eum repelli a laeso, cuius orbem iuris ingressi sunt, possint. Ius, ut metaphora acuta exprimam, oritur ex ponderum aequalitate, atque obligatio quaeque a iure repetenda oritur propter disruptum virium aequilibrium. Ius cogendi eodem fere argumentationis genere homini vindicatur, quo existentia aequilibrii a ponderum aequalitate in physicis; aut enim negato aequilibrio, pondera sunt haud aequalia, quod repugnat concessis; aut aequalia pondera simul habenda sunt inaequalia, quod est absurdum.

6. Existit tandem ex hac iuris notione libertas iuridica; id est, quis prouti velit, iuribus suis uti potest, et non potest; usus enim arbitrii sui liber cuivis conceditur, ut limitetur tantum aliorum aequali libertate; non usu autem meae libertatis alterius libertatem nequeo offendere; nemo igitur est, cui rationes reddam de modo, quo intra iuris mei veluti orbem, seu sphaeram, circumvagor. Est mihi ius a debitore debitum exigendi; at vero si nolim exigere, illud autem ei remittam, nemo est qui iniuriae audeat me postulare.

Ex hac ergo iuris deductione omnes illas iuris acquisivimus notas, quae ei inesse a sana hominum mente iam ex suis de iure notionibus dicebantur. Videtur itaque haec deductio plene satisfacere omnibus illis requisitis, quae ad

---

(62) Kant, l. l. p. 570.

iuris notionem constituendam requirebantur, eamque veram esse non sine aliquo fundamento credere nobis, ni fallor, licet.

Posito itaque iuris principio, sive lege: „age externe ita, ut liber usus arbitrii tui cum libertate cuiusque possit ex lege universali constare;" ex hac lege sequitur, *ius* esse, sensu qualitatis actionis qua iusta est, *complexum conditionum, quibus arbitrium unius cum alterius arbitrio queat ex lege libertatis universali conciliari.* (63) Ius autem, sensu facultatis respectu ad ius habentem, „facultas" est „in homine, actiones suas externas pro suo arbitrio instituendi, modo consistere possint cum alterius arbitrio ex lege universali." Quando igitur dicimus actionem aliquam iustam esse, significamus illi inesse omnes conditiones, quibus ex arbitrio unius queat edita actio conciliari cum alterius arbitrio ex lege libertatis universali. Quando dicimus, homo ius habet ad hanc illamve actionem instituendam, intelligimus, illi facultatem esse talem actionem instituendi, quia ille arbitrii sui usus consistere potest cum alterius arbitrio ex lege universali.

Hac ratione, aliorum vestigia secutus, iuris notio deducenda, exponenda atque explicanda mihi videbatur. De iuris naturae disciplina nunc est videndum.

Recentiores nonnulli philosophi per *iuris naturae* scientiam, doctrinam intelligunt iurium, quae *singulis hominibus* natura tribuit, illamque adeo distinguunt a *iuris naturalis Gentium*, ac *iuris naturalis socialis* doctrinis; quarum prior iura doceat *inter singulas Gentes* secundum legem iusti universalem obtinentia; posterior iura naturalia, aut quae *summum Imperantem inter in civitate ac cives*, qua tales, locum habent, aut iura naturalia *singularum societatum*, veluti societatis matrimonialis, domesticae, sive familiae, similiumque. Illam autem doctrinam, quae iusti naturam in genere exponit, in illius fontem inquirit, principia ac legem iusti universalem exponit, *metaphysicam iuris*, vel *philosophiam iuris*, vel etiam simpliciter *iuris doctrinam* appellant; hanc autem alii Doctores iuris universalis disciplinam vocant *ius naturae*, ceu doctrinam eius, quod a natura iustum est.

In proposita quaestione *iuris naturae* mentio occurrit; ita autem occurrit, ut dubii esse non diu possimus, quin hic intelligatur universa iuris disciplina

---

(63) KANT, l. l. p. 569.

Digitized by Google

eius, quod a natura est. Totus enim quaestionis ſenſus vetat, eam niſi generaliter intelligere, cum pateat differentiam quaeri univerſi iuris doctrinam inter et Ethicam. Quid enim attinuiſſet differentiam quaerere unam iuris naturalis partem inter ac Ethicam, cum aut omnes iuris naturalis partes cum Ethica cohaerere debeant, aut nulla ab ea pendeat. De iuris naturae igitur disciplina locutus, univerſam me intelligere iuris naturalis doctrinam monendum duxi.

Est autem iuris naturae disciplina philoſophica, eaque practica doctrina, quippe quae oritur ex ipſis rationis principiis, et quidem ex principio, quod actionum nostrarum continet legem. Oritur autem, uti vidimus, ex ſpeciali principio, quod non a quavis alia lege, veluti a conditione, pendet, verum per ſe et abſolute ſubſiſtit, quodque non niſi externis hominum actionibus praeſcribitur. Ratio hanc legem ita praeſcribit, ut non neceſſe habeat homo illam ſibi ſequendam proponere ob ipſius legis reverentiam; ſed ut ab iniuria aliis inferenda immunis ſit, ſufficit modo ſecundum illam ſuae ſint compoſitae actiones. Kantii verba ſunt (64): „non potest postulari, ut hoc principium normarum „omnium itidem in normis ſit, hoc est, ut *mihi* istud *pro norma* actionum „mearum *conſtituam;* quisque enim liber eſſe potest, quamquam libertatis illi„us minime mea intereſſet, vel animo illi quidquam detrahere vellem, ſi mo„do *actione* mea *externa* ei non officiam." Si itaque utilitatis, felicitatis, pacis ſtudio, metuve poenae motus iuste agam, legi iusti univerſali a me ſatisfactum est, cum nihil niſi externarum actionum convenientiam cum lege, ſive legalitatem requirat. Est igitur *ratio practica, ſingulari vero, a lege morali diverſo, principio,* iuris disciplinae fons.

Iura ſunt obiecta disciplinae iuris naturae, ſive doceat ius naturae, quaenam hominum actiones conſistere poſſint cum arbitrio alterius ex lege libertatis univerſali; ſive doceat ius naturae, quinam ſit complexus conditionum, quibus arbitrium unius poſſit conſistere cum arbitrio alterius ſecundum legem libertatis univerſalem.

Legalitas, ſive convenientia externarum hominum actionum cum lege iuris univerſali, finis est iuris naturae. Non enim curat haec disciplina, quo con-

(64) l. l. p. 570.

Digitized by Google

alio moti iuste agant homines; sed postulat tantum ut *iuste*, id est, *secundum*, non vero *propter* legem institutae sint actiones.

Haec autem, quae de fonte, obiecto et fine iuris naturae disciplinae dixi, ex praecedentibus sponte sequi videntur; ita ut de his fusius disputasse, esset repetiisse quae iam sunt dicta.

Digitized by Google

CAPUT III.

De discrimine inter Iuris Naturae et Ethices disciplinas.

Per totam scriptionem iam consideravimus iuris naturae atque Ethices disciplinas tamquam inter se diversas; atque igitur quodammodo de differentia inter ius naturae et Ethicam sententiam iam proposuimus. Hanc autem sententiam, facta comparatione inter fontes, obiecta et fines utriusque disciplinae, stabilire consilium est huius capitis.

I. De diversa forma, qua utraque disciplina ex ratione derivatur.

Supra diximus omnes disciplinas, praeter mathematicas, quarum hoc loco ratio habenda non est, ratione fontis sive originis in duas posse dividi classes; altera est *Philosophicarum*, *Historicarum* disciplinarum altera; quarum quae ad priorem classem pertinent, ex ipsius rationis principiis sive notionibus sunt profectae; quae ad posteriorem pertinent classem, obiecta ab experientia proposita tantummodo curant. Diximus praeterea philosophicas disciplinas esse vel *Theoreticas* vel *Practicas;* quarum priores tantummodo id investigant, quod verum est; posteriores docent quid agendum.

Quod ergo ad iuris naturae et Ethices disciplinas attinet, eas esse philosophicas disciplinas, iam sponte patet. Altera alteri affinis est fonte, nimirum ratione, quae regulam humanis praescribit actionibus. Ambae igitur disciplinae philosophicae sunt, eaeque practicae.

Diversimode attamen iuris naturae atque Ethices disciplinae a ratione proficiscuntur, cum diversa admodum sint, ad quae ratio sese accommodare habet necesse.

Ethices summum principium opus est propter diversitatem finium, in hominis natura conspiciendorum, quos homo quidem sibi proponit assequendos, ut tamen eos assequi omnes non valeat; iubet rationalis natura ut probus sit atque honestus; sensus impellunt ad voluptatem, ad illud felicitatis genus quod hominis studio sui (φιλαυτιαν dicunt) circumscribitur. Ex hoc propositorum

Digitized by Google

inter se dissensu atque repugnantia pugna existit in ipso homine; quam sustulit ratio practica, iubendo: „age ex norma, quae eadem possit ut lex universalis locum habere;" promanat itaque summum Ethices principium ex rationis auctoritate *ad internam hominis libertatem* sive *voluntatem* sese applicante.

Sed non tantum in ipso homine pugna est naturam rationalem inter ac sensualem, verum homo, qui existit in hoc terrarum orbe cum aliis hominibus sibi similibus, plurima sibi proponere potest consilia, quibus obtinendis impediret quo minus alii homines sua possent attingere proposita. Hanc tollit repugnantiam inter diversa hominum proposita ratio, quae, sese ad *externam hominum libertatem*, ad externas actiones applicando, iubet, ne quis suo libertatis usu aliorum minuat aut tollat libertatem ex lege universali, sive quae hanc proponit legem externae libertatis: „age externe ita, ut liber usus arbitrii „tui cum libertate cuiusque possit ex lege universali constare."

Duplici igitur modo diversae inter se sunt notiones, e quibus promanant Ethices ac iuris naturae disciplinae; nempe,

1. Quod Ethices disciplina descendat a ratione, ad internam agendi libertatem, sive ad voluntatem applicata; cum iuris naturae notio profecta sit ex notione libertatis externae, sive liberi arbitrii cuiusque hominis, quod consistere possit cum aliorum arbitrio libero ex lege universali.

2. Quod ratio igitur aliud Ethices summum praebeat principium, aliud iuris naturae principium. Oritur ex priori officium, id est, necessitas agendi moralis, cui obedire homo omnino ex rationis practicae lege tenetur, cui tamen, si male agere velit, vi libertatis moralis et non obedire potest. Ex posteriori oritur ius, id est, facultas pro suo arbitrio agendi, qua iuste semper agit, modo aliorum aequalem observet iuris facultatem, sive liberum arbitrium ex lege libertatis universali, qua igitur non certa determinataque actio ei facienda proponitur, uti ex virtutis lege; sed qua acquirit liberum inter quasdam actiones, quarum nulla alterius offendit libertatem, eligendi arbitrium.

II. De Iuris Naturae ac Ethices disciplinarum obiectis, inter se diversis.

Iuris naturae disciplinae obiectum faciunt *Iura*; Ethices *Officia*; in horum igitur differentiam inquirendum est, ut de utriusque disciplinae differentia quoad obiectum iudicare possimus. Notio tum officii tum iuris, universalis, necessaria

Digitized by Google

est ex ipfius rationis principiis, licet diverfo modo deducta. Ius et officium tantum pertinent ad homines libere agentes, five ad naturas rationales liberas. In eo igitur inter fe habent convenientiam quamdam; fed licet in nonnullis convenire posfint, ita tamen inter fe funt diverfae iuris et officii notiones, ut obiecta iuris naturae et Ethices omnino diverfa conftituant.

1. Prima differentia inter officium et ius in eo fpectatur, quod cum prius locum habeat in homine per fe et abfolute fpectato, posterius non obtineat nifi quando hominem cogitamus in relatione ad alios homines, five naturas liberas rationales fibi fimiles. In officio enim ex lege rationis practicae homo iubetur quid illi fit faciendum omittendumve; et hoc rationis practicae dictamen folius fubiecti voluntati praefcriptum, de aliorum hominum arbitrio aut voluntate nihil ftatuit, neque ad hanc refpicit; in iure contra, ratio practica homini principium praefcribit, fecundum quod fuas inftituat actiones, ne cum aliorum hominum propofitis in pugnam incidat; ergo hominum actiones iuris principio non fubfunt, nifi quoad ad alios homines relatae funt. Si itaque hominem cogitemus ab omni cum hominibus focietate remotum, officia manent, tollitur ius.

2. Alia iam fponte ex propofita differentia fequitur officii et iuris inter fe diverfitas. Iuri fcilicet, id est, facultati actionem quamdam pro fuo arbitrio inftituendi, femper refpondet obligatio, aut pofitiva, aut negativa, id est, necesfitas moralis, uni pluribusve hominibus impofita, ad aliquid aut faciendum aut omittendum; ius est enim facultas actiones externas pro fuo arbitrio ex lege univerfali libero inftituendi, unde omnino aliis hominibus debet oriri necesfitas, five obligatio, me in arbitrii mei ufu non turbandi. Sic ex pacto cum altero celebrato, quo fefe ad aliquid mihi praeftandum obftrinxit, mihi nafcitur ius illud petendi, illi vero obligatio, eaque pofitiva, id quod debet praeftandi. Ex alio quodam iure, veluti ex eo, quo mihi liceat animi mei dotes excolere, aliis omnibus hominibus existit obligatio, eaque negativa, meum in hac actione arbitrium non limitandi. Hoc in officio, five in necesfitate morali legi rationis practicae obtemperandi, non ita obtinet. Nullum est vinculum meum officium inter et alterius officium, aut obligationem, aut ius; officii mei notio per fe libera ab omni cum altero homine relatione fubfiftit.

3. Tertia oritur inter officia et iura differentia ex facultate cogendi, quae posterioribus inest, prioribus non item. Ex iure, ex facultate fuas pro fuo

arbitrio instituendi actiones sequitur facultas, quae ius habenti est, ut omne impedimentum sui arbitrii usui oppositum arceat atque repellat, sive ut alios homines cogat, suis erga ipsum obligationibus, aut positivis, aut negativis, satisfaciendi. Tale quid in officio, sive morali necessitate legi rationis practicae obediendi, cogitari nequit; cum enim officium per se subsistat, nullo aliorum hominum habito respectu, de aliis hominibus cogendis nulla oritur quaestio. „Sed," inquis, „possum alios homines cogere, ne mihi in officiis meis im„plendis impedimento sint, ideoque officiis etiam inest cogendi facultas:" ergo non vides, te nunc officii notionem ad iuris facultatem applicasse, et officium fecisse iuris materiem, ita ut cogendi facultas oriatur ex iure, non ex officio? Ius habes ut officium impleas, et ex hoc iure facultatem alium cogendi ne tibi officio satisfacienti obsit. Iuri itaque inest cogendi facultas, quae ad officium nil pertinet.

4. Quarta differentia inter iura et officia in eo est, quod ad posteriora implenda homo omnino et semper teneatur, sive, ex iis necessitas quaedam agendi illi existat; ex prioribus non item. Lex virtutis hominem iubet et obligat ut officia sua impleat; cathegorica voce imperat lex, atque hominis voluntatem perpetuo obstringit, salva tamen libertate morali, qua a lege virtutis recedere potest; sed tunc non amplius officio satisfacit. Quando autem homo legi virtutis obtemperare velit, nulla amplius ei inter duas pluresve actiones oppositas, tamen bonas, est electio; unam iubet lex faciendam. In iure secus est; lex iuris certum homini praebet agendi ambitum, in quo pro suo arbitrio potest circumvagari; sive iure suo utatur, sive non utatur, sive hanc actionem, sive aliam velit instituere, iusta quaevis est actio, quae potest consistere cum cuiusque libertate ex lege universali.

5. Quinta haec observatur differentia; si officiis satisfacere velimus, non tantum requiritur, ut, quod dicunt, materies officii, sive ipsa actio conveniat cum lege moralitatis, verum etiam ut officio satisfaciamus ob solam legis reverentiam, nullo alio consilio moti; cum in iure simpliciter actionis convenientia cum lege requiratur. Lex moralitatis legem praescribit voluntati, et suam vim obligandi non ex aliquo consilio homini proposito petit, sed ex se ipsa; officio igitur satisfaciendum est propter ipsum officium, et actio, quae legi moralitatis forte convenit, si non propter ipsius legis venerationem suscepta sit, bona non est, et hoc casu non dicere possumus nos officio satisfecisse. In iu-

Digitized by Google

re contra tantummodo externa requiritur convenientia cum lege, ſive, quod vocant, legalitas, ita ut quaevis actio quovis conſilio ſuſcepta, modo externe cum iuris lege conveniat, iusta ſit.

6. Tandem propono differentiam, quae ex praecedente ſponte ſequitur, et characteristicam praecipue efficit notam, qua officium a iure distinguatur; hanc ſcilicet, quod cum iuris lex tantum reſpiciat libertatem externam, ſive actiones externas, moralitatis lex contra ad internam tantum pertinet libertatem. Iuris legi tantum ſubſunt actiones externae, ſive externus libertatis uſus; omnis itaque actio, quae externa non est, ad ius non potest pertinere. Officium refertur ad voluntatem, ad internum libertatis uſum; omnis igitur actio, ſive interna ſit, ſive externa, ex voluntate profecta, ad officia debet pertinere. Inde iuri conſtituitur forum externum, ſeu iuridicum, id est, de actionum humanarum externarum legalitate quaeritur; de officio interna tantum est diiudicatio, id est, determinatur, an decretum voluntatis, ex quo actio est profecta, conveniat cum lege moralitatis.

Hisce notis officii et iuris notiones videntur inter ſe diſtingui debere, atque ad quaestionem propoſitam itaque reſpondere debemus, disciplinas iuris naturae et Ethices, etiam ratione obiecti, diverſas esſe.

III. De utraque disciplina, ratione finis diverſa.

Virtutem finem esſe Ethices disciplinae, *legalitatem* disciplinae iuris naturae, diximus. Lex moralitatis, ſua gravitate procedens, ſua veluti maiestate fulgens, atque nullo aliunde ſumto momento, ſua ipſius tantummodo vi armata, hominum animos percellit, atque obedientiam imperat, iubet, requirit. Postulat lex non tantum ut actiones, ſed voluntatem nostram ob ſolam legis venerationem ad legis praeſcriptum flectamus. Virtus itaque conſpicitur in voluntatis nostrae convenientia cum lege; verum legalitas non est niſi externarum actionum convenientia cum lege iuris, ſive illa ſit orta convenientia ex metu poenae, ſive ex cogitatione coactionis, quam alii contra nos, niſi iuste agamus, adhibent homines, ſive ex laudis honorisve ſtudio; quovis igitur fine moti, quando actiones externae conſtare posſunt cum libertate cuiusque, ex lege univerſali, adest legalitas, id est, iuris disciplinae finis: ut ad virtutem, ſive moralitatem perveniamus, quae est finis Ethices, bona postulatur voluntas, ſive voluntas legi accommodata. Reſpectu ad finem igitur diverſae ſunt etiam iuris naturae et Ethices disciplinae.

Digitized by Google

Ex hactenus disputatis igitur concludamus necesse est, disciplinas iuris naturae et Ethices inter se quoad formam, qua ambae philosophicae, et quidem practicae sunt, diversas non esse; affines autem esse ratione *fontis*, unde utraque, licet vario modo, derivatur; *Obiectis* tamen quae spectat, et *fine* ad quem tendit, differre Ethices et iuris naturae doctrinam.

Das Naturrecht hat mit der Moral nichts anders gemein, als ihre allgemeine Quelle, die Vernunft, und zwar die praktische Vernunft. Im übrigen sind sie durchgängig von einander verschieden.

FEUERBACH.

Digitized by Google

Digitized by Google

IOHANNIS MUNTENDAM,

MUIDENSIS,

DISQUISITIO

QUAESTIONIS PROPOSITAE AB ORDINE THEOLOGICO IN ACADEMIA GRONINGANA:

UT BREVIS VERAQUE ORTUS ET PROGRESSUS ALLEGORICAE SACR. LITT. INTERPRETATIONIS HISTORIA EXPONATUR, EIUSQUE SIMUL PERVERSI IN RELIGIONIS CHRISTIANAE DOCTRINA EXPLANANDA EFFECTUS EX DOGMATUM HISTORIA OSTENDANTUR.

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT.

Digitized by Google

Digitized by Google

INTRODUCTIO.

Priusquam ad ipſam quaestionis enucleationem transgrediamur; in antecesſum pauca dicenda ſunt de ſignificatione vocis *Allegoria*, et quid per interpretationem allegoricam intelligamus. *Allegoriae* vox est origene Graeca a verbo ἀλληγορεω, *aliud verbis alio ſenſu ostendo*, estque igitur tropi cuiusdum inprimis Metaphorae per unum alterumve membrum continuatio, qua alius ſenſus ex oratione eliciatur, quam quae verbis proprie intellectis efficiatur; ſive modus ſententiae integrae ita exprimendae, ut loco rei, quae proprie tradita est, tradatur res ei ſimilis. Attamen, uti recte obſervat ERNESTIUS *in Interp. N. Test.* p. 9. „allegoriae ne ſenſus quidem loco annumerandae ſunt; „ſunt enim potius ſenſus, qui proprie dicitur, et rerum ad aliquod caput doc„trinae illustrandae accommodationes: quae ſi ab hominibus indoctis tracten„tur, plerumque in luſus inanes ſaepe etiam ridiculos abeunt." Ut autem ſtrictim exponámus, quid ſit *interpretatio allegorica*, exemplo ſit historia Protoplastorum, inqua per *arborem vitae* interpretes allegorici intelligunt *pietatem inter omnes virtutes eminentem, quae animum reddat immortalem et beatum*, per *arborem* vero *cognitionis boni malique, prudentiam, quae diſcernat res natura ſibi contrarias;* per *ſerpentem* denique *voluptatem, hominibus pernicioſam.* Quod ſi porro miraculum CHRISTI Ioh. V: vs. 1—16 ita interpretamur, ut ſit typus oeconomiae gratiae, et per *aquam, ſervatoris*

Digitized by Google

gratiam, per *angelum*; *sacerdotes*, per *aegrotum* vero *populum Israëliticum* intelligamus, Allegorica est interpretatio.

Iam vero ut ordine progrediamur, sequenti modo quaestionis enucleationem tractandam esse nobis proposuimus.

I. Primo nempe brevem veramque ortus et progressus Allegoricae sacrarum Litt. Interpretationis historiam exponemus, et quidem ita ut ostendamus,

A. ortum et progressum huius studii usque ad I. CHRISTUM.

B. dein fata huius interpretationis a I. CHRISTO usque ad ORIGENEM commemoremus.

C. tum vero continuationem huius studii ab ORIGENE usque ad LUTHERUM paucis enucleemus.

D. denique a LUTHERO ad nostram usque memoriam.

Quam distinctionem sequendam duximus, quia a viris laudatis magna, hoc in studio, licet diversissimo modo, facta est mutatio, unde commode nobis visum est, primam hanc quaestionis partem ita distinguere, ut a singulis hisce viris nova incipiat periodus.

II. Secundo loco eius perversos in Religionis Christianae doctrina explananda effectus ex dogmatum historia ostendemus; qua in re ita versabimur, ut

A. generaliores quasdam hac de re animadversiones commemoremus.

B. dein autem depravationes dogmatum ab ortu huius studii usque ad dimidium decimi octavi seculi exponamus, et quidem ita, ut

a. nobis agendum sit de *Theologia*.

b. de *Christologia*.

C. Denique tertia pars continebit depravationes per studium Allegoricae interpretationis inde a dimidio seculi decimi octavi ad nostram aetatem, et quidem eodem modo, quo in parte secunda proposuimus.

Iam autem cum hunc laborem aggrediar atque in hoc ingenii certamine honestissimo mearum virium periculum faciam, Vos Viri Cl. enixe rogo, ut omnia illa magna multaque vitia, quae in hac enucleatione non obvia non esse possint, pro humanitate atque benevolentia vestra iuventuti meae benigne concedatis. Qua fidens alacri animo opus hoc mihi propositum incipiam.

Digitized by Google

PARS PRIMA.

Brevis veraque ortus et progreſſus Allegoricae Sacr. Litt. interpretationis Historia.

PERIODUS PRIMA.

Ortus et progreſſus huius ſtudii usque ad I. CHRISTUM.

§ 1.

Iam diu ante CHRISTI tempora apud Iudaeos doctores receptam fuiſſe ſententiam, in verbis Codicis ſacri librorum ſimplicibus et claris occultas latere et ſublimes veritates, ex huius aevi ſcriptoribus quam clariſſime conſtat. PHILO enim Iudaeus laudat hanc interpretationem tanquam priſco ritu uſitatam; nam in libro ſuo *de vita contemplativa pag.* 691, ubi ſermo est *de Theoreticis Esſaeis*, totidem verbis dicit: „ἐντυγχάνοντες γὰρ τοῖς ἱεροτάτοις γράμμασι, φιλοσοφοῦσι, „την πάτριον φιλοσοφίαν ἀλληγοροῦντες, ἐπειδη σύμβολα τὰ τῆς ῥητῆς ἑρμηνείας, νομίζουσι „φύσεως αποκεκρυμμένης ἐν ὑπονοιας δηλομένης. ἔστι δε αὐτοῖς και συγγράμματα παλαιῶν „ἀνδρῶν, οἱ τῆς αιρεσεως ἀρχηγέται γενομενοι πολλα μνημεια της ἐν τοῖς αλληγορουμένοις ἰδέας „ἀπελίπον, οἷς καθαπερ τισιν ἀρχετυποίς χρώμενοι μιμουνται της προαιρεσεως τὸν τροπον". et „quoties" idem inquit ſcriptor *de Esſaeis practicis*, „quoties ſacras ae„des, quas ſynagogas vocant, adeunt pro aetatis ordine iuniores et ad ſeniorum „pedes conſident, atque ad audiendum ſe componunt: ειθ᾽όμην τάς βίβλους αναγι„νάσκειν λαβών, ἕτερος δέ τῶν ἐμπειροτατων, ὅσα μή γνώριμα παρελθὼν ἀναγινώσκει. τα γαρ „πλεῖστα διά συμβόλων ἀρχαιο τροπω ζηλώσει παρ᾽ αυτοις φιλοσοφειται; ibi alius ex li„bro praelegit, alius quispiam unus ex peritioribus accedens, quae obscuriora „ſunt, explicat. Nam pleraque per figuras more veterum apud ipſos tra-

Digitized by Google

„duntur." Atque haec eius de *Esfaeis* effata alio loco ad communem Iudaeorum disciplinam adaptat. Conftat igitur iam ex Philonis testimonio, talem interpretandi rationem iam diu ante C. N. viguisfe. Videamus autem nunc, num aliquid certi de tempore, quo haec interpretatio orta fit, ftatuere posfimus.

§ 2.

Hoc ftudium nobis videtur maxime vigere coepisfe postquam fynagogae ortae erant, quod post Babylonicae fervitutis finem factum esfe diferte docuit Cl. VITRINGA. (1) Post hanc enim captivitatem, cum χαρισμα προφητειας defecisfet, fcholae funt erectae, quae in loco propheticarum fuccederent, in quibus eadem illa quidem agebantur, fed e traditione et pro facultate cuiusque legendo, cogitando, exercitandoque comparata, ita ut in hisce fcholis feu fynagogis non modo veteris Testamenti fenfus exponeretur literalis five grammaticus, fed et altior aliquis et profundior, qui magis erat fpiritualis magisque, ficuti videbatur, fapientiae divinae confentaneus. Appellatae autem erant: בתי-המדרשות quod patet ex *Lexico* ELIAE LEVITAE, qui ad hoc vocabulum דריש haec addit: „expofitio Allegorica feu concio appellatur quoque דריש aut דרשה is vero qui talem discurfum profert (dicitur) דרשן *orator*, ficuti *Rabbi* MOSES „*concionator*." Porro idem illo etiam habet; מדרש appellatur *explicatio*, *quae fenfum fuum literalem non fequitur*; ex hisce igitur fcholis, praeter alias corruptiones etiam nostram Allegoricam interpretandi rationem ortam esfe, ex iftius temporis Iudaeorum monumentis cerni potest.

(1) Videatur VITRINGA *de Syn. vet. Libr.* I. *part.* 2. *c.* XII. *p.* 413. nec non I. A. ERNEST. *Opusc. Phil. Crit. p.* 288 et *feqq.*

§ 3.

Hoc ftudium autem inprimis fectati funt Iudaei tempore *Alexandri magni.* Cum enim fub eius, eiusque fuccesforum imperio Graeci Palaestinam occupasfent, huc Graecorum linguam, mores, confuetudines, philofophiae ftudium et omnes Iudaeorum artes transtulerunt. Idque initium fuum cepit *Alexandriae* (2) ubi magna doctorum hominum erat frequentia, qui philofophiae operam impendentes iure inde praeclarum celebritatis nomen fibi compararint. Hi

Digitized by Google

docti homines summa id ope egerunt, ut philosophos Graecos, per Allegoricam sacrae scripturae interpretandi rationem, in suas ducerent partes, iisque omnem opinionem antecaptam, cum veram religionem contemtui habebant, adimerent. Magno enim in honore istiusmodi Allegoriarum studium erat apud Graecos philosophos, utpote qui suos de Diis eorumque factis commentarios antiquos Allegorica ratione interpretari solerent, uti v. c. fecit PLATO, qui scholarum magistris Allegoricam *Homeri* interpretationem quam maxime commendavit. (3) Iudaei enim cum probe perspicerent, religionem suam eam ob causam a philosophis contemni, quod multas continere minutias videretur Deo indignas, v. c. praecepta de puris impurisque animantibus, de vestimentis sacerdotum etc. hanc suspicionem optime se amoveri a sua lege posse existimarunt, si philosophis gentilium persuaderent, sub verbis simplicibus latere veritates altas et spirituales, quae solummodo ex arcanis philosophiae disciplinis vere explicari possent. (4) Talis autem accommodatio philosophiae practicae gentium, ad MOSIS prophetarumque praecepta practica, inprimis, uti diximus, facta est a Iudaeis, Alexandriam urbem incolentibus, qui, ab ALEXANDRO M. civitate donati, ibi aequali cum ceteris civibus iure uterentur, ut ex IOSEPHO aliisque constat.

Primus autem, qui, quoad hucdum scimus, hac methodo usus est, ARISTOBULUS (*Iudaeus Alexandrinus*) fuit. (5) Is enim MOSIS prophetarumque scripta cum placitis poëtarum et philosophorum gentilium conciliare atque omnia allegorice explicare conatus est. Plures eum hac in re secuti sunt, uti, IES. SYRACH, scriptor anonymus Libri *sapientiae*, cuius doctrina omni modo philosophiae pythagoricae accommodata est, et plures alii. (6)

(2) Videatur Cl. H. MUNTINGHE *Gesch. der Menschheid naar den Bybel tom.* 8. *nota* 240. (3) Vid. PLATO *de Rep. Lib.* 2. *p.* 605. (4) Vid. EUSEBII *Praep. Euang. Lib.* 8. *c.* 9. *init.* ubi ad talem philosophorum obiectionem EUSEBIUS respondit. (5) Cuius exemplum hac in re maxime valet, utpote qui in *Alexandriae urbe* versatus fuerit. (6) Vid. Cl. H. MUNTINGHE *Libr. laud. tom.* 8. *p.* 302. *not.* 235.

§ 4.

Quomodo autem scriptores Iudaei hac interpretandi ratione ante IESUM CHRISTUM usi sint, ex PHILONE *Iudaeo* videre possumus, qui eiusmodi ex-

Digitized by Google

plicationibus Allegoricis abundat. Inſpiciamus modo ipſius librum *de Mundi Opificio;* (7) ubi per *Paradiſum* intelligit *principalem animi vim;* per *arborem vitae pietatem*, per *arborem cognitionis boni malique mediam ſcientiam, quae diſcernat res natura contrarias*, per *ſerpentem*, *voluptatem* etc. Audiamus porro eundem in libr. *de Cherubim* (vol. 2.): Hic multa annotavit ridicula ad verba: *Adam cognovit uxorem ſuum peperitque filium ſuum Cainum*, per *mulierem* intelligit *ſenſum;* deinde autem Patriarchae matrimonia iniisſe dicuntur non *cum mulieribus* (i. e. *ſenſibus*) ſed cum *virtutibus*. (8) Idem ille PHILO leges de prohibitione nonnullorum ciborum eodem modo explicare conatus est, nempe in Libr. ſuo *de agricultura* (*tom.* III. *operum*) de camelo animali impuro loquens, dicit; ſe rationem huius legis non perſpicere, ſi ſenſu literali explicetur „*τὸν καμήλον*" enim inquit „*ὀυχ' ὑρας ὅτι ἀκαθαρτον φησιν* „*ἐιναι ζωον ὀνομος, ἐπειδη μηρυκαται μὲν ὀυν διχηλη δε; καιτοιγε προς τον ῥήτην ἐπισκεψ-* „*ιν ὀυκ εἰδ᾽ὀν ἐχει λογον ἡ προσαποδοθεισα προς δε την δι ὑπονοιαν ἀναγκαιότατον.*"

Quid dicam de ipſius libro, ubi agit *de ſacris legibus allegoricis?* totus ille liber repletus est abſurdisſimis hisce interpretationibus. Mirum in modum historiam *Creationis* et *Protoplastorum* allegorice explicare conatus est, ſic, ut hoc utar exemplo, ad verba: *ex Edene autem manabat flumen* cet. usque ad *quartus est Euphrates*, ſequentia adnotavit: „per hos vult particulares virtutes deſignare; „hae ſunt numero quatuor *prudentia*, *temperantia*, *fortitudo*, *iustitia*, *δμὲν* „*δη μεγιστος πόταμος οὗ αἱ τέτταρες ἀποῤῥοιαι γέγονασιν, ἡ γενική εστι ἀρετη τήν τινες* „*ἀγαθοτητα ὠνόμασαν, αἱ δε τετταρες ἀποῤῥοιαι ισάριθμοι ἀρεται.*" Plura autem ex PHILONE huiusmodi exempla proferre, brevitatis adiuvandae ſtudio, praetermittemus. (9)

(7) *Vol.* I. *pag.* 107. (8) Vid. Cl. ROZENMULLERUS in *Hist. Interpret. L. S. in Eccl. Christ. tom.* I. *pag.* 38 et 39. (9) Qui plura hac de re ſcire cupit, adeat ROZENMULLERUM *loco laudato.*

§ 5.

Verum enim vero non ſolum hoc ſtudio mediocriter uſi ſunt Iudaei Alexandrini, ſed ulterius imo in minutisſimis rebus id amplificarunt. Atque hinc orta est, quam vocant, *Cabbala*, hinc orti *doctores Cabbalistici.* Hi ſcilicet ex variarum literarum commutatione, coniunctione, ſeparatione, et transpoſitione, vel ex valore literarum in Arithmeticis, neſcio quot mysteria hauſerint. Pauca huius rei exempla afferre liceat, ſic v. g. quia primum vocabulum vet. Testamenti est בראשית di-

Digitized by Google

eunt hoc notare per literarum transpofitionem *foedus legale* (ברית-אש) *foedus inter ignes pactum.* Ex illa autem prima vet. Testamenti litera (ב fcilicet) iterum aliud quoddam derivarunt myfterium; per illam enim indicatur non folum *lex fcripta*, verum etiam *moralis;* duo hic notentur mundi fecula עולם הבה et עולם הזה quoniam litera ב numerum *binarium* fignificat; aliam rationem alii Cabbalistae excogitaverunt; dicunt, literam ב esfe primam, ut notetur *Unitas Dei*, nam litera ב componitur ex ו, fed idem numerus efficitur ex his vocibus יהוה *Iehovah unus;* alii dicunt eam literam esfe primam in divinis, quia habet *apicem fuperne refpicientem;* atque fic, cum aliquis quaerit, quis mundum fecerit, ei refponderi debet: ille, qui fuperior est, quemque apex literae ב denotat. Mirum igitur non est, hosce doctores apud Iudaeos maximae fuisfe aestimationis; Iudaei enim femper amaverunt, imo et adhuc amant tales ingenii lufus ac fubtilisfimas quaestiones. (10)

(10) Qui plura exempla huius ftudii fcire cupit, adeat GLASSIUS *Phil. Sacr. Lib.* 2. *p.* 1. *tract.* 2. *fect.* 3 *pag.* 194. Ed. *Amftelodam.* vid. etiam I. A. TURRETTINI *opera tom.* 2. *pag.* 42. et HUFELAND *Kunst om 't menfchelijk leven te verlengen part.* 1. *pag.* 13 et *fqq.* in *nota.*

§ 6.

Haec autem Allegorica interpretandi ratio, ante I. C. tempora, paulatim et tractu temporis magna cepit incrementa. Omnes enim Iudaeorum doctores in eo erant, ut modo fupra memorato libros facros explicarent, ac conciones fuas hisce aliisque ridiculis ingenii fui lufibus permifcerent. Nullus fere exftabat Codicis Sacri locus, qui ab iis non Allegorice ac Mystice explicaretur. Quinimo tandem res eo perducta est, ut historias planisfimas in abfurdisfimas Allegorias converterint. Atque fic admodum tristis tunc temporis Exegefeos fuit facies, cum hi Iudaeorum doctores, ingenti traditionum ex Ægypto arcesfita turba, meras tenebras textui facro offunderent, et per allegorias mirificaque commenta, f. f. interpretarentur, praefertim postquam Ægyptiorum commentis etiam Pythagoreorum ac Platonicorum placita addidisfent. Tunc vero fimpliciore illa, quae apud quosdam Paraphrastas Chaldaicos adhuc obtinuerat, exegefi repudiata, certatim omnes venati funt Allegorias, emblemata et infolentisfima illa Cabbalae inventa, quae אמרי אמת *eloquia veritatis* et דרך אמת *via veritatis* vocabantur.

Digitized by Google

PERIODUS SECUNDA.

Continens Historiam huius studii inde a I. C. *usque ad* ORIGENEM *sive ab initio seculi I ad dimidium fere seculi III.*

§ 7.

Cum igitur tali interpretatione uterentur Iudaeorum doctores eo tempore, quo CHRISTUS in mundum venit, nemini mirum videri potest, ipsum servatorem nostrum eiusque discipulos interdum eorum vestigia secutos fuisse. Summa autem cum prudentia, ac modice et sapienter, nec non ratione Deo dignissima atque ad institutionem aptissima, eos id fecisse, inter omnes constat, qui, data opera, eorum effata cum veterum Iudaeorum scriptis comparaverint. Hi enim hac in re sine ullo pulchri verique sensu versati sunt, cum e contrario IESUS et Apostoli non alio id consilio egerunt, quam ut sic se quodammodo ad ingenium Iudaeorum, a quibus audiri et legi vellent, accommodarent; uti ipse PAULUS testatus est 1 *Corinth.* IX: *vs.* 20. Neque istiusmodi accommodationis genus tanquam *vitium* est considerandum, sed potius tanquam *studium probabile*, quo Euangelii propagandi caussam adiuvarent. Minime igitur nobis mirandum est, PAULUM, Allegorica ratione a teneris imbutum, ad Iudaeorum commoda adiuvanda expositiones suas aptare voluisse, salva tamen et integra manente doctrina ipsa. Cavendum enim est, ne temere statuamus, PAULUM id agentem, veritatis, quam hominum animis persuadere allaboraret, explanandae, curam vel aliquatenus abiecisse: usus enim est hoc studio PAULUS, qui naturam et consilium Interpretationis Allegoricae sibi probe perspectum habebat, eam solummodo ob caussam, ut eo melius Iudaeorum animis veritatem Christianam commendaret, atque ingenii auditorum lectorumve tarditatem excitaret. Sic *Ephes.* V: *vs.* 33 quod in libro *Gen.* XI: *vs.* 24 legimus, μυστήριον nuncupat, sensum quippe obscuriorem de CHRISTO involvens, cum hominum beandorum divinitus redemta societate arctissime coniuncto. Huc refer porro *Galat.* IV: *vs.* 22 et 23; ubi quae de duplice ABRAHAMI

Digitized by Google

prole ex HAGARA ferva et SARAH apud MOSEN leguntur, ἀλληγορούμενα esse dicit, ac de libertate euangelica et legis servitute explicat: quae explicatio Allegorica toto coelo distat ab illa, quam protulit PHILO de hoc eodem loco in libr. de *Cherubim*. p. 83. *ed. colon.* 1613. Ceterum huc refer 2 *Cor.* III: *vs.* 6; ubi velamen, quo tecti erant Iudaei, dum veteris Testamenti scripta legerentur, allegorice exponit. Quid vero dicam de Epistola ad *Hebraeos?* cuius auctorem PAULUM esse, multi statuunt; inprimis in hac epistola, Iudaeis data, Allegorice interpretandi rationi operam ipse navavit; natura enim Iudaei ad religionem Christianam amplectendam instituti erant atque eruditi. Tota haec epistola repleta est Allegoriis, ex vet. Testamento depromtis et ad CHRISTI Christianaeque ecclesiae tempora accommodatis. Huc ab illo referuntur exempla MELCHISEDEKI, sacerdotum, sacrificiorum, tabernaculi aliarumque rerum, ad Hebraeorum religionem spectantium.

Tantum autem abest, ut eiusmodi accommodatio Apostolorum ad Iudaeorum opiniones Christianae doctrinae detrimenti quid adferret, ut potius inde argumentum pro veritate doctrinae nostrae derivari possit. Cum enim eo tempore Interpretatio f. f. insano hoc studio valde esset depravata, statim post novum in ecclesia accensum lumen illud deminutum est, et admodum parce a IESU atque Apostolis ad communem usum adhibitum. Unde luculentissime nobis liquet, eos non in scholis eruditorum edoctos fuisse, sed perspicacioris ingenii acumine praeditos, ipso Deo duce, nobis veram tradidisse Religionis doctrinam. Nunquam enim res comparavere, quae per naturam suam comparari nequeunt; quod Magistrorum Iudaeorum erat vitium, nec non Ecclesiae Christianae doctorum veterum, multorumque, qui eos sunt secuti. Haec de CHRISTI, Apostolorumque meritis hac in re satis dicta sunto! (11)

(11) Qui plura de hac methodo (quod ad N. Foed. scriptores attinet) scire cupit, adeat HERINGAM, ECKERMANNUM ac praefertim REINHARDUM in Libr. *Syst. der Christ. Moral. vol.* II. § 259 ut et ROSENMULLERUM *L.* l. *par.* I. *pag.* 26 et *seqq.* et TURRETTINI *opera*, *tom.* II. *pag.* 42. Omnia enim, quae hanc ad rem pertinent, fusius explicare non audemus, brevitati in quaestione requisitae operam navantes.

§ 8.

Quod sapienter ab Apostolis factum esse vidimus, id ultra sapientiae

Digitized by Google

fines protulerunt veteres Christiani Doctores, ita ut omnia fere in Allegorias et Mysteria verterint, quibus deformata est Christianae doctrinae simplicitas, eiusque professores a pietatis studio ad vanas et absurdas res sunt seducti.

Primo loco hic nobis occurrit BARNABAS, et, quae ipsi adiudicatur, epistola, (12) cuius scopus is est, ut doceat, nullum esse amplius legis Mosaïcae et Iudaïcarum caeremoniarum usum, quod multis s. s. locis ac figuris probare conatur. Statim in limine praemittit, se ad Christianos scripsisse, non eo tantum consilio, ut illos confirmaret in religione, verum etiam ut illorum γνῶσιν adaugeret, per quam intelligit *reconditi scripturarum sensus cognitionem*. Huius γνωσεως exemplum exstat *cap.* VI; profert hic *Levit.* XX: *vs.* 2; ubi IEHOVAH Israëlitis promittit possessionem terrae Canaän frugiferae, lacte ac melle abundantis, et per *hanc terram* intelligit *fidem in Christo*, *qui in carne manifestandus erat iis*: „τί λέγει ἡ γνωσις, μάθετε, ελπισατε ἐπι τον εν σαρκι μέλλοντα φανερουσθαι „ὑμιν Ἰησοῦν, et addit: „Ανθρωπος γὴ ἐστι πασχουσα απο προσωπου, γαρ της γης ἡ πλασις του „Ἀδαμ ἐγένετο. τι οὐν λεγει την γῆν, την ἀγαθην, την ρεουσαν γάλα καὶ μέλι." Hanc comparationem longe lateque persequitur auctor, eamque ob causam sibi ipse tantopere placet, ut exclamare non dubitet: „εὐλογητος ὁ Κυριος ἡμων, ὁ σοφιαν καὶ νουν θέμενος ἐν ἡμιν τῶν κρυφιων αυτοῦ." (13) Totum porro *caput* VII et VIII repletum est Allegoriis, ad passionem CHRISTI pertinentibus, quas tamen omnes hic commemorare longum esset. Unum autem exemplum silentio praeterire haud possumus, illud nimirum, quod *cap.* IX occurrit; ubi nescio quae mysteria in numero ABRAHAE servorum quaerit, et sequenti modo hac in re ratiocinatus est: „μαθέτε οὖν τέκνα περὶ πάντων πλουσιως ὅτι Αβρααμ ὁ πρωτος περιτομην δους, εν πνευματι „προβλεψας εις τον υιον περιέτεμε λαβων τριών γραμμάτων δόγματα. γαρ και περιέτεμεν „Αβραάμ εκ του οικου αυτου, ἄνδρας δέκα καὶ ὀκτω και τριακοσιους. τίς οὖν ἡ δοθεῖσα τουτῳ „γνωσις; μαθέτε τους δεκα οκτω πρώτους ειτα τους τριακοσιους. το δεκα και οκτω. Ιωτα, δέκα „Ητα οκτω, ἔχεις Ιησουν ὅτι δε σταυρος εν τω Τ ἔμελλεν ἔχειν τὴν χάριν, λεγει καὶ τους τριακοσιους. „Δηλοι ουν το μεν Ιησουν ἐν τοῖς δυσι γράμμασι, καὶ ἐν ἑνι τον σταυρον ειδεν ὁ τὴν εμφυτον „δωρεαν, της διδαχης αυτου θεμενος ἐν ἡμιν." (14) Quam absurda autem talis Allegorica sit interpretatio, nemo non videt. Nihilotamenminus a Patribus Ecclesiasticis haec expositio tanto accepta fuit applausu, ut multi illam secuti sint.

In Allegorica explicatione Legum Mosaïcarum BARNABAS eodem fere modo versatus est ac PHILO, quare de iis, uti et de plurimis aliis huius interpretationis exem-

plis; quae hoc in opere abundant, ut dicamus non opus est, cum ex allatis iam satis intelligatur, rationem interpretandi Litt. Sacr. qua BARNABAS et cum eo antiquissimi Ecclesiae Doctores usi fuerint, totam fuisse Iudaïcam; quod et dein luculentius patebit. (15)

(12) Cur BARNABAS huius epistolae non sit auctor habendus, nulla est ratio, siquidem sub eius nomine a veteribus, uti CLEMENTE, A. ORIGENE, aliisque laudatur, vid. *Vett. testimonia, de Epistola S. Barnabae* in COTELERII *editione.* (13) Conf. I. B. COTELERII *S. S. Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt, opera. Amstel.* 1724. *tom.* I. *pag.* 18. (14) Vid. ibidem *tom.* I. *pag.* 28 et 29 nec non A. YPEIJ *V. C. Kerkel. Gesch. der achttiende Eeuw* d. VIII. pl. 296. (15) Plura etiam exempla reperiuntur *cap.* XII—XIV. de *Baptismo, Cruce, Reprobatione, Electione* aliisque rebus, quas brevitatis studio praetermittimus. Imprimis absurda est eius allegorica interpretatio *Ps.* I. in *cap.* XI obvia.

§ 9.

Melioris notae sunt *Recognitiones* CLEMENTIS *ad Iacobum fratrem Domini* (16) utpote quarum scriptor ab Interpretatione Allegorica tam longe alienus fuit, ut tuto statuere possimus, hanc interpretandi rationem ei valde displicuisse; (17) quam ob causam non est necesse, ut de hac scriptione perantiqua quid proferamus in medium.

De CLEMENTE R., POLYCARPO et IGNATIO, qui inter Patres Apostolicos annumerari solent, non est cur multa dicantur; nihil enim fere in eorum scriptis reperitur, unde vera illorum interpretandi ratio cognosci possit: laudant enim solummodo multa S. S. loca, non vero exponunt. Quod ad CLEMENTEM attinet, eum non plane alienum fuisse a ratione interpretandi Allegorica, patet ex explicatione eius *Ep. primae ad Corinth. cap.* 12, ubi sermo est de fide hospitalitateque Rahabae, et ipse, funiculo coccineo de domo eius suspenso, significatum esse putat, *per sanguinem I. Ch. fore redemtionem, omnibus credentibus et sperantibus in Deum* (ὅτι διὰ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου λύτρωσις ἔσται πᾶσι τοῖς πιστεύουσιν καὶ ἐλπίζουσιν ἐπὶ τον Θεον), atque haec addit ὁρᾶτε ἀγαπητοὶ, οὐ μόνον πίστιν ἀλλὰ προφητεία ἐν τῇ γυναικὶ γέγονεν. (18) Quam Allegoriam deinde et multi secuti sunt, uti IUSTINUS M. IRENAEUS, ORIGENES aliique. De POLYCARPI atque IGNATII sententiis nihil certi hac in re dici potest, cum in eorum scriptis (uti antea monuimus) multa quidem C. S. loca afferantur non tamen explicentur, quam ob causam hic ad alios transgrediamur.

Digitized by Google

(16) *Recognitiones* editae sunt a COTELERIO l. l. *tom.* I. *pag.* 485 quamquam nomen earum auctoris in obscuro lateat, de tempore tamen nihil restat dubii, constat enim auctoritate tam veterum quam recentiorum, illas Seculo II compositas esse. (17) Insignis ad hanc nostram sententiam comprobandam est locus *libr.* X. *paragr.* 30 obvius. vid. COTELERII *Opera tom.* I. ad h. l. (18) Videatur ibidem *tom.* I. *pag.* 154 et 155. et ROSENMULLERUS l. l.

§ 10.

Pauca quaedam addenda sunt de auctore sive auctoribus *Constitutionum Apostolicarum.* (19) In hisce Constitutionibus multa explicantur tum V. tum N. T. loca, eumque in finem, ut sic probetur auctoritas et potestas Episcoporum. In illis enim et nomina et iura et privilegia summorum Pontificum, Sacerdotum, et Levitarum Vet. Test. Episcopis tribuuntur, atque ad horum dignitatem vindicandam ei perversam hanc interpretandi rationem valde utilem fuisse, non opus est multis probare.

Sic v. c., Dei partes agere Episcopum, probatur (*Libr.* 2. *c.* 26) ex locis *Psalmi* LXXXII: *vs.* 6. *Equidem vos universos appello divos, et supremi filios* et *Exod.* XXII: *vs.* 28. *Diis non maledices;* quae verba adaptantur *Episcopis*, tanquam viris sanctis, qui Dei dignitatem sustinerent. Eadem ratione ex multis aliis V. Testamenti locis hanc de Episcoporum auctoritate sententiam suam probare conatus est auctor ille anonymus.

Observandum tamen est, auctorem hunc magis adhaesisse literae (licet perversissimo modo) quam Interpetationi Allegoricae; unde tuto concludere possumus, Patres Apostolicos (BARNABA excepto,) meliori Interpretationis genere usos fuisse; doctrina enim IESU et Apostolorum tunc temporis fere nihil detrimenti acceperat; illique igitur, qui eorum vestigia legerunt, modioriter Allegorias sectati sunt.

(19) De Auctore huius Operis non est, quod disputetur, cum tempus, quo scripserit, satis certum sit; quod vel ex EUSEBII testimonio probari poteit, vid. eius *Hist. Eccl.* L. III. *cap.* 25. ref. ROSENMULLERO, l. l. *part.* I. *pag.* 133.

§ 11.

Videamus iam modum Interpretationis, *Patrum Graecorum* ante ORIGE-

Digitized by Google

nem. Hi fere omnia argumenta, ad opiniones ſuas probandas in medium prolata, deprompſerunt ex Vet. Test. locis, in quibus tamen nullam probandi vim reperire potuerunt, niſi per inſanum hoc Allegoristarum ſtudium; unde in eorum ſcriptis multa ſeſe offerunt, quae tanquam exempla adhiberi posſunt in explanatione historiae Interpretationis, huius aevi, Allegoricae.

Primus atque eorum princeps fuit IUSTINUS M. ſcriptor Sec. II, *Apologiarum duarum*, *Dialogi cum Tryphone Iudaeo*, (20) et *Cohortationis ad Graecos*. Is omni id opera egit, ut Philoſophiam Platonicam accommodaret ad Relig. Christianam, omniaque placita ſua confirmaverit V. T. locis, Allegorica ratione explicatis. Nihil enim ex IUSTINI opinione traditum erat a CHRISTO et Apostolis, quod non olim traditum fuisſet a Prophetis, idque modo tecto ac mysteriis involuto. Audiamus ipſum in *Dial. c. Tryph.* p. 294 in init: πολλοὺς λόγους (inquit) τοὺς ἀποκεκαλυμμένους καὶ ἐν παραβολαῖς ἢ μυστηρίοις, ἢ ἐν συμβόλοις ἔργων λελεγμένους, οἱ μετ' ἐκείνους τοὺς εἰπόν τας ἢ πράξαντας γενομένοι προφῆται ἐξηγήσαντο. Tunc temporis enim παραβολαι appellabantur, quae dein dictae ſunt Allegoriae: et per μυστήριον intelligit IUSTINUS ſenſum mysticum et arcanum. Quibus igitur verbis quam clarisſime docet, multis S. S. locis ineſſe ſenſum Allegoricum et Mysticum. Quam quidem IUSTINI doctrinam bene multis exemplis, quod fieri facile posſet, ut exponamus, inſtituti nostri non permittit ratio. Pauca, quae ſequuntur, ſufficiant! Sic v. c. cum agit de *regno Chr. millenario*, illud adventurum esſe, probare conatur ex *Ieſaia* XLV: *vs.* 17 et *ſeqq.* in quo autem loco quamvis nullibi agatur *de mille annis*, ad hanc tamen rem ſuam accommodavit verba *vs.* 22. κατὰ γὰρ τὰς ἡμέρας τοῦ ξύλου (τῆς ζωῆς) αἱ ἡμέραι τοῦ λαοῦ μου ἔσονται, τὰ ἔργα τῶν πόνων αὐτῶν παλαιώσουσι. νενοήκαμεν, ὅτι χίλια ἔτη ἐν μυστηρίῳ μηνύει. ὡς γάρ τῷ Ἀδὰμ εἴρητο, ὅτι, ᾗ δ' ἂν ἡμέρᾳ φάγῃ ἀπὸ τοῦ ξύλου, ἐν ἐκείνῃ ἀποθανεῖται, ἔγνωμεν αὐτὸν μὴ ἀναπληρώσαντα χίλια ἔτη. συνήκαμεν καὶ τὸ εἰρημένον, ὅτι ἡμέρα Κυρίου ὡς χίλια ἔτη, εἰς τοῦτο συνάγει. καὶ ἐπειδὴ καὶ παρ' ἡμῖν ἀνήρ τις, ᾧ ὄνομα Ἰωάννης εἷς τῶν Ἀποστόλων τοῦ χριστοῦ, ἐν ἀποκαλύψει γενομένῃ αὐτῷ χίλια ἔτη ποιήσειν ἐν Ἱερουσαλὴμ τοὺς τῷ ἡμετέρῳ χριστῷ πιστεύσαντας προεφήτευσε etc. (21) Inter loca porro ab eo Allegorice expoſita reperitur etiam effatum *Ieſ.* VIII: *vs.* 4. *fore enim ut priusquam puer is ſciret pronuntiare, mi pater! aut mea mater! opes Damasci et ſpolia Samariae ab Asſyriae rege auferrentur.* Dicit enim: καὶ γὰρ τὸ εἰπεῖν Ἡσαΐαν, λήψεται δύναμιν Δαμασκοῦ, καὶ σκῦλα Σαμαρείας, τὴν τοῦ πονηροῦ δαίμονος τοῦ ἐν Δαμασκῷ οἰκοῦντος δύναμιν

σημαίνει πληθήσεσθαι τῷ χριστῷ ἅμα τῷ γεννηθῆναι. ὅπερ δείκνυται γεγενημένον. οἱ γὰρ μάγοι, οἵτινες ἐσκυλευμένοι ἦσαν πρὸς πάσας κακάς πράξεις τας ενεργουμένας ὑπο τοῦ δαίμονίου ἐκεινου, ἐλθόντες και προσκυνησαντες τῷ χριστῷ, Φαίνονται ἀποσαντες της σκυλευσάσης αὐτοὺς δυνάμεως ἐκείνης, ἥν ἐν μυστηρίῳ ἐσήμαινεν ἥμιν ὁ λόγος οἰκεῖν ἐν Δαμασκῷ. ἁμαρτωλὸν δὲ καὶ ἀδίκον οὖσαν ἐν παραβολῇ τὴν δυνάμιν ἐκεινην καλῶς Σαμαρείαν καλεῖ. (22) Atque tali modo in ceteris V. T. locis verſatus est, praeſertim in doctrina de P. F. et S. S. et de reſurrectione mortuorum, qua de re tamen in parte posteriori plura dicemus. Neque mirum est, eum tantopere deditum fuiſſe huic Interpretationis ſtudio; legerat enim PHILONEM et IOSEPHUM, quod ex verbis ipſius (in *Cohortat. ad Graec. pag.* 10 *et* 11) clarisſime patet; ibi enim illos quam maxime laudat et admiratur, eosque σοφωτάτους vocat; accedit quod et ipſe Alexandriae verſatus fuerit, ubi haec Interpretandi ratio diu viguit, ubi et PANTHAENUS ac CLEMENS A. floruerunt, quorum tota interpretandi methodus ad philoſophiam Platonicam erat accommodata. (23)

(20) Lis est inter eruditos, utrum hicce Dialogus genuinus ſit, nec ne? nos autem nihil de hac re ſtatuere audemus; erudit. H. I. KROM *Diatr.* ad hanc quaest. edidit, in qua authentiam huius Dialogi probare conatur, *Trai. ad Rhen.* 1792. Ceterum, nihil ad nostrum ſcopum attinet, num ſit authenticus, an vero minus, cum certo certius ſit, illum vetustisſimis Christianae aerae temporibus conſcriptum esſe. (21) Vid. *Dial. c. Tryph. pag.* 308. *edit. Colon.* A°. 1686. (22) Vid. *ibid. pag.* 305. (23) ROSENMULLERUS *l. l part.* I. *pag.* 190 et 191.

§ 12.

Sequuntur iam ATHENAGORAE, THEOPHILI *Antiocheni* ac TATIANI ſcripta. Ad ATHENAGORAM, ſcriptorem Seculi II, in urbe *Alexandriae*, quod attinet; ille ibi non tantum philoſophiam Platonicam docuit, ſed et ſcholae Christianorum Catecheticae praefuit; unde iam a priori probabile ſit, quomodo libros C. S. explicaverit. Totam nempe philoſophiam illam christianae doctrinae accommodavit; omnia ſ. ſ. loca, quae cum illa haud conveniebant, allegorice explicavit, mirumque in modum detorſit; ut verbo dicam, placita Platonis ac CHRISTI inter ſe permiscuit et coniunxit, cuius rei multa nobis occurrent exempla in parte huius Quaestionis posteriori, ubi agendum erit de doctrina de P. F. et S. S. et de mortuorum reſurrectione; accedit, quod plura huius interpretationis ſpecimina eodem fere modo ac illa IUSTINI M. BARNABAE,

aliorumque priorum comparàta sunt, quam ob rem illa referre haud operae pretium est. (24) Secundus, quem memoravimus interpres, THEOPHILUS ANTIOCHENUS est, itidemque Sec. II auctor, huic vitio valde obnoxius; sic v. c. *Genes. cap.* I mirum in modum allegorice explicare conatus est, putans, in verbis „ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν sensum esse mysticum; Mundi intelligit creationem, effectam per *filium Dei* (τὸν λόγον) qui hic ἀρχὴ dictus sit „ὅτι ἐν τῷ λόγῳ αὐτοῦ ὁ Θεὸς πεποίηκε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν." Tres dies, qui praecessere creationem duorum luminum, refert ad *Trinitatem*, nimirum *Dei et sermonis et sapientiae eius;* quartum autem diem ad *hominem*, tanquam lumine indigentem. (25) Denique ad verba: *faciamus homines ad imaginem nostram, nostri similem seqq.* adnotavit: Deus οὐκ ἄλλῳ δέ τινι εἴρηκε ἀλλ' ἢ τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ καὶ τῇ ἑαυτοῦ σοφίᾳ. (26)

THEOPHILUM subsequitur TATIANUS eiusdem temporis scriptor, IUSTINI M. discipulus, de cuius scriptis solummodo unum ad nostram pervenit memoriam, eius nempe *Oratio contra Graecos*, in qua nulla nobis reliquit interpretandi rationis suae specimina, unde certi hac de re quid colligere possimus. Quum autem plane, uti IUSTINUS de libris V. T. sentit et in doctrina de P. F. et S. S. prorsus cum illo aliisque convenit, admodum probabile videtur, eum quoque in hoc doctrinae genere magistrum suum fuisse secutum. (27)

(24) Opera eius (*Legatio pro Christianis et Tract. de Resurr. Mort.*) inserta sunt IUSTIN. *M. scriptis.* Quid de de Trinitate senserit praesertim videri potest *pag.* 10 *in Legat. pro Christ.* in quibus explicandis non commoremur. (25) Vid THEOPHILI *scripta*, itidem Operibus IUSTINI *M* inserta, *lib.* II a *pag.* 93—96. edition. supr. memoratae (26) Vid. *ibid pag.* 96 in fine. (27) *Orat.* TATIANI etiam reperitur *in* IUSTINI *M. operibus Lib. III.* a *pag.* 141—174.

§ 13.

Inter celeberrimos scholae ALEXANDRINAE praefectos eminuerunt PANTHAENUS eiusque discipulus CLEMENS ALEXANDRINUS. Quamvis autem nullum PANTHAENI opus exstet amplius, ex scriptis tamen ipsius discipuli, qualis ille fuerit interpres, cognosci potest, quod et eo maioris est momenti, quia magnus ille ORIGENES eo usus est magistro. Praecepta CLEMENTIS hermeneutica, quae qualis fuerit interpres satis ostendunt, exemplis illustrata, huc redeunt:

Digitized by Google

1. *Tota sacra scriptura sensum habet Allegoricum;* „περὶ πάσης γραφῆς τῆς καθ' ἡμᾶς ἐν τοῖς ψάλμοις γέγραπται, ὡς ἐν παραβολῇ εἰρημένης" (28) Hanc thesin suam probare conatur ex *Ps.* LXXVIII: *vs.* 2. nec non ex 1 *Cor.* II: *vs.* 6 *seqq.* ac dein illam exemplis illustrat; sic v. c. eum in finem usus est narratione Mosaïca de constructione tentorii sacri (29); per candelabrum, in australibus partibus thuribuli situm, intelligens *motus septem luminarium, quae australes faciunt conversiones.* Omnia porro, quae a MOSE de arca sacra narrantur, ex ipsius interpretatione, significant „τὰ τοῦ νοητοῦ κοσμοῦ τοῦ ἀποκεκρυμμένου καὶ ἀποκεκλεισμένου τοῖς πολλοῖς" alio iterum loco 566 tintinnabula, a veste talari pendentia, *tempus* sunt *annuum; annus Domino gratus, praedicans Servatoris adventum;* atque sic pergit plura a ia haud minus ridicula atque absurda in medium proferre.

Neque solummodo ita versatus est in explicatione librorum V. T. verum etiam N. T. historias allegorice explicavit; sic v. c. opinatur, per miraculum *Lucae cap.* IX. *vs.* 11—19 commemoratum, indicari τὴν προπαιδείαν *Graecorum et Iudaeorum, quae praecessit divinum frumentum, quod per Legem excolitur;* speciatim vero per *pisces* intelligit *Philosophiam Graecam,* per *undas, gentiles etc.* (30)

2. Secundum eius hermeneuticum praeceptum hoc fuit: „διὰ πόλλας αἰτίας „ἐπικρύπτονται τὸν νοῦν αἱ γραφαί;" *Multas esse causas, ob quas sacrae scripturae sensus sit occultus, absconditus;* quae quidem causae sunt e. g. quod multi homines sunt inhabiles ad inquirendum C. S. sensum eumque arcanum etc. (31)

3. Tertium denique praeceptum hermenèuticum, quod in eius scriptis reperitur, luculentissimum exhibet documentum, quod ostendat, quantopere huic studio fuerit deditus; est enim hoc: *Sensus C. S. grammaticus fidem solummodò gignit elementarem, sensus vero Allegoricus ad ipsam ducit γνῶσιν.* (32) Eum in finem nobis reliquit CLEMENS explicationem Allegoricam Decalogi. „Decalogus", inquit, „secundum coelestem imaginem, continet solem et lu„nam, astra et nubes, lucem, spiritum, aquam, aërem, tenebras, ignem: Hic est „naturalis Decalogus coeli! Terrae autem imago continet homines, pecora, rep„tilia, bestias, et ex aquatilibus pisces et cete, ex volucribus carnivoras et „utentes alimento e terrae fructibus: e plantis denique fertiles et steriles. Hic „est terrae decalogus naturalis"!!! Addit denique, Decalogo per literam ἰῶτα

indicari *nomen Iesu.* Pergens vero ad explicationem singulorum praeceptorum, in singulis sensum quaerit mysticum; sic v. c. *praeceptum quintum* explicat de *Deo patre; Mater* vero, de qua hoc in praecepto mentio sit, est *γνῶσις*, atque sic in cett. Haec iam allata exempla sufficiunt ad exponendam absonam, quam secutus est CLEMENS, interpretandi rationem allegoricam.

Pedetentim sic Patres Ecclesiastici a simpliciori IESU et Apostolorum methodo secesserunt, suaque placita cum illis purioris Evangelii disciplinae coniunxerunt, quod et etiam ex *seqq.* magis magisque patebit.

(28) *Strom. lib.* V. *pag.* 406 *seqq.* de significat. vocis *parabolae* apud illius aevi scriptores iam antea monuimus. (29) Vid. *ibid. L.* VI. *p.* 487. *Edit. Sylburg.* ref. ROSENMULLERO l. l. *part.* I. *pag.* 215 qui et ad hunc locum de eo videri potest. (30) *Strom. L.* VI. *p.* 476. (31) *ibid. L.* VI. *p.* 487. (32) *ibid. L.* VI. *p.* 409 *seqq.*

§ 14.

Pergamus iam ad Patres Latinos ante ORIGENEM. Hi in eo praesertim distinguendi sunt a Graecis, ut s. s. interpretationem non quidem placitis philosophiae Platonicae accommodaverint, sed illam opinionum suarum commentis superstitiosis et erroris plenis congruenter instituere ausi sint. Primus ac princeps horum fuit QUINTUS SEPTIMIUS FLORENS TERTULLIANUS, presbyter *Carthaginensis* ac *Sec.* II ad finem vergentis scriptor. Is philosophiam Platonicam plane reiecit, eiusque in Theologia usum damnavit; ab altera vero parte statuere non erubuit, *quo quid absurdius sit, quo magis sanae rationi repugnet, eo magis esse credendum ac Deo dignum.* (33)

Atque ex hac thesi quodammodo iam a priori intelligi potest, quot absurdas et falsas interpretationes s. s. huius viri ingenium produxerit. Fatendum tamen est, TERTULLIANUM non huic studio allegorico tam deditum fuisse quam Interpretes graecos. Nonnunquam enim literali sensui (quem tamen difficile eruendum esse putat) adhaesit. Quapropter sibi observandam hanc proposuit regulam: „*Eloquium Propheticum est quidem Allegoricum, verum non semper, non omnia sunt imagines, sed et veritates: nec omnia umbrae, sed et corpora; non semper nec in omnibus allegorica forma est Prophetici Eloquii; sed et interdum et in quibusdam.*" (34) Haec autem regula cum nimis sit generalis, ipse etiam TERTULLIANUS pro lubitu iam in eruendo sensu lite-

Digitized by Google

rali acquiescit; iam vero allegorias captat. Sic v. c. in libro *adversus Praxeam cap.* 7. vocabulis: *fiat lux* (Gen. I.) inesse existimat notionem mysticam *nativitatis* του λόγου, dicit enim: „tunc igitur etiam ipse sermo speciem et „ornatum suum sumit, sonum et vocem, quum dicit Deus: *fiat lux;* haec est „nativitas perfecta *sermonis*, dum ex Deo procedit! conditus ab eo ad cogita„tum in nomine *sophiae: Dominus condidit me initium viarum.*" Verba, quae *Psalmo* XLV: *vs.* 4 leguntur: *accinge gladium tuum etc.* allegorice explicanda sunt. E contextu enim docet TERTULLIANUS, „per *gladium* intelligi *sermonem divinum*, quem IOHANNES in *Apoc.* (cap. I.) describit ex ore Dei procedentem, bis acutum, praeacutum; bis acutum, duobus testamentis Legis et Evangelii; praeacutum, sapientia, infestum Diabolo; armantem nos adversus hostes spirituales nequitiae etc." (35) Porro etiam ad crucem CHRISTI refert *Ezechielis verba* c. IX: *vs.* 4. *Dicit Dominus ad me: pertransi in medio portae, in medio Hierusalem, et da signa Thau in frontibus virorum:* ipsa est litera Graecorum *thau*, Latina quoque T. species crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram et Catholicam Hierusalem. (36) etc.

Libro IV *adversus Marcionem*, demonstrare pergit TERTULLIANUS, nihil inesse N. T. libris, quod non in Codice V. T. umbris et figuris pleno, continetur. Sic, ut e multis unum afferam exemplum, *duodecim illos fontes Elim et duodecim lapides a Iesu de Iordane electos et in arcam testimonii conditos* allegorice *de duodecim Christi Apostolis* explicavit.

His aliisque allegoriis absurdis expositis demonstrare voluit TERTULLIANUS consensum V. et N. Test. Exstant et multa alia eiusdem generis exempla; quae tamen omnia ut attingamus, huius commentationis non permittunt angustiae. Eoque magis praetermittenda ea duximus, quod in parte posteriori nonnulla exempla huius perversae interpretationis ex TERTULLIANI scriptis proferemus. (37)

Ad alios transeamus, nempe ad IRENAEUM ac CYPRIANUM, missis ceteris, quorum scripta aut per temporum iniuriam periere, (paucis fragmentis exceptis) aut nihil parumve continent, unde eorum interpretandi ratio perspici queat.

(33) TERTULLIANI *lib. de Carn. Christ. c.* 3. *tom. III. Oper. p.* 364. (34) *Lib. de Resurr. Carn. c.* 19 et 20. (35) *Advers. Marc. c.* 14. (36) *Ibidem cap.* 19. (37) De TERTULLIANO eiusque

interpretandi methodo vid. ROSENMULLERUM *l. l. part.* II. a *pag.* 1—184 qui fusius hac in re versatus est, ac perversas eius sententias de multis Theologiae dogmatibus diserte exposuit.

§ 15.

De IRENAEO, seculi II scriptore, unum tantum superest opus, cuius titulus ἐλεγχου καὶ ἀνατροπης της ψευδωνυμου γνωσεως βιβλια πεντε. Eius interpretandi ratio admodum vaga est, incertisque nititur regulis hermeneuticis. Cum enim reprehendit Gnosticos aliosque eo quod nimis Allegoriis dediti erant, ipse nonnunquam hoc studii genere delectatus adeo fuit, ut eum saepe ad doctrinam Cabbalisticam confugientem videamus. Sic, secundum eius sententiam, cum nomen IESU scribitur ישו tum י exprimit nomen יהוה; ש exhibet שמים; ו vero initium vocis והארץ est; igiturque IESUS significat *Dominum coeli et terrae*, quia haec tria, *Dominus*, *coelum* et *terra*, virtute quadam in ea voce continentur. (38) Perspicua porro Allegoria reperitur *l.* II. *c.* 32. ubi putat, per *duas Lothi filias* duas *synagogas sub unico patre* significatas esse; *Lothi uxor* est *Ecclesia*, quae est *sal terrae etc.* (39)

In explananda denique sententia sua *de regno millenario* mirum in modum hallucinatus est IRENAEUS. Sed parti posteriori referventur quae huc pertinent.

Sequitur THASCIUS CAECILIUS CYPRIANUS, Episcopus *Carthaginensis*, dimidio Sec. III florens, scriptor eruditionis fama clarus, Allegoriarum vero sectator, TERTULLIANI praeceptoris sui insistens vestigiis. Sic unitatem Ecclesiae comprobavit ex loco *Cant.* VI: *vs.* 8, *una est columba mea etc.* de qua haec exponit: *hortus* (verba sunt SALOMONIS,) *conclusus soror mea*, *sponsa*, *fons signatus*, *puteus aquae vivae;* si autem *hortus conclusus* est sponsa CHRISTI, quae est Ecclesia, patere res clausa alienis et profanis non potest etc. (40) In epistola porro ad CAECILIUM, sermonem instituens de s. coena, eos reprehendit, qui defendebant plebi porrigendam esse solam aquam, eamque contra miscendam vino docet, et suam sententiam probare conatus est ex multis V. T. locis v. c. ex loco *Jes.* LXIII: *vs.* 2 *quare sunt rubicunda vestimenta tua;* „vestimenta, enim" addit, „nunquam rubicunda facere potest aqua; „cuius rei," pergit, „sacramentum nec in Psalmis tacet spirit. s. faciens mentio„nem Dominici calicis, et dicens *Psalm.* XXIII: *vs.* 5. *Calix tuus inebrians*,

Digitized by Google

„*quam perceptimus!* atque sic pergit plura alia V. T. loca ad caussam suam „defendendam accommodare."

Haec autem de CYPRIANO allata exempla satis superque docent, qualis interpretandi ratio ei fuerit, et arguunt, eum vix ac ne vix quidem mediocriter versatum fuisse in sacris literis interpretandis; (41) Plura non sunt addenda. Ex ungue leonem! Quae de interpretandi ratione, quam commemorati s. scripturae explanatores optimam esse sibi persuaderent, aliisque commendarent, diximus, diiudicanda nunc sunt.

(38) *Lib.* II. *c.* 24. ref. ROSENMULLERO l. l. *p.* 2. *pag.* 193. (39) Vid. *ibid.* ad h. l. (40) Vid. eius *epistol. ad Magnum de Baptizandis Novatianis et de iis, qui in lecto* (per baptismum) *gratiam consequuntur.* (41) Exemplum porro eius sententiae de *Trinitate* reperiri potest *libr.* II. *testimoniorum ad Quirinum pag.* 352, ref. ROSENMULL. l. l. *p.* II. *pag.* 229 *seqq.*

§ 16.

Quid hac epicrisi iam censeamus de meritis, quae nacti sint omnes interpretes illi vetustissimi in religionis optimae doctrinam, quam bona fide explanare voluerint et confirmare et defendere? Bona verba quaeso! Ex omni, quem in hanc caussam impenderunt omnes, labore multo et improbo quis est, qui non videat, quam vaga fuerit Theologia exegetica primis ecclesiae christianae seculis; quam absurdis illa ineptiis fuerit repleta. Omnes enim, quos percensuimus, Patres Apostolici et Ecclesiastici s. s. interpretari eodem fere modo solebant. Omnibus itaque hoc vitium fuit commune, ut, praeeuntibus Iudaeis, in verbis, legibus et narrationibus s. s. reconditos quaererent sensus; eo tamen cum discrimine, ut Graeci, philosophiae studio accensi, sensum oraculorum divinorum placitis suis philosophicis accommodare studerent; Latinorum contra plerique, omni Philosophiae usu neglecto, scripturae locis eum sensum adfingerent, qui eorum absurdis ideis maxime faveret. Graeci inprimis PHILONIS placita cum philosophia *Platonica* quum coniunxissent, sibi aliisque persuadere elaborarunt, religionem Christianam non aliter defendi posse, nisi per Allegoriarum studium. Quidquid vero praeterea in scriptis PLATONIS rationi humanae optime consentaneum ipsis videbatur, id etiam ex scriptis Mosaïcis ac Propheticis eruere conabantur, sensum historicum plerumque misere distrahentes ad detorquentes. Nullis fere, et si quae fuerint, perversissimis usi sunt omnes hermeneutices regulis.

Digitized by Google

Quod verum sibi videretur id ambiguis constabiliebant coniecturis. Quod si quis dicat, haec omnia in prioris aetatis interpretibus sacrae scripturae facile esse excusanda eo quod ignari essent Hebraïcae linguae, cuius accuratam cognitionem sibi vix ac ne vix quidem comparare possent, praeterea quod destituti essent omnibus fere illis interpretandi subsidiis, quibus nostra gaudet aetas; si quis haec dicat, eadem nobis dicenda existimemus. Verum quid inde? tam ignari quum essent linguae sanctioris hi homines, minusne boni esse possent pro modulo suo sacri Codicis interpretes? Ingenii acumine qui erant politi nonne integra mente ad verum sacrorum scriptorum sensum opinionemque rite penetrare potuerint? Profecto! non potuerunt! Ipsis quippe non omnino ingenium, sed vere hermeneuticum ingenium defuit. Excellebant ingenio non ad intelligendum S. C. sensum, sed ad fingendum mirum quoddam mysteriorum genus. Sagacitate excellebant et cogitandi solertia ad, quae addi possent inventis, nova conquirenda, ad haec et illa magnifice exornanda, ingeniose exponenda, commendanda. Quam caeca semper sit, quae ab imprudentioribus retineri solet, opinio praeoccupata, horum hominum ostendit exemplum, erectioris indolis theologis cane et angue peius evitandum. Arguit simul Patrum Apostolicorum s. Codicis interpretandi ratio, quam erudita divinitus, quam singulari Numinis supremi cura ducta fuerit universa Apostolorum i. e. societas. Ab horum enim institutis diversa adeo illorum fuit interpretandi methodus, ut, quae hic apparent, pugnantia et contraria nullo quidem pacto conferri queant et componi. Observandum est praeterea, Patres Apostolicos mox Apostolorum, in ecclesia CHRISTI docenda, occupasse locum. Tantis igitur doctoribus, quantos nulla vidit aetas, successerunt tenues adeo et minuti Theologi. Quid inde concludendum? actos fuisse concludimus et administratos Apostolos spiritu divino, quem habuisse ductorem et doctorem Patribus Apostolicis nequaquam contigerit. Quod si proinde quis ex tanta tam diverse sentientium et agentium s. Codicis interpretum dissimilitudine argumentum derivet, quo divinam christianae doctrinae originem comprobari posse sibi persuadeat, ei adsentiri nullus equidem vereor.

Ad periodum tertiam pergemus. (42)

(42) Qui plura de omnibus hisce Religionis doctoribus eorumque placitis et scriptis scire desiderat, adeat RÖSZLERI *Bibl. der Kirch. Vät. T.* I et II.

Digitized by Google

PERIODUS TERTIA.

Continens historiam Allegoricae Interpretationis ab ORIGENE *usque ad tempora instauratae Ecclesiae, sive ad* Lutherum.

§. 17.

Depravata adeo cum esset conditio studii Interpretationis Cod. s. initio sec. III, ORIGENES mox omnium exstitit primus, qui magnam hac in re instituerit mutationem. Licet enim hic non prorsus novam Interpretandi rationem excogitaverit, methodo tamen suo tempore usitatae novam melioremque dedit formam. Auctor certe Grammaticae interpretationis merito habendus est. (43) Ex his autem non concludat quis velim, eum nunquam de interpretationibus Allegoricis sollicitum fuisse. Tantum abest ut eas posthabuerit, ut contra statuendum sit, eum maxime huic studio fuisse deditum. Inter huius excellentissimi viri praeceptores eminuerunt CLEMENS ALEXANDRINUS et AMMONIUS SACCAS, Philosophus *Alexandrinus*, Platonicae doctrinae addictus. Quid igitur? mirumne nobis videri potest, ORIGENEM versatum in eo fuisse, ut doctrinae Christianae capita, quomodocunque id fieri posset, cum philosophiae placitis coniunxerit, atque haec illis accommodaverit? Longe autem alio modo id ab eo factum esse, luculentissime ex sequentibus patebit. ORIGENES enim quum certis hermeneutices regulis usus sit, systema quoddam Theologiae hermeneuticae confecit, et exegeseos colendae studium ad formam composuit novam et a se excogitatam. His praemissis ad ipsam interpretandi methodum, quam sibi elegit, transeamus.

(43) Vid. I. A. ERNEST. *de* ORIGENE *Interpretat. s. s. Grammatic. auctore, Opusc. Phil. Crit.* p. 288. *seqq.*

§ 18.

Primum ac princeps ORIGENIS praeceptum hermeneuticum hoc fuit: *Si verba fundunt sensum, Deo dignum, utilem hominibus, sanae rationi ac veritati convenientem, tum signi ac indicii loco hoc esse debet, non alium investigandum esse sensum quam historicum. Quando autem ex verborum sensu aliquid sequitur, quod sit absurdum et a sana ratione alienum, tum sensus contra est moralis ac mysticus.* Atque sic, quemadmodum homo, iuxta doctrinam Platonicam, tribus constat partibus, *anima* nempe *rationali*, *anima sentiente* et *corpore*, (ἐκ πνεύματος καὶ ψυχῆς καὶ σώματος) ORIGENES triplicem quoque in sacro codice distinguebat sensum, nempe *literalem*, cum corpore conferendum, adeoque ordine inferiorem, porro *moralem*, animae sentienti aequiparandum, denique *spiritualem* seu *mysticum*, qui, aeque ac in homine anima rationalis, sit praestantissimus, adeoque a nemine nisi a sapiente ac divinitus edocto perspiciendus. (44) Atque hoc modo sacram scripturam interpretandam esse, inter alia ex loco *Prov.* XXII: *vs.* 21 probare conatus est. Causa vero huius rei praesertim in eo sita fuisse videtur, quod putabat ORIGENES, Iudaeos non alio modo posse convinci, IESUM esse MESSIAM, a Prophetis V. T. praenunciatum, nisi eorum vaticinia allegorica ratione explicarentur: et deinde quod Gnosticos sola hac ratione refutari posse arbitrabatur. (45) Cum hic autem de sensu allegorico tantum est agendum, silentio praetermittimus sententiam eius de sensu literali seu grammatico, et statim ad ipsius interpretationem allegoricam transimus. Secutus est hac in re ORIGENES antiquiores praesertim doctores ac magistros suos, (46) idque tamen egit summa cum prudentia ac cautione; expresse sententiam suam exposuit in *Homil.* IV. (*in Numeros*) *tom.* II. *oper. pag.* 304, ubi, cum sermo fit de mandatis Mosaïcis, inter alia inquit: „Illa omnia nobis secundum literam omnino sunt custodienda;" et alibi, ubi mentio iniicitur de loco *Tim.* VI: *vs.* 11 inquit: „quid opus est in his „Allegoriam quaerere, quum aedificet etiam litera?" (47) Eius igitur sententia huc redire videtur. E numero locorum f. f. quibus sensus mysticus insit, ea saltem eximenda esse, quae mandata continent, ab omnibus omnino hominibus observanda; excipiendas esse omnes etiam illas narrationes, in libris V. et N. T. occurrentes, quarum veritas ita constet, ut dubitationi non relinquatur locus. Duplicem vero statuit sensum mysticum, alterum nempe *Allegoricum*, *Anago-*

gicum alterum; praeter mundum enim corporeum, (fecundum doctrinam Platonicam) alius quoque erat mundus, fpiritualis feu mysticus, a fenfibus feiunctus; isque, iterum duplex, nempe vel *terrestris*, quo intelligebat *Ecclefiam Christi, in terris verfantem*, vel *coelestis*, qui in coelo fitus fit atque invifibilis, eodem tamen modo conftitutus, quo mundus terrestris, et in diverfas, in quas ille, provincias diftributus. Pro duplici igitur isto mundo mystico, duplicem quoque distinguebat fenfum mysticum, alterum *Allegoricum eximie fic dictum*, continentem omnia illa, quae ad mundum mysticum terrestrem pertinent; alterum *anagogicum*, referendum ad mundum mysticum coelestem; quibus et aliquando addebat tertiam fenfus mystici fpeciem, quem appellabat *Tropologicum*, quo fpeciatim intelligebat *fenfum mysticum, qui infit multis N. T. locis.*

Videamus iam, quomodo haec omnia ad ipfam C. S. interpretationem accommodaverit ORIGENES.

(44) Vid. ROSENMULLERUS, *l. l. p.* III. *pag.* 17 et 18. (45) Conf. I. A. ERNESTI *Opusc. Theolog. pag.* 448 *et feqq. in narrat. Critic. de Interpret. etc. p.* 497. (46) „Accommodavit fefe," inquit HUÈTIUS *Origen. L.* I. *S.* 5. „ad AMMONIUM SACCAM, et in eius exhedris infignem philofo„phiae peritiam comparavit, fed Platonicae praefertim, quae tam altas in eius animo radices egit, ut „fuccrefcentes Christianae doctrinae fruges interficeret; nam Ecclefiae fcita fere exigebat ad normam „PLATONIS, et fincera CHRISTI dogmata Platonicis, ut ita dicam, coloribus oblinebat." Vid. ZIMMMERMANNI *Opusc. tom.* III. *pag.* 424. (47) Conf. ROSENMULLER. *l. l. p.* III. *pag.* 134, nec non A YPEIJ V. C. in libro laudato, deel V, bl. 297 *feqq.* et Oratio I. G. TE WATER V. C. *de Theol. erud. pag.* 42, ubi praeclarisfimum de eo exftat testimonium.

§ 19.

Sic v. c. *Hom.* I. *in Exod.* (postquam antea de lib. Genef. multas expofitiones morales et allegoricas tradiderat,) fenfum quaerit ORIGENES mysticum in verbis *cap.* I. *vs.* 6 et 7. „*Mortuo Iofepho, eiusque fratribus, Israëlitae aucti et* „*corroborati funt,*" cuius loci hanc praebuit expofitionem (§ 4. pag. 131): „fi mo„riatur in te IOSEPH, hoc est, fi mortificationem CHRISTI in corpore tuo „fufcipias, et mortifices membra tua peccato, tunc in te multiplicabuntur fi„lii ISRAEL: filii ISRAEL, fenfus boni et fpirituales accipiuntur; fi ergo „fenfus carnis mortificentur, fenfus fpiritus crefcunt, et quotidie morientibus „in te vitiis, virtutum numerus augetur, fed et terra te multiplicat in operi„bus bonis, quae per officium corporis ministrantur." etc. Deinde *Hom.* II

Digitized by Google

in Exod. ad verba *cap.* I: *vs.* 15. „*dixit Rex Ægypti obſtetricibus Hebraeo-*
„*rum*" etc. ita commentatur, postquam illos reprehenderat, qui haec omnia ad literam interpretanda vellent. „Nos vero, qui omnia quae ſcripta ſunt, non „pro narrationibus antiquitatum, ſed pro disciplina et utilitate nostra didicimus, „ſcripta haec, quae leguntur, etiam nunc fieri non ſolum in hoc mundo, qui „Ægyptus figuraliter dicitur, ſed in unoquoque nostrum deprehendimus; ſae-„pe ostendimus, quod in foemenis caro et affectus carnis deſignatur, vir autem „rationalis ſenſus et intellectualis fit ſpiritus; ſenſum vero rationalem, qui „potest coelestia ſapere, odit PHARAO rex, hunc necari cupit et interimi; „quum ergo videris homines in voluptatibus et deliciis vitam ducere, ſcias, quod „in istis Rex Ægypti masculos necat et vivificat foeminas." Denique (ne plura proferam exempla) ORIGENES in omnibus locis, ubi *de circumciſione* fit mentio, ſenſum Allegoricum eſſe quaerendum et indagandum opinatur. Ad quam ſententiam ſuam confirmandam loco abutitur *Exod.* VI: *vs.* 30 in quo explicando, cum MOSES coram IEHOVA ita locutus est: „*ego autem incir-*„*cumciſus labiis ſum,*" haec addit: „quod ſi circumciſionem labiorum ad „Allegoriam revocatis, quomodo non et in circumciſione praeputii Allegoriam „requiritis." (48a) Ceterum ORIGENES in ea fuit ſententia, non uni tantum vel alteri, ſed plerisque C. S. locis, cum V. tum etiam N. T. ineſſe ſenſum mysticum, moralem et allegoricum. Unum tantum ex ipſius ſcriptis ad hanc, quam amplexus est, ſententiam illustrandam, commemorabo locum, n. ex *Hom.* I. *in Exod.* § 4. *pag.* 131. *tom.* II *oper.* ubi inquit: „ego, credens ver-„bis Domini mei IESU CHRISTI, in lege et prophetis iota quidem unum, „aut unum apicem non puto eſſe a mysteriis vacuum." (48b) Ex hactenus dictis ſatis apparet, ORIGENIS rationem interpretandi magis inprobandam eſſe quam laudandam; maxime propter Allegoriarum ſtudium, quod ab eo meliorem in formam quamvis redactum, et quaſi in ſystema philoſophicum confectum, multis tamen interpretibus postea anſam dedit, ad hoc illud interpretationis genus, ultra quam par est, proſequendum; quod et dein luculentius apparebit. (49) Quam ob cauſam iam progredimur ad alios huius aevi eccleſiae Graecae doctores.

(48a) *Hom.* III *in Geneſ. pag.* 68. (48b) Reperi quoque ridiculam interpretationem allegoricam ORIGENIS, legem explicantis Moſaicam, *Deut.* XXV, 5. *ſeqq.* in libro erud. I. E. C. SCHMIDT, *Handbuch der Christ. Kircheng*: *Tom.* I. *p.* 327, ubi haec leguntur; „Das weib (ſcilicet ſecundum ORIGENIS explicationem) ist die ſeele des menſchen; der erſte mann ist dat geſetz des buchſtabens, der zwey-

Digitized by Google

te mann ist das gesetz des geistes: die kinder sind die (guten) werke. Iedes weib, d. i. iede seele, die selig werden soll, mutz zuerst mit dem gesetz des buchstabens durch den unterricht vermählt werden. Dan stirbt dieses gesetz, aber das weib d. i. die seele, dauert fort, um nun eine fruchtbare ehe mit dem bruder des verstorbenen einzugehen; bruder sind diese beyden gesetze, denn sie wohnen in einem hause d. i. in einem buchstaben." (49) Vid. A. YPEIJ V. C. in l. l. deel V. bl. 299 init. Ceterum de ORIGENE multa exhibet I. A. ERNESTI tum *in Opusc. Theol.* tum *in Opusc. Philol. et Crit.* et ZIMMERMANNUS, *Oper. tom.* III. *p.* 426 *seqq.* et ROSENMULLERUS, l. l. *p.* III. a *pag.* 1—156 et G. W. MEYER, *Geschichte der schrift Erklär. seit der wiederherstel. der Wissenschaft. p.* I. *pag.* 41—47 In quorum scriptis omnia illa, quae a nobis de ORIGENE breviter, nostri propositi memores, sunt exposita, fusius legi possunt.

§ 20.

Primus hic commemorandus, qui ORIGENI aequalis fuit, IULIUS est AFRICANUS, *Presbyter Nicopolitanus* in Palaestina, utpote qui, quamvis nullos reliquerit labores exegeticos, tamen ab hac ORIGENIS interpretandi methodo fuisse videtur alienus, eamque omnino reprobasse. (50) Verum ex eodem aevo illo praesto nobis est inprimis HIPPOLYTUS, qui prae ceteris ORIGENIS secutus fuit exemplum. Licet enim multa eius scripta per temporum iniuriam perierint, ex iis tamen, quae supersunt, satis perspicuum est, quantopere Allegoricae interpretationis fuerit studiosus. Inspiciamus modo, quem confecit, librum, cuius titulus ἀπόδειξις περὶ Χριστοῦ καὶ Ἀντιχρίστου est, in quo ex multis s. s. locis, allegorice explicatis, probare annisus est adventum Antichristi, tribumque, ex qua originem suam ducturus esset. Exempli instar, quo eius ratio interpretandi illustretur, afferri posse quam maxime putem explicationem *Genes.* XLIX. *vs.* 8. *seqq.* ubi haec leguntur: „*Catulus leonis* IUDA i. e. CHRISTUS, qui ex IUDA et DAVIDE, quod ad carnem, natus est, de spiritu s. concipietur et ex sancto germine e terra procedet." Quod dicitur: *recumbens dormivisti ut leo et ut catulus leonis*, triduanam dormitionem CHRISTI significat; *alligans ad vitem asinam suam*, i. e. iunxit sibi populum suum ex circumcisione, nam ipse vitis erat; *ad helicen pullum asinae suae*, populum ex gentibus, quem quasi novum pullum eduxerit, circumcisionem et praeputium vocans in unam fidem. „*Lavabit in vino stolam suam;*" significat: τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος κατελθοῦσαν ἐπὶ Ἰορδάνῃ πατρικὴν φωνήν. Non, ut addamus, necesse erit, alia eaque absurda atque inepta non tantum, verum etiam adeo confusa, ut vix intelligi possit, quid sibi velit auctor. (51)

Digitized by Google

(50) Confici hoc potest ex dicto quodam ORIGENIS *in Hom.* I. *in Levit. oper. t.* 2. *pag.* 184.
(51) HIPPOLYTI opera; *ed.* FABRIC. *Hamb.* 1716. 2 *vol.* vid. ROSENMULL. *l. l. p.* III. *pag.* 164 *seqq.*

§. 21.

Eruditisſimis huius aevi interpretibus merito accenſendus est DIONYSIUS ALEXANDRINUS, de cuius tamen operibus hodie fragmenta tantum exſtant, ab EUSEBIO conſervata et ad nostram memoriam relata. Quod ſi haec fragmenta inſpiciamus, quam clarisſime apparet, DIONYSIUM optimum huius aevi fuisſe interpretem, Allegoriarum ſtudio quippe minime deditum. (52)

Sequitur METHODIUS, *Tyri* Epiſcopus, qui, licet ex multis C. S. locis ſenſum literalem derivaverit egregie, eaque rite explicaverit, nonnunquam tamen allegorice interpretandi methodo uſus est. Sic verba *Geneſ.* II: *vs.* 23, non tantum ad literam esſe explicanda exſtimat, verum etiam πνευματικῶς de CHRISTO accipienda esſe docuit, uti et vocabula: „ creſcite et multiplicamini " περὶ τῶν κατὰ πνεύματα τελειουμένων καὶ γεννωμένων (ἀνθρώπων) intelligenda esſe putat. (53) Porro ad *Cant: Cant.* c. VI: *vs.* 7; per *reginas* intelligit *animas regias*, quae Deo ſe reddiderunt gratas (*Abel*, *Seth*, *Enoch*,) per *pellices*, *animas prophetarum* post diluvium etc. Ex quibus exemplis, qualis hicce fuerit interpres, facile cognoſci potest.

Denique inter ORIGENIS ſectatores ſilentio praeterire haud posſumus EUSEBIUM PAMPHILUM, *Caeſareae* in *Palaestina* Epiſcopum, qui, praeſertim in ſuis commentariis in *Pſalmos* et in *Ieſaiam*, hoc interpretationis genere uſus est. Ubicunque enim de inimicis inſurgentibus et tumultuantibus ſermo est, id refert ad Iudaeos, contra CHRISTUM frementes et machinantes, vel ad Eccleſiam, ab hostibus aut Daemonibus oppugnatam, vel ad Deo devotam animam, a ſpiritibus immundis vexatam. Quod ſi vero laeta et iucunda commemorantur; ea coelestibus Hieroſolymis, ſive Eccleſiae, ſive Christiani cuiuslibet animae omnia adſcribit; atque hoc eodem modo in multis aliis egit.

Multo inferior fuit illo ATHANASIUS, Epiſcopus *Alexandrinus*, qui vixit circiter a. c. aer. 370. Hic omnia fere Pſalmorum loca ad CHRISTUM accommodavit, nulla ratione habita, *vel* perſonarum de quibus ſermo est, *vel* rerum, quae traduntur. Neque eundem meliori ratione uſum esſe in interpretandis libris N. T. patet quam luculentisſime ex fragmentis eius Commentariorum in Euang.

Matth. et *Luc.* Sic v. c. verba *Matth.* c. V: *vs.* 29, *si oculus tuus dexter* etc. ita explicat, ut per *corpus*, *Ecclesiam*, per *oculos* et *manus*, *Episcopos* et *Diaconos* intelligat. (54)

Sequitur BASILIUS MAGNUS, ATHANASIO aequalis, qui quum magna ex parte ORIGENIS opera excerpsit, etiam studio allegorico maxime fuit delectatus; exempli loco sit eius explicatio *Gen.* I: *vs* 7, ubi verba: *divisit Deus aequas, quae erant sub firmamento, ab iis, quae erant super firmamento*, interpretatus est de *unigenito Dei filio.* (55) De GREGORIO NANZIANZENO, qui, quum apprime versatus fuerit in arte rhetorica, loca sacri codicis non alia ratione explicuit, quam id factum esse vidimus ab antiquioribus interpretibus, a quorum auctoritate totus pendet, non necesse est, ut moneam. Eandem ingressus est viam GREGORIUS NYSSENUS, *Nyssae* Episcopus, scriptor sec. IV vergentis ad finem, quippe qui haud felicior s. s. fuit interpres, neque alia methodo usus est, quam secuti sunt plerique S. C. et praecedentes et sui temporis explanatores. Mox enim, in prooemio *Cant. Cant. exposit.* reprehendit eos, qui existimabant s. s. dictioni esse inhaerendum. Ipse contra sublimiorem sensum e C. S. eruendum esse, multis modis suis commendat lectoribus. Exempla autem huius rei afferre supervacaneum esset, propter similitudinem cum iis, quae antea a nobis sunt allata.

(52) De DIONYSIO ALEXANDRINO eiusque interpretandi modo vid. ROSENMULLERUS l. l. *tom.* III. *pag.* 171 *seqq.* (53) Vid. *Lib. eius de Castitate*, qui et inscribitur *Symposium decem virginum ap. Photium Cod.* 237. ref. eodem. (54) Vid. POTT *Coll. nov. Patr. et script. Graec. a Montfalcon. edita tom.* II. *pag.* 24. ref. eodem. (55) *Hom.* 3.

§ 22.

Omnium Interpretum s. s. sec. IV praestantissimus fuit DIONYSIUS TARSENSIS, *Tarsi* Episcopus, qui allegoricum interpretandi modum prorsus repudiavit. Solummodo simplicem sensum literalem sectatus est. Hinc factum est, ut multi ad eius exemplum imitatione exprimendum excitati sint, et perversum illud ubivis investigandarum allegoriarum studium quodammodo in desuetudinem abierit. Inter illos, qui ipsum secuti sunt, commemorare possumus EUSEBIUM EMISENUM, excellentissimum huius aevi interpretem. Neque praetermittendus est, qui omnes veteres Graecae et Latinae ecclesiae doctores superavit, THEODORUS MOPSUESTENUS, eximius CHRYSOSTHOMI

Digitized by Google

condiscipulus. Hic tantus huic studio fuit adversarius, ut peculiarem conscripserit libellum sub titulo *contra Allegoristas*; quin imo et hac de causa aliquando aliter sentientium vexationes passus sit. Tandem, qui hic laudetur, dignus est ipse IOHANNES, ab insigni qua pollebat, facundia cognominatus CHRYSOSTOMUS, qui quanquam non prorsus et omni modo allegorias despicatui haberet (56) sensui tamen literali maximopere inhaerebat.

Quod si viros hosce excellentissimos exceperis, luculenter apparet, Graecos, ORIGENEM subsecutos, nullos fere progressus in interpretationis arte fecisse, sed omnes insano illi allegoriarum studio se totos addixisse, omnemque operam suam consecravisse. Et undenam hoc eorum opus, hic labor? Non aliunde, quam quod primum sermonis Hebraici erant ignari, dein vero quod pretii tantum in veterum Allegoristarum auctoritatem statuebant, ut vana opinione de traditionibus quibusdam hermeneuticis tenebantur. Hinc effectum est, ut eorum nemo fere ausus sit loca s. s. alia methodo, quam qua antiquiores doctores usi fuerant, explicare. Is enim qui eiusmodo quid suscipiebat, statim declarabatur hereticus, homo detestabilis, ignominia, exilio, omnique persecutionis genere plectendus.

Postquam vero in Ecclesia DIONYSIUS TARSENSIS, omnis doctrinarum generis scientia et eruditione praeclarus, prodiisset, paulatim interpretationi melior data est forma, praesertim tempore EUSEBII EMISENI, THEODORI MOPSUESTENI, ac IOHANNIS CHRYSOSTOMI, utpote qui, in ecclesia Graeca studii exegetici instauratores iure merito dici queant. (57)

(56) Vid. eius *Hom. in Ps.* XLVI. *tom.* VI. *op. pag.* 209. (57) De omnibus hisce excellentissimis interpretibus conf. I. A. ERNESTI *Opusc. Theol. pag* 450 *seqq.* qui multa ad eorum interpretandi methodum spectantia (quae ad nostrum institutum non pertinent) monuit; nec non ROSENMULL. l. l. p. III. a *pag.* 246—292 et A. YPEIJ V. C. l. l. deel V. bl. 300.

§ 23.

Latini Interpretes, ut ad eos revertamur, eodem modo ac Graeci priores allegorias sectati sunt, nec mirum, ignorabant enim linguam non tantum Hebraicam verum etiam nonnunquam Graecam; utebantur versionibus C. S. latinis, saepe vitiosissimis, hisque adstricti, cum Grammatice explicare s. s. nescirent, confugerunt ad interpretationes allegoricas. Qui Graece edocti

Digitized by Google

erant, vestigia ORIGENIS secuti sunt, eiusque scripta pro lubitu ad placita sua, mutando, addendo demendoque accommodabant; unde facile intelligi posse existimem, quomodo hi omnes hac in re fuerint versati. Sic inter Allegoristas huius aevi latinos omnino referendi sunt CAECILIUS LACTANTIUS FIRMIANUS, Rhetor *Nicomediae*, HILARIUS PICTAVIENSIS, medii sec. IV scriptor, AMBROSIUS, Episcopus *Mediolanensis*, aliique; in quorum operibus multa occurrunt digna, quae irrisione ludentur. Allegoricae vero explicationis exempla, quae huc pertinent, in medium proferre nobis, brevitatis adiuvandae studiosis, non vacat. Sufficiat in notatione subiecta, loca quaedam ex eorum scriptis, in quibus huius rei specimina reperiri possunt, commemorare. (58)

Melioris autem notae fuit interpres EUSEBIUS HIERONYMUS, qui floruit sec. V ineunte omnesque antiquiores scientia et eruditione superavit. Nonnunquam tamen allegoricam interpretandi rationem secutus est, praesertim in explicatione CANT. CANT. ubi v. c. per vocem *turturis* intelligit *Servatorem*, et phrasin, *ibo ad montem Myrrhae et ad collem Libani*, refert *ad purissimos virginum greges*, multaque alia de virginitatis mysteriis explicare conatur. Quum autem ab his nugis plerumque abstinuerit HIERONYMUS, inter optimos huius aevi interpretes recenseri potest, utpote cuius expositiones grammaticae et adnotationes Criticae haud contemnendae sunt. (59)

(58) Exstat FIRMIANI allegorica explicatio *Ios.* V: *vs.* 2. in *lib.* IV: *c.* 26. *pag.* 503. Sententia HILARII cognosci potest ex *Prologo, explanationi suae praemisso*, nec non, ex expositionibus suis *Matth.* VI: *vs.* 26. X: *vs.* 29 etc. Quod denique ad AMBROSIUM attinet, totus hic referri potest eius *lib. de Caino et Abele*: 1. l. *tom.* III. *pag.* 304 *seqq.* Plura denique videri possunt apud SCHRÖECKHIUM, *Christ. Kirch. Gesch. b.* XII. *f.* 323 *seqq.* (59) Qui fusius haec omnia legere velit, adeat ROSENMULLERUM *p.* III. *pag.* 385. De nova V. T. versione, ab eo confecta, quum hic non locus est disserendi, vid. MICHAËLIS *Inleiding in de Schriften des N. Verbonds.*

§ 24.

Sequitur iam AURELIUS AUGUSTINUS, *Hipponis regii* Episcopus, scriptor circa finem sec. IV. Is primus fuit inter ecclesiae Catholicae Latinae doctores, qui veram interpretandi rationem tradere conatus est, septemque composuit regulas hermeneuticas, quas proposuit in lib. suo, cuius est titulus: *Institutio*

Digitized by Google

de doctrina Christiana; et quae I. BREITHAUPT collegit in libro, qui inscribitur *Hermeneutica ex Augustini lib.* IV *de doctrina Christiana.* Praecipua AUGUSTINI praecepta sunt sequentia. Omnia referri debent ad Deum aliosque homines, quia est scripturae scopus dilectio Dei aliorumque hominum. Cognitio linguarum Orientalium necessaria est: (ingenua saneque professio viri, earum imperiti!). Investigandum est, utrum propia sit an figurata locutio, quam investigare conemur; hac in re contextus ratio est habenda. Obscuriora loca per apertiora sunt explicanda. Notitia aliarum scientiarum plurimum ad s. s. cognitionem confert. Haec omnia non modo ad sensum literalem, sed inprimis ad mysticum et allegoricum eruendum plurimum faciunt. Latini versionibus latinis eorum uti debent, qui magis sensum, quam verba secuti sunt. Interpretatio Alexandrina praeferenda est textui Hebraïco. Quod ad ipsam eius interpretationem attinet, (60) passim scripta eius allegoriis repleta sunt; sic v. c. verba, *Ps.* I, „*beatus est vir.*" de *Domino nostro I. C.* h. e. „*homine dominico*" explicat. Quamvis porro inscriptio *Ps.* III indicat, eum a DAVIDE compositum esse, ABSOLONIS insidias et vim quum effugeret, eum tamen AUGUSTINUS de *persona Christi* accipiendum esse existimat, propter verba: „*ego dormivi, et somnum cepi, et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiat me.*" Haec enim secundum eius sententiam magis exponi possunt de passione et resurrectione CHRISTI, quam de fuga DAVIDIS. *Ps.* IX inscriptio est: *In finem pro occultis filii, Psalmus ipsi David;* sic vulgata latina, qua usus est AUGUSTINUS, CHRISTUM per *filium* intelligit; Dominus enim ipse quum sine additamento ponit filium, se ipsum Unigenitum vult intelligi, ubi ait: *si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Exstant praeterea de eo, (ut ceterorum Psalmorum explicationes praetereamus) *libri duo, de sermone Domini in monte*, in quibus, quanquam allegorice interpretandi studio non adeo indulgeat, saepe tamen ad illud iterum recurrit. Sic per *montem* intelligit *maiora iustitiae praecepta*, a IESU suis data discipulis. Denique ne plura addam, in loco *Matth.* V: *vs.* 29, „*si oculus tuus* etc." per *dextram manum* intelligit *dilectum adiutorem ministrum in operibus divinis*, per *sinistram*, *ministrum in humanis operibus*, quae ad vitam sustentandam necessaria sunt. Ex paucis his exemplis (61) videri potest, qualis fuerit interpres. Mirandum autem est, hanc virum in ecclesia Occidentali tantam nactum esse auctoritatem, ut decreta eius, oraculorum instar, observarentur.

Digitized by Google

Sed tanta erat literarum barbaries hoc tempore in Occidente, ut paucissimi reperirentur harum rerum aequi iudices ac iusti aestimatores.

(60) Tradidit nobis in lib. *de Genes. cap.* II, suo tempore quatuor usitatos fuisse interpretandi modos, secundum *Historiam*, secundum *Allegoriam*, *Analogiam*, et *Aetiologiam*. (61) Qui plura exempla desiderat, ea reperiri possunt in ipsius lib. all. Vid. etiam ZIMMERMANNI *Opusc. tom.* III. *p.* 448.

§ 25.

AUGUSTINO aequalis fuit PELAGIUS, monachus *Brittannicus*, qui eum, ut ingenii acumine, ita interpretandi peritia, longe superavit; alienus enim fuit ab omni allegoriarum studio ac somniis mysticis, quam ob rem tuto eum ad meliores interpretes referre possumus, uti et IULIANUM, qui (quod inprimis ex eius libro *contra* AUGUSTINUM, qui exstat in ipsius opere, quod dicitur *Imperfectum*, patet) ab hoc studio etiam quam maxime alienus fuit. Latini Patres igitur quum fere omnes grammatice interpretari haud potuerint dicam? an noluerint? ad allegorias et somnia mystica confugerunt, veterumque opera excerpserunt. Accedit, quod regulam quandam fidei, ore etiam ecclesiae traditam, interpretandi constituerent legem. Quid inde? Nihil aliud, quam quod illi, qui meliorem interpretandi legem secuti sunt, gravissimi erroris rei mox haberentur, et eodem omnes crimine condemnarentur. Luculentissima hac de re habemus exempla in IULIANO, PELAGIO aliisque, qui contra allegoricas explicationes fortiter quum se opponerent, multa sibi illata mala eaque dura passi sunt. Quae quum ita sint, apparet, quam grata fuerit hac tempestate et Latinis et Graecis, si paucissimos exceperis, interpretatio allegorica. Vigebat illa apud omnes fere, quocumque in loco, et diu viguit. Si quis meliora edoctus meliori interpretandi rationi commendandae et inducendae impenderet operam, mox omnes propemodum manibus pedibusque in id annitebantur, ut cito citius tantam, tamque detestabilem sacrarum literarum pestem averterent ab ecclesia.

§ 26.

A seculo inde V aliam interpretandi rationem secuti sunt Graeci, aliam vero Latini. Utriusque ecclesiae interpretes diverse sentientes diversam viam in-

Digitized by Google

gressi sunt. Graeci imitati sunt CHRYSOSTOMUM, Latini contra maxime AUGUSTINUM; unde iam a priori facile quisque intelliget, quinam studio allegorico maximam operam navaverint. Primus, qui inter Graecos nobis occurrit, THEODORETUS est. Hic admodum probabilis fuit interpres; explicationes psalmorum, quas reliquit, ceteris sunt praeferendae. (62) Neque putandum tamen velim, ipsum a captandis allegoriis prorsus abstinuisse. Verba namque *Ps.* VIII, על־הגתית ab ALEXANDRINIS Graece reddita ὑπὲρ τῶν ληνῶν (de *torcularibus*) refert ad *Ecclesias*; et quare? eo quod Servator optimus vitis appellatur: „*ego sum vera vitis*" Credentes autem, qui hanc vitem vindemiant, conficiunt vinum mysticum. Neque feliciori successu versatus est in explicatione *Cant. Cant.* Omnia hic ad sensum mysticum alte indagandum retulit. Sic *sponsum* esse *Christum*, dixit, *sponsam* vero *Ecclesiam* secundum *Ioh.* III: *vs.* 29. *Matth.* IX: *vs.* 15. *Adolescentulae* porro, quae sponsam sequuntur, ex ipsius interpretatione, sunt *animae piae*; *osculum* est *coniunctio animae piae cum verbo divino*; *ubera sponsae* sunt *fontes disciplinae* etc. Multo vero praestantiores sunt eius Commentarii in N. T. libros, praesertim in omnes PAULI Epistolas, in quibus plurimae occurrunt bonae notae interpretationes, quas igitur exponamus hanc ipsam ob causam non opus est.

Idem quod de THEODORETO monuimus etiam dicendum est de EUTHALIO, Diacono *Alexandrino*, cuius igitur nomen solummodo commemorasse sufficiat. Hoc autem multo inferior fuit CYRILLUS ALEXANDRINUS, *Alexandriae* Patriarcha, qui, THEODORETI methodo prorsus neglecta, *Mystico sensui* unice exquirendo suam admovit industriam. Audiamus ipsum in explicatione Prophetarum: „obscura, (inquit in *praefat. ad Ies.*) semper est „Prophetarum ratio et referta reconditis sententiis, paritque nobis Myste„riorum div. praedictionem; finis enim legis et Prophetarum est CHRISTUS." Quam ob rem, ex CYRILLI sententia, *unus ex Seraphim* in manu habens prunam, ab altari sumtam, missus ad Prophetam etc. (*Ies.* VI: *vs.* 6, 7) significat *Christum*, pro nobis passum et mortuum. Plura hisce similia, quae tamen quum minoris sunt momenti, silentio praeterimus, pergentes ad ISIDORUM PELUSIOTAM, qui, quanquam non plane studium allegoricum repudiaverit, non multum tamen pretii in id colendum statuisse videtur, quemadmodum ex ipsius *epistola ad Valentinianum* (*lib.* IV *Epist.* 117) colligi po-

Digitized by Google

test. Infigne allegorice interpretandi methodi, qua ufus est, exemplum reperitur *lib.* I. *epist.* 42 ubi arctisfimam coniunctionem utriusque in CHRISTO naturae in antecesfum fignificatam esfe ftatuit vifu Prophetico carbonis igniti, forcipe prehenfi. Per *carbonem* intelligit *Div. Esfentiam*, per *forcipem peccati expertem carnem*, quam ex nobis fumtam fibi copulavit Servator I. e. Eodem modo allegorice interpretatus est *Matth.* XXIV, (63) ubi per verba, „*qui* „*in Iudea funt fugiant ad montes,*" intelligit homines christianos, confirmatos in pietate, (hi enim allegorice *Iudaea* dicuntur) qui ad fublimem refugii locum oculos tollant; „*qui in tecto est*" h. e. ὑψηλοὶ τῷ βίῳ γενόμενοι, „*non descendat: ceterum qui in agro est, non revertatur tollere fuum pallium*" h. e. qui veterem hominem exuerit, novum vero gestet, eumque ad agnitionem Dei renovet. Haec aliaque plura, doctore, Grammaticae interpretationis ftudiofo, maxime indigna in medium protulit noster ISIDORUS. (64)

(62) Vid. Iudicium ERNESTII *de hisce Pfalm. explicationibus, in Opusc. Theol. pag.* 495. (63) Vid. *Lib.* IV *epist.* 210. (64) Qui plura defiderat exempla, ea reperire potest in lib. HIERONYMI LAURENTI: *fylva Allegoriarum f. f. Col.* 1701 pasfim.

§ 27.

In Occidente ftatus Literarum fec. V longe tristior fuit quam in Oriente. Etenim ab hoc inde tempore non tantum linguae Graecae cognitioni, fed etiam omni fere elegantiorum Literarum ftudio plerosque vale dixisfe, fciunt omnes. Cuius rei caufa erat ignavia et fuperftitio Clericorum ac nimia Epifcoporum Romanorum potentia. Tanta hominum literatorum erat inopia, ut linguae Graecae addifcendae omnisque fere philofophiae colendae fplendor tenebris obduceretur, et foeda barbariei nox omnibus incumberet doctrinis. Videamus autem quam brevisfime, quinam Interpretationis ftudio operam dederint.

Primus hic fefe nobis offert PRIMASIUS, allegoriarum ftudiofisfimus, (quod inprimis patet ex eius *interpretatione mystica Apocal. Iohan.*) aeque ac MAGNUS AURELIUS CASSIODORUS, qui in omnibus fcriptis fuis iam AUGUSTINUM, iam vero HIERONYMUM fecutus est, omniaque eorum opera magnam certe partem excerpfit. Horum vero laboris exempla, brevitatis obfervandae memores, praetermittimus, eoque potius, quod ipfa facile quisque fibi posfit colligere, interpretationis fpecimina repetens, quae ex illorum duumvirorum fcriptis

protulimus. De GREGORIO MAGNO, episcopo *Romano*, homine quamvis celebri, multo tamen indoctiore, eadem valet observatio; s. enim s. fuit interpres, qui ubivis fere investigandum sensum historicum neglexit, allegorias contra sectandas nullo non curavit opere. (65) Inter Allegoristas porro Ecclesiae Graecae commemorandus est ANDREAS, *Caesareae* in *Cappadocia* Episcopus, ac scriptor *Commentarii in Apocalypsin*, in quo omnia fere allegorice explicat. Sic v. c. per *septem spiritus coram throno Dei* intelligit *septem angelos* „τοὺς τῶν ἐκκλησιῶν λαχόντας τὴν κυβέρνησιν, οὐ συναριθμουμένους τῇ θεαρχικῇ „τῇ, καὶ βασιλίδι τριάδι, ἀλλ' ὡς δούλους αὐτῇ συμμνημονευομένους." (66) Huic iungere possumus ARETHAM, qui multa in scriptis suis ex ANDREA repetiit, verum etiam multa eaque praestantiora repertis addidit, inprimis de ratione grammatica, quamobrem hoc respectu ipsius opus maioris et melioris argumenti est quam illud ANDREAE, quod secutus est.

Quid de PROCOPIO GAZAEO dicam? is, quanquam eius Commentarii minime sint contemnendi, a studio tamen allegorico non omnino abhorrait. Exemplo sit explicatio, quam exhibet, oraculorum *Ies.* I: *vs.* 16. VII *vs.* 21 *et* 22 etc. (67) In genere autem observandum est, ipsius scripta quidem esse melioris argumenti, at caute, si quis iis uti velit, cum illis ut et cum omnibus huius aevi scriptis esse agendum. (68)

(65) Exempla ipsius interpretationis videri possunt in *Explicat: sua lib. Iobi*, nec non *in homiliis in Ezechielem*, in quibus omnia fere refert ad CHRISTUM, ad electos, ad vitam activam et contemplativam, ad Apostolos etc. (66) Multa in hoc libro refert ad *eversionem urbis* et *templi*, uti *cap.* VI: *vs.* 14 *etc.* (67) Conf. de hoc viro ROSENMULLERUS l. l. *P.* IV. *p.* 234–263. (68) Vid. NÖSSELTI *Observationes de Catenis Patrum Graec. pag.* 26.

§ 28.

In Ecclesia Latina qui initio sec. VII inclaruit, PATERIUS est, Episcopus *Brixiensis*, qui tres conscripsit libros *explanationum in obscuriora utriusque Testamenti loca*, ex GREGORII M. operibus depromtos, unde nihil est, quod de eo dicatur. Praeferendus est ei, non solum interpretandi peritia, verum etiam eruditione et diligentia, BEDA, *venerabilis* cognominatus, cuius adhuc multa extant scripta exegetica. At vel sic tamen allegorice interpretandi studio nimis indulsit; praesertim in commentariis in V. Testam. Omnes enarrationes in

primo lib. *Samuelis* ad CHRISTUM et Eccleſiam refert, ita ut huius interpretationis exempla ſexcenta hic reperias, quibus univerſa eccleſiae chriſtianae hiſtoria contineatur. Eodem modo verſatus est *in Expoſitionibus Esrae et Nehemiae*. Ibi enim ſub litera altiorem ſenſum eumque myſticum latere exiſtimat, illumque inde eruere conatur. (69) Sequitur FLACCUS ALCUINUS, *Anglus*, CAROLI M. Regis et Imperatoris praeceptor, qui, quanquam omnes fere ſuae aetatis latinos ſcriptores eleganti doctrina ſuperaverit, admodum tamen vulgaris fuit interpres atque allegoriae interpretandi ſtudio maxime deditus, cuius rei ſpecimina reperiuntur et in *Expoſit. Allegor. benedictionis* IACOBI, et in Expoſitionibus, quibus *ſeptem Pſalmos poenitentiales graduales* interpretatus est; et denique in *compendio commentariorum in Cant. Cant.* quae omnia clariſſime docent, quam longe a veritatis inveſtigandae via aberraverit. Quae tamen non obſtant, quo minus hic ille literarum inſtaurator in Germania haberi poſſit et vere fuerit. Multo enim doctior et liberali eruditione politior fuit plerisque ſui aevi ſcriptoribus latinis. (70)

(69) Exemplo ſit locus, qui *in praef. ſua in* ESRAM *et* NEHEMIAM reperitur, ubi ſenſum myſticum ex hoc libro eliciendum eſſe probare conatur; de eo porro conf. ROSENMULL. l. l. *p.* V. *pag.* 79—109. (70) Inprimis huic vitio obnoxius erat, quod ſibi perſuaſerat, ab antiquioribus doctoribus, omnia ita fuiſſe expoſita, ut iteratis discuſſionibus et curis non opus ſit; quod et ceteris huius aevi ſcriptoribus erat commune, indeque maxime cauſa repetenda est, cur univerſam tradendae religionis doctrinae methodum emendare nec potuerint neque voluerint, et tantopere allegoriis conquirendis indulſerint.

§ 29.

Seculo *octavo*, *nono* et *decimo* ſtudium interpretationis librorum C. S. eodem fere modo ac prioribus ſeculis comparatum, quin imo tantum non fuit neglectum; quod inprimis, PHOTIUM ſi excipias, de Graecis valet. Latini, ſuaſore CAROLO M. hac in re aliquantulum vires ſuas tentarunt, uti RHABANUS MAURUS, WALAFRIDUS STRABO, CLAUDIUS, ANGELOMUS aliique, quorum tamen plurimi vel allegorias captarunt, vel ex antiquiorum interpretum et doctorum libris ſua ſcripta conflarunt. (71) Sic RHABANUS MAURUS, archiepiſcopus *Moguntinus*, varia quidem nobis reliquit commentaria tam in V. quam in N. Test. libros; verum quid et ſibi et aliis profuit? quid attulit utilitatis? nihil aliud egit, niſi quod plurima ex Patrum ſcriptis exhauſit et ridiculas nobis reliquit expoſitiones allegoricas. Videamus modo librum I *de*

Digitized by Google

universo Oper. *tom.* I. Hic intelligit, per *digitos Dei*, *Mosen Legislatorem*; *Christum* putat dici *hoedum*, propter similitudinem peccati; *dentes* sunt *Christi Apostoli* et doctrinae christianae explanatores. Hanc interpretationem quum luci exposuerit, quid quaeso! est, cur in eam inciderit? nihil aliud, quam quod Gen. XLIX: 12 de MESSIA N. T. scriptum est: „*dentes eius lacte sunt candidiores*;" addit ipse „eo quod dentes praecidunt ab erroribus homines et eos quasi comedendo in CHRISTI corpus transferunt." Quam haec sunt ridicula, quam absurda, quam religionis verae doctore haud mediocriter erudito prorsus indigna! Plura alia eius generis, quae in suis commentariis suo modo explicat, praetermittam. (72) Neque RHABANO praestabilior est WALAFRIDUS STRABO, Monachus *Fuldensis*, de quo memoratu dignum est, quod *septiplicem* sacrae scripturae sensum statuerit, nempe *historicum*, *allegoricum*, *utriusque rei modum*, *sensum de incommutabili divinae Trinitatis essentia*, *quando videlicet proprie quid tropice insinuetur oraculis*; *parabolarem*, *quando aliud dicitur et aliud invenitur scriptum*; *sensum de gemino Salvatoris adventu*, *ne aut primus pro secundo aut secundus pro primo intelligatur*, *denique sensum*, *quo sic divinis praeceptis instruimur*, *ut certa vitae agendae forma innotescat*.

Quid de HAYMONE, Episcopo *Halberstadiensi*, dicam? audiamus ipsum in expositione *Psalm.* I. „communis," inquit, „materia totius huius operis „CHRISTUS est, tripliciter acceptus; scilicet secundum Deitatem, secundum „humanitatem, et secundum corpus. Quod vero de contrariis, h. e. de dae„monibus impiis interseritur, non ideo fit, quod sit de principali materia; sed „ut principali materiae subserviat, per quasdam commoditates admiscetur: ut „in primo psalmo de impiis adducit, ut per eorum poenam hominibus ab eo„rum conformitate deterreat et ad CHRISTI conformitatem reducat." Hinc satis perspicuum est, quam interpretandi methodum secutus sit (73)

(71) Vid. A. YPEIJ V. C. l. l. d. V. *bl.* 301 *seqq.* (72) Conf. ROSENMULL. *l. l. tom.* V. *pag.* 133. (73) Vid. RICH. SIMONIS *Hist. Crit. des Comment. de N. T. ref.* ROSENMULL. *l. l. tom.* V. *pag.* 159.

§ 30.

Excipi hic meretur CHRISTIANUS DRUTHMARUS, cognomine *Grammaticus*, utpote qui omni opera id egit, ut e s. L. sensum erueret historicum et

Digitized by Google

literalem, facemque ſui temporis doctoribus praeferret ad ſtudium grammatices interpretandi rite colendum. Utinam ipſum ſecuti esſent omnes! Verum tam longe abest, ut grammaticae interpretationi operam dederint, ut qui ipſius vestigia legere viderentur, multa tamen allegorice interpretati ſint, ſubvertendo ſenſum historicum, quem ſimpliciter explicare illis nefas haberetur. Ad hos referendi ſunt PASCHASIUS RADBERTUS, BERTHARIUS, ATTO aliique; quorum autem opera nihil continent, niſi compilationes ex Commentariis HIERONYMI aliorumque Patrum usque ad BEDAM; unde facile eorum interpretandi ratio intelligi posſit. Neque qui ſec. XII floruit, BERNHARDUS CLARAEVALLENSIS probavit, quae viderit, meliora. Quanquam enim ſumma laude ab univerſo eccleſiae doctorum choro efferretur, doctorque a multis diceretur *mellifluus*, ipſi tamen hanc non competere laudem merito, putamus. Neglecto plane ſenſu grammatico, in eo ſemper occupatus fuit, ut ſenſum e C. S. erueret mysticum atque allegoricum. Multa huius generis eaque riſu excipienda nobis reliquit exempla. Sic e. c. per *Seraphim* intellexit *duplicem creaturam rationalem*, angelicam inquam et humanam, per *alarum pennas* denotatam opinatus est *agnitionem* et *devotionem*, qua in eum, qui ſupra illos est, Seraphim rapiantur etc. Haec in ipſis eius operibus *tom*. I. *pag*. 242 fuſius expoſita legi posſunt. Neque feliciori ſucceſſu ipſe interpretandi munere ſuo functus est in Commentar. in *Cant. Cant.* Mirum in modum hic omnia detorſit in ſenſum mysticum. Sic in verbis, *propterea adoleſcentulae te dilexerunt nimis*, per *adoleſcentulas* intellexit *angelos*. Ceterum, quum in ſequentibus mentio est de horto, per illum intellexit *ſimplicem et planam historiam*; per *cellarium*, *ſenſum moralem*, et per *cubiculum*, *arcanum theoricae contemplationis*. (74)

Infelicisſima igitur erat ſec. XI et XII in eccleſia Latina exegeſeos ſ. conditio; plerique enim propter ignorantiam linguae Hebraeae et Graecae ſolummodo e verſione Latina pendebant, quam allegoricis et mysticis commentis non illustrabant, ſed obſcurabant, ſed adulterabant, corrumpebant. Huius generis etiam ſunt Interpretes BRUNO, Praeſul *Herbipolenſis*, BRUNO, *Carthuſianus*, HUGO DE ST. VICTORE (75) aliique, quorum tamen opera tam exigui ſunt momenti, tamque multis abundant allegoriis, quibus omnia infuscare et pervertere ſolebant, ut vix ac ne vix quidem operae pretium ſit ex horum aliorumque ſcriptis ſpecimina in medium proferre. Toto igitur coelo interpretes huius aevi

Digitized by Google

aberrarunt a simplici illa via, quam ingressi sunt IESUS eiusque Apostoli aliisque se praestitere duces et auctores. Non hanc illamve S. C. partem, sed universum hunc codicem depravarunt, omniaque spiritus divini effata ac monita ad humani ingenii lusus inanes ac frivolos accommodarunt.

(74) Conf. ROSENMULL. l. l. *tom.* V. ad h. l. (75) De HUGONE DE ST. VICTORE vid. G. W. MEYER *Geschichte der Schrift. Ercl. seit der widerherst. der Wissensch. t.* I. *p.* 94.

§. 31.

Redeamus vero ad statum Interpretationis C. S. hoc tempore apud Graecos. Primus hic occurrit OECUMENIUS, *Triccae* in *Thessalia* Episcopus, cuius opera ita sunt comparata, ut nihil praeclarius hoc tempore a commentatoribus N. T. confectum ostendi queat, etiam quod ad genus interpretationis grammaticae attinet. Admodum namque sobrie allegoriis usus est. (76) Post huius vero discessum melioris interpretationis lumen illud iterum exstinctum est a THEOPHYLACTO (omnino distinguendo a THEOPHYLACTO SIMOCATTA) *Achridis* in *Bulgaria* Episcopo, quippe qui omni opera in id annisus est, ut studium allegoricum excoleret. Sic v. c. in init. *commentarii in Euangel. Matth.* persuadere nobis conatur, ideo quatuor scripta esse Euangelia, quia quatuor virtutes universales ex iis discimus, vel quia quatuor haec complectuntur, *dogmata*, *praecepta*, *minas* et *pollicitationes*. Locum *Matth.* IV de asina et pullo dupliciter explicavit; „implet „(inquit) CHRISTUS Prophetiam et secundum historiam visibili asino incedit, secundum anagogen vero etiam pullo incedit, novo, indomito, et obedientiae nescio populo; ligati autem erant asinus et pullus catenis suorum „peccatorum." Quis est, qui non miretur male sanam huius hominis docti sagacitatem in scrutandis tam abstrusis mysteriis, et rideat, quas inde produxerit, infantiles nugas et quisquilias? Melior sanequam habendus est, et fuit EUTHYMIUS ZIGUBENUS, dignus, qui ad optimos huius aevi interpretes referatur. Breviter enim et succincte tradit quae ad sensum grammaticum intelligendum faciunt; ipse grammatice interpretatur S. C. Nonnunquam tamen allegoriis usus est, quod non tam ipsius ingenio, quam potius genio seculi, in quo vivebat, vitio vertendum est. Istiusmodi igitur perversis interpretationibus nihil detrahitur utilitatis operi, quod confecit; hoc enim ob

Digitized by Google

expositiones grammaticas saepe bonas et exquisitas merito laudandum esse arbitramur.

(76) Vid. ROSENMULL. l. l. part. IV. pag. 268.

§ 32.

Silentio hic praeterire non possumus, quid hoc tempore interpretes Iudaei interpretationi V. T. praestiterint. Videamus igitur, num hi etiam uti et Christiani in interpretandis sacris V. T. literis studio allegorico dediti fuerint. Cum enim Christiani sec. XI et XII studium Grammatices Hebraicae diligentius excolere inciperent, et cum apud Arabes literarum studium floreret, Iudaei, hoc exemplo excitati, itidem labores suos in utrumque illud studium impendere coeperunt. Duae praesertim hoc tempore exstiterunt Iudaeorum sectae, altera nimirum *Rabbanitarum*, *Karaëorum* altera. Illa interpretandi rationem est secuta allegoricam. Postquam enim traditiones maiorum magnam apud Iudaeos auctoritatem obtinuerant, allegoricas in primis et mysticas explicationes amplexa haec Rabbanitarum familia sensum literalem parum curavit. Attamen non omnibus hanc allegoricam interpretandi rationem (מדרשים appellatam) placuisse, vel R. ABEN ESRAE exemplum docet, qui in praefatione, universae s. scripturae praemissa, speciatim *sensum S. C. literalem* appellat *genuinum*. Quare et ipse simplex illud historice interpretandi genus maximopere laudat et reliquis praefert. Neque aliam interpretandi rationem veram esse, palam professi sunt aliique, ex horum profecti disciplina, R. IONA BEN GINNACH, DAVID KIMCHI. A *Rabbanitis* distinguendi sunt *Karaëi*, qui allegoricam mysticamque Libr. sacr. interpretationem una cum traditionibus reiecerunt acriterque impugnarunt. Hinc *literales*, *scripturales*, *textuales* appellati sunt. Inter eos tanquam celebres interpretes memoratu digni sunt R. SALOMO BEN ISAÃC, RASCHI, etiam IARCHI dictus, R. MOSES BEN MAIMON aliique. Magnam claritatis famam adeptus est ille MOSES MAIMONIDES. Polluit namque ingenii dexteritate, eruditione summa, veri bonique sensu aliisque dotibus; gentis suae maximum fuit decus. Tanto honore dignus fuit habitus, ut de eo tritum invaluerit proverbium: *a Mose usque ad Mosen non fuit sicut Moses.* Neque tamen in ipso laudandum fuit, quod prin-

Digitized by Google

cipia Philofophiae Aristotelicae frequenter cum f. f. effatis commifcuit. Hinc faepius effectum videtur, ut in vocum hebraicarum fignificatione rite investiganda rem acu minus tetigerit. Plura de hisce Iudaeorum interpretibus ut moneamus, inftituti nostri ratio non finit. (77)

(77) De meritis Iudaeorum interpretum videatur MEYERUS l. l. *part.* I. a *pag.* 85—91 nec non ROSENMULL. l. l. *part.* IV. a *pag.* 210—232.

§ 33.

Ad Christianos interpretes revertamur. Vidimus huius aevi Theologos et religionis doctores, paucos fi exceperis, nulla non cura nifuque nihil aliud egisfe, quam ut collegerint fententias exegeticas, ab ecclefiae patribus olim luci expofitas, fpreto et posthabito veri bonique indagandi ftudio. Confentientibus omnes animis religionis doctrinam, quam tradiderant patres, diverfis adeo myfteriorum involucris humanis adulteratam, non perfpicuam modo et planam, fed et vere esfe divinam fibi perfuadebant, qua vera in Deum hominesque pietas veraque felicitas posfet comparari. In hac opinione verfabantur, qui tunc temporis e philofophicis fcholis fuis in publicum prodirent, theologi, inde dicti *Scholastici*, pariter ac ceteri, qui, de veritate Evangelica confirmanda longe aliter fentientes, omnem philofophiae culturam odio habebant, et pietatis mysteria hominum animis divinitus infita quum dictitarent, *Mystici* nuncupabantur. Non eadem igitur ratione ad opinionem fuam ftudia theologica compofuit utraque haec familia. Scholastici, nimirum, quum collectiones fuas exegeticas, quas *patrum catenas* vocabant, conficerent, expofitionem continentes librorum facrorum, ex plurium auctorum cogitatis contextam, faepius eorum verba non integra, fed immutata, fed corrupta exhibuisfe data opera videntur, ad philofophiae Aristotelicae placita accommodantes omnia. In hisce *patrum catenis* conficiendis acquiefcebant fcholastici, facrarum literarum interpretandarum ftudium negligentes, parum certe curantes. Omnes fui ingenii vires in exponenda religionis doctrina, cum philofophia coniuncta, periclitati funt, contentionis cupidiores quam veritatis. Primum quidem modestiores de Philofophia ac Religionis doctrina erant disputatores, dein vero nimia fubtilitate et rixandi ftudio ducti? dicam an rapti? Philofophiae Aristotelicae cum Christianae Religionis doctrina copulandae

Digitized by Google

auctores redditi funt et vindices. Hinc theologia, quam in fcholis fuis tradebant, magis erat philofophica, quam biblica. De eorum autem interpretandi methodo non est, cur multa dicamus; nam et ipfi vel ab aliis centies dicta repetierunt, vel fenfum fuis philofophematibus magis obfcurarunt, quam illuftrarunt, eumque multarum quaestionum perdifficilium farragine obruerunt. E diametro iis oppofiti erant *Theologi mystici*, qui etiam *Biblici* appellantur; hi nimirum fuis praelectionibus Libros f. nonnunquam quidem fimpliciter, faepius vero allegorice interpretabantur, doctrinasque religionis, fepofitis omnibus ratiociniis philofophicis, ex limpidis unius Codicis f. fontibus exponere fatagebant. De fingulis vero quaedam monenda funt.

§ 54.

Princeps omnium theologorum fcholasticorum fuit PETRUS LOMBARDUS, Epifcopus *Parifienfis*, qui libros edidit *quatuor fententiarum*, indeque *Magister* dictus *fententiarum* est, cuiusque opera exegetica ex veterum fcriptis compilata ac Allegoriis et Philofophicis fubtilitatibus repleta funt. (78) Idem et asferendum est de ALBERTO MAGNO, *Suevo*, qui cum fenfu literali et grammatico femper coniunxit interpretationes allegoricas, mysticas et morales, ut et fubtilitates philofophiae Aristotelicae. (79) Neque caufa est cur tamquam interpres laudetur BONAVENTURA, *Italus*, ex utraque familia oriundus. Fuit namque theologus tam mysticus quam fcholasticus; cuius opera exegetica conferta funt ridiculis allegoriis. Sic exftat ab eo propofita quaestio, cur V. Test. novum praecesferit? ut et ridicula explicatio *Pfalmi* I, quem ad *Mariam virginem* adaptaverit. „Beatus vir (ita fe habet), qui diligit nomen „tuum, MARIA Virgo! gratia tua animam eius confirmabit, tanquam aqua„rum fontibus irrigatum uber; in eo fructum iustitiae propagabis, benedicta „tu inter mulieres!" etc. (80) Neque alia ratione in omnibus et fingulis pfalmis MARIAE laudes BONAVENTURA celebravit, homo ceteroquin doctus et probus. Tandem, ut alios omittamus, inter fcholasticos magnum nomen magnamque acquifivit auctoritatem TH. AQUINAS, *Italus*. Multos edidit libros et commentarios, in quibus potisfimum fecutus est AUGUSTINUM ita, ut ab eius placitis ne latum quidem unquem difcedere aufus fit. In eo autem laudari meretur, quod, quanquam etiam allegoricis et mysticis indulgeret fomniis (81)

Digitized by Google

prudenter tamen verſatus est in legendis atque excerpendis Patrum ſcriptis. Exſtat in THOMAE Operibus *catena aurea in quatuor Euangelistas*, latina quidem lingua, at ex graecis ſimul et latinis patrum ſcriptis condita. Interpretis autem boni et nomine et laude prorſus est indignus. (82) Ceterum de hisce Theologis ſcholasticis et mysticis ſive biblicis obſervandum est, eos inter ſe fuisſe admodum disſimiles ſtudio et voluntate, eorumque iras et discordias nullo unquam pacto placandas. Omnes mystici in ſcriptis ſuis contenderunt contra ſcholasticos, neque ullis pepercerunt laboribus, quibus ſtudium allegoricum et colerent et commendarent, et ad perverſas de pietate christiana componerent opiniones. Magna quum pollerent auctoritate, exſtitit, ut verbis utar V. Cl. H. C. A. EICHSTADT *in praefatione*, praemisſa *Mori ſuper herm. N. T. acroas. Acad. pag.* 17, „non allegorice interpretandi conatus, ſed peritia detorquendi „ſenſus, non libido, ſed furor; contextus ſcriptorum, conſilii, ingenii, ſcribendi ge„neris nulla usquam obſervatio; regularum hermeneuticarum impudentisſima neglectio." Exſtat (ut hoc addam) ridiculum huius rei exemplum ad finem ſec. XII, ab INNOCENTIO III. P. R. ad *Gen.* I: *vs.* 15, 16 prolatum, ubi per *duo luminaria magna Papam* et *Imperatorem Romanum* intelligit; *lumen maximum Papa Romanus* est, *lumen autem minoris magnitudinis Imperatorem* indicat. (83) Quam tristia haec fuere tempora! quam fuit perverſa tum interpretandi ratio!!

(78) De P. LOMBARDO vid. ROSENMULL. l. l. *p.* IV. *pag.* 248 nec non MEYER l. l. *tom.* I. *pag.* 181. (79) De ALBERTO M. vid. ROSENMULL. *l. l. p.* IV *pag.* 249. (80) *tom.* II. *pag.* 306. *Edit. Venet.* (81) Eum quoque ſtudio allegorico fuisſe deditum, docet testimonium MEYERI: „wenn THOMAS von Aquinum, (inquit) beim Hiob ſich mehr mit einer homiliënartigen entwickelung „des wortſinns begnugt: ſo zeigt ſich ſein grosſer hang zur Mystik, die alles auf CHRISTUS und „auf die Kirche zu beziehen ſucht in ſeinen Erklärung der Pſalmen, des Hohenliedes und des IESAI„AS, augenſcheinlich" *l. l. p.* I. *pag.* 102. (82) Sic repetit per multa ſecula receptam ſententiam de quadruplici ſenſu et plures alias vett. opiniones, antea a nobis expoſitas. (83) Vid. *Decret. Gregorii lib.* I. *titul.* 28 *de Maiestate cap.* VI. ref. A. YPEIJ *V. Cl. lib. p.* V. *pag.* 306 *et* 307 *in nota.*

§ 35.

A ſeculo autem inde XIV usque ad LUTHERUM viri excellentiores paulatim exſtiterunt, qui et interpretationi novam melioremque formam dare conati ſint. Habemus enim NICOLAUM DE LYRA, PETRARCHAM, PAULUM BURGENSEM aliosque, qui quanquam pro istius aevi more ab allegoricis argutiis ve-

Digitized by Google

nandis haud omnino alieni essent, tamen iis non aeque ac alii indulserunt; imo literali s. L. sensui diligentissimam navarunt operam. Praesertim LYRANUM et PAULUM BURGENSEM hoc fecisse vel ex testimonio *Cl.* MORI *super herm. N. T. acroas. vol.* II. *pag.* 277 patet: „LYRANUM eo laudat LUTHERUS, quod ubique diligenter retinet et persequitur historiam, quanquam „auctoritate Patrum se vinci patitur, nonnunquam eorum exemplo deflectens „a proprietate ad ineptas allegorias." (84) Unde maximo iure olim tritum fuit illud proverbium: „*si Lyra non lyrasset, Lutherus non saltasset.*" Ceterum quoque inter optimos huius aevi interpretes commemorandi sunt DORINGKUS, TOSTATUS, GERSON aliique, qui et omnes suas tentarunt vires, ut depravationes inde a primordiis Christianismi in studio Exeges. s. ortas corrigerent et perversum *illud studium* deprimerent. Quorum tamen omnium conatus illud plane delere haud valuerunt, donec tandem a LAUR. VALLA, REUCHLINO et ERASMO instauratae sunt literae. LAURENTIUS enim VALLA vir erat ingenii acumine ac doctrinarum scientia praestantissimus, qui quod dein a nobilissimo REUCHLINO ad perfectiorem statum est perductum, felici cum eventu inchoavit multumque contulit ad eliminandum studium allegoricum.

Ultimus isque praestantissimus huius periodi Exegeticus fuit ERASMUS, vir incomparabilis, non Graece tantum et Hebraïce admodum doctus, verum etiam acutissimo praeditus ingenio, verae interpretandi rationis, diu in tenebris sepultae, demum instaurator. Reiectis enim explicationibus illis mysticis allegoricis unice e s. T. genuinum sensum eruebat. Causa enim, cur Apostoli nonnunquam allegorica ratione C. S. explicarent, quum, ex ERASMI sententia, sit sublata, tollitur etiam omnis sensus mysticus et allegoricus. (85) Summis igitur laudibus ERASMUM efferamus pia maiorum flagitat memoria. Neque enim unquam praeterita viderunt tempora religionis christianae doctorem, ERASMO excellentiorem. Instaurandarum literarum et suasor fuit et vere auctor, ex omnibus unus N. T. librorum vere interpres, studiique in illos explicandos allegorici vere expulsor, nemini secundus. Atque sic hac periodo exeunte studium allegoricum fere evanuit, licet nonnulli monachi acriter illud defenderint.

(84) De hisce viris videri possunt A. YPEIJ *V. Cl. l. l p.* V. *pag.* 307. *seqq.* ROSENMULL. *tom.* V. *pag.* 379. *seqq.* MEYER *l. l. tom.* V. *pag.* 132. *seqq.* et (qui verbo de iis monuit) SEILER *Bybels. Uitlegkunde in Prol. pag.* 7. (85) Iuxta ERASMI opinionem non alio consilio PAULUS allegorias secutus est, quam ut eo facilius legem Mosaïcam eiusque auctoritatem posset abrogare. Vid. eius *Epist. lib.* VI. *ep.* 4. *p.* 348 et 301 ubi haec pronunciavit: *mihi videtur plus profici civili modestia quam impetu. Sic* CHRISTUS *orbem in suam ditionem perduxit. Sic* PAULUS *iudaicam legem abrogavit, omnia trahens ad allegoriam.*

Digitized by Google

PERIODUS QUARTA.

Historia Allegoricae Interpretationis a LUTHERO, *five a feculo decimo fexto ad nostra tempora.*

§ 36.

Tranfeamus nunc ad beata illa Exegefeos tempora, quibus non tantum nostra Ecclefia inftaurata est; verum etiam Allegoriarum ftudium magis magisque in defuetudinem abiit, five (ut cum ERNESTIO loquar) ad feculum LUTHERI. Doctisfimus hicce vir multas easque optimas nobis reliquit hermeneutices regulas, infenfisfimusque allegoricae Interpretationis fuit hostis, quod vel ex uno hoc exemplo patet: „Allegoria (inquit) est tamquam meretrix formófa, quae ita „blanditur hominibus, ut non posfit non amari, praefertim ab hominibus otiofis, „qui funt extra tentationem; fi quis tamen iis uti velit, videat, ut cum indi„cio illas tractet." (86ª) Ex quibus autem verbis quodammodo coniicere posfumus, LUTHERUM ftudium allegoriarum, fumma tamen cum prudentia excolendum, non plane repudiasfe. Neque aliter fenfit amalibus ille MELANCHTHON, utpote qui fimpliciorem etiam interpretationem fecutus, monuit, *non necesfe esfe, omnia, uti veteres fecere, ad Allegorias transformare et ad Christum referre* (86b) Idem hoc obfervandum est de ZWINGLIO, (87) OECOLAMPADIO et PELLICANO, qui et optime meriti funt de explicationibus grammaticis, ita ut, fi aliquando Allegoriis ufi fint, id nunquam fecerint, nifi prius fenfu grammatico explicato.

Porro inter optimos interpretes etiam referendus est MATTHIAS FLACIUS, qui eruditionis monumentum reliquit in libro fuo *Clavis f. fcript.* in quo multas easque bonas reperimus f. f. interpretationis regulas. At vel fic tamen fuis laboribus parum interpretationis ftudio profuit. Ipfius enim fectatores folummodo quum nimis firme ad literam adhaerescerent, regulas illas faepe multis modis perverfe adhibuerunt. Quid vero deinde? Ecclefiae christianae inftauratorum aliorumque erectioris ingenii, qui illos fubfecuti funt, f. f. interpretum methodus magis magis-

Digitized by Google

que denuo depravata est et corrupta, occasione litium cum Romano-catholicis Socinianis et Remonstrantibus. Hoc enim tempore tota f. f. interpretatio secundum *fidei analogiam* (quam tunc commendabant,) instituta erat, ita certe ut cum illa convenire videretur. (88) Quo effectum est, ut plerique agnoverint duplicem C. S. sensum, *proprium* et *inproprium*, h. e. *literalem* et *spiritualem*, qua in re opera HUNNII et BALDUINI commemorare sufficiat! (89)

(86ᵃ) Conf. VOGET V. Cl. *orat. de stud. Theol. alleg. solide et sobrie instituendo pag.* 43 *et* 44. (86ᵇ) De eius interpretandi rat. vid. MEYER l. l. *part.* II. *pag.* 378. (87) „Selbst seine Allegorie-„en und Typen," (inquit MEYERUS *l. l. part.* II. *p g.* 405) „die er bey mehreren gelegenheiten mit „sorgfalt bemerkt, sind allein als eine zugabe der vorhergegangenen Grammatisch-Historischen ausle-„gung zu betrachten, welcher er dadurch auf keine weise eintrag thut." (88) Vid. A. YPEIJ *V. Cl. l. l. deel* V. *pag.* 310. (89) HUNNII exstat *Thesaurus Apost. et thesaurus Euangelii et* BALDUINI *commentarius in omnes* PAULI *epistolas.*

§ 37.

Quanquam igitur sic multi fuerint, qui iterum quodammodo perverso huic studio operam navarint, nihilo tamen minus et alii fuerunt, qui pro suo tempore multum lucis interpretationis C. S. studio attulerint, uti I. BUGENHAGEN, CAMERARIUS, ac STRIGELIUS, quorum tamen nomina modo commemorasse sufficiat. Ceteri vero omnes, qui hoc tempore floruerunt, sensum quidem literalem e C. S. eruebant, verum, ad AUGUSTINI exemplum, eum duplicarunt imo et saepe triplicem statuerunt, et sic totum interpretationis studium scholastica ratione instituerunt. (90) Postquam vero WOLFGANGUS FRANCIUS ac I. C. DANHAUWER se huic tradiderint studio, status interpretationis C. S. apud Lutheranos immutatus est, adiuvante inprimis Interpretationis methodo aliorum, qui aliis addicti essent Religionis societatibus. (91) Idque praesertim fuit conspicuum, postquam in lucem edidisset opus illud praestantissimum S. GLASSIUS, qui FLACII exemplum longe alio modo quam antea secutus, eum longe superavit, eiusque methodum in meliorem redegit formam. Apparet hoc ex operibus eius sectatorum quam luculentissime; v. c. ex libro utilissimo ERASMI SCHMID, cuius est titulus: *Opus sacrum posthumum, quo continentur versio N. T. nova ad Graecam veritatem emendata et notae atque animadversiones in eandem* A°. 1658. Ex quo libro perspicuum est, quam magni fuerint in interpretationis studio

Digitized by Google

Lutheranorum hoc tempore post lucem a GLASSIO accensam; progressus.

(90) Vid. A. YPEIJ V. Cl. *l. l. deel* V. *bl.* 312 et 313. (91) Non enim neganda sunt hanc in rem merita religionis societatum *Socinianarum Arminianarumque.* Licet enim illa ab aliis negata sint propter vehementissimum odium, quod hoc tempore diversas inter Religionis sectas regnabat, tamen ea non pauca fuisse, statuere non dubitamus. *Sociniani* enim semper illud proverbium, *Simplex veri sigillum*, in interpretando secuti sunt; nihilo tamen minus haec ipsa eorum methodus ausam dedit multis Lutheranis ac Reformatis sensum sublimiorem e f. f. eruendi, non alio consilio, quam ut sic oppositam ingrederentur viam. *Arminiani* autem quoque hac in re laude digni sunt; hi enim, secuti exemplum Illustrissimi atque eruditissimi H. GROTII, sensum literalem ac proprium semper investigare conati sunt: nihil vero haec omnia efficere potuerunt, propter diverse sentientium, uti iam diximus, vehementissimum odium.

§ 38.

Primis Reformationis temporibus studium hoc Allegoriarum non tantum a *Lutheranis*, verum etiam a sic dictis *Reformatis* maximopere coërcitum est. Hic enim invenimus PHILIPPUM MARNIXIUM, PISCATOREM, PARAEUM, multosque alios, de quibus omnibus dicendum est, eos, quomodocunque id pro huius temporis ratione fieri poterat, sensum literalem investigasse: (92) quod et inprimis fecit magnus ille Reformator CALVINUS, qui multis in locis huius studii perversitatem ostendit, et si interdum (quod tamen raro fecit) Allegoricas daret explicationes, tunc certe statuendum est, eum non alium sensum invenire *potuisse.* Licet igitur hi omnes studio interpretationis C. S. omnem operam dederint, imo multa hanc in rem acquisiverint merita, nemo tamen eorum tantum in eo sibi claritatis nomen comparavit, quantum H. GROTIUS, qui non nisi grammatice sensum C. S. exponeret, omnibus reiectis mysticis et allegoricis explicationibus. Neque tamen id suo tempore effecit, quod merito ab eius laboribus exspectandum erat. ARMINII enim cum esset sectator, ipsius auctoritas apud Contraremonstrantes nihil valebat; imo hi potius rursus sensum spiritualem sectati sunt, ut eo melius aliter sentientium doctrinam fidei oppugnare et opprimere possent. Quanquam igitur sensus literalis in hoc illove loco planus et perspicuus esset, illum tamen eruere obstinate *noluerunt*, quamvis *potuerint*, et generalis tunc temporis apud eos recepta fuit regula (dein etiam maxime a COCCEIO commendata) *ubi datur interpretatio*

Digitized by Google

secundum analogiam fidei et orationis, non quaerenda est alia. (93) Postea vero circa dimidium. sec. XVII cum lites Arminianorum et Socinianorum non tam acriter agerentur quam antea, et Contraremonstrantes pedetentim methodum interpretandi liberaliorem secuti essent, studium Allegoriarum, paucis exceptis, (94) magis magisque in abusum venit. Evolvamus modo libellum, (95) quem A°. 1651 edidit vir P. R. I. MARTINUS, ecclesiastes *Groninganus*, qui in illo totidem verbis dicit: „Allegoriis si frena laxes, vix audiet currus habenas, „cuius rei utinam solum Pontificium vel Anabaptisticum etiam spiritum testem „producere possem, nec exstarent hodie in Ecclesiis non ita pridem florentissimis exempla."

(92) Qui fusius horum virorum interpretandi methodum scire cupit, adeat I. A. ERNESTI *opusc. Theol. p.* 469 *seqq.* (93) Vid. A. YPEIJ V. Cl. l. l. *deel* VIII. *bl.* 302. (94) Sic exstat opus quoddam Angli TH. TAYLORI, CHRISTUS *revelatus etc. A°.* 1635, in quo etiam multa ex illo studio prodita sunt. (95) *Praxeos populariter concionandi rudimenta*, *pag.* 105.

§. 59.

Quod attinet ad s. s. literarum interpretandarum studium, quod Romano-catholici coluerunt, post instauratae ecclesiae initia; hi, postquam LUTHERUS eiusque asseclae hoc gravissimum opus aggressi essent, omni opere id egerunt, ut e Cod. s. argumenta depromerent, quibus praecipua suae Ecclesiae dogmata stabilire et defendere possent, atque sic multo maiorem quam antea huic studio operam navarunt; unde non mirum est, etiam nonnullos inter eos fuisse viros, qui boni interpretes habiti sunt et fuerunt. Ita primus hic nobis occurrit LE FÉVRE D'ESTAPLES, qui cum ERASMO fere comparari possit. Multas ipse easque bonas nobis reliquit expositiones; quibus tamen nonnunquam Allegorias admiscuerit. Huic geminus est CAIETANUS, qui suas *explicationes Geneseos* edidit, in quibus ad *cap.* III: *vs.* 15 haec adnotavit: „Non de muliere, sed de semine eius dicitur quod conteret caput Diaboli, et potest sententia haec referri ad *genus electorum*, quia electus quoque conterit caput „Diaboli" (96) etc. Ceteroquin vero interpres fuit probabilis. Denique hac in re AMBROSIUS CATHARINUS, DOMINICUS SOTO, ICH. ARBOREUS, T. TIELMANNUS, ISIDOR. CLARIUS aliique non suis caruerunt laudibus, quanquam et hi etiam iterum magis magisque ad Allegoricam interpretationem

Digitized by Google

delapsi sunt; quae omnia fusius exposita legi possunt in libro saepius laudato MEYERI, *Geschichte etc. t.* XI. *p.* 548 ad finem. Ceterum de allegorice interpretandae s. s. ratione Pontificiorum conferri meretur eruditissimus B. DE MOOR, Comm. in *Marckii* Comp. p. I. C. 2. § 37 seqq. Ubi et multa Allegoriarum specimina adducuntur, et inter alia distichon quoddam in medium profertur; quo quodruplicem scripturae sensum Pontificii includere solent.

Litera gesta docet, quid credas Allegoria;
Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.

(96) Locus hic etiam a multis ita expositus est, ut significet *B. Virginem Mariam* τὴν θεοτόκον; vulgata enim versio latina habet: „*ipsa* conteret caput serpentis." Imo hanc ob causam ipsum textum Hebraicum depravarunt in Bib. Polyg. Antverpiae 1572, et pro הוא substituerunt היא.

§ 40.

Ad ecclesiae reformatae doctores attendamus, inquisituri, quamnam in s. s. interpretandis viam secuti sint, seculo decimo septimo. Multos fuisse interpretes egregios, testatur historia. Hos inter eminuerunt theologi nostrates illi, qui ex mandato ordinum foederati Belgii tam exactam Bibliorem versionem Belgicam concinnarunt, interpretatione, ad marginem adiecta, illustratam. Verum et multi fuerunt, qui nihil non laboris impenderint in sensum s. s. grammaticum investigandum, non vero exponendum. Vocabulis nimirum formulisque inhaerentes, in his explicandis quum omnem industriam suam et cogitationem figerent, res ipsas, quae iis contentae essent, rite exponendas, rerumque sensum s. s. realem explanandum nequaquam curarunt. In alterum igitur extremitatem, allegorice interpretandi studio e diametro oppositam, quum hi delapsi essent, exstitit post seculi dimidium IOHANNES COCCEIUS, theologus excellentissimus, novam et inusitatam interpretandi viam aperiens. Sermonis Graeci praesertim vero Hebraei peritus, omnibusque, quae bonum ornent interpretem, dotibus instructus, summo consilio et nisu iis repugnavit interpretibus, qui, de vocabulis ponderandis tantummodo solliciti, quanta rerum momenta iis inessent, ignorabant, multoque sudore laboravit, ut ex sacris literis ea derivaret, quibus rerum divinarum intelligentia comparari posset et amplificari. Hinc theologia exegetica novam accepit formam, neque tamen ab

Digitized by Google

omni parte meliorem. Non ſtudium modo allegoricum in integrum reſtituit; verum et ubivis in veteris Testamenti codice typos perſonarum rerumque futurarum anxie quaeſivit, et univerſum codicem illum ſpeculum esſe docuit, in quo facies eccleſiae christianae prophetice exhibeatur.

Quod ad ipſius allegoricam interpretandi methodum attinet; haec quodammodo comparari potest cum illa, quae ab ORIGENE excogitata fuit dicam, an exornata? Secuti certe ſunt eius ſectatores, COCCEIANI, patres IUSTINUM MARTYREM, CLEMENTEM A. ALEXANDRINUM, praeſertim vero ORIGENEM aliosque. (97) Cum enim ſtudium theologiae ob omni ſubtilitate ſcholastica perpurgare ſibi conſtituisſet COCCEIUS, nihil ad hunc finem obtinendum ipſi viſum est accommodatius, quam veterem interpretationem allegoricam, quae illo tempore negligebatur, inſtaurare et theologis maximopere commendare. Optimo tamen id egit conſilio, quippe quod non aliud fuit, quam ut theologiam ſcholasticam ac philoſophiam Aristotelicam, in ſcholas tum denuo inductam, labefactaret et fugaret. Hanc ob cauſam novum interpretandi ſystema excogitavit, ad hanc regulam elaboratum: „*omnia verba id ſignificant quod ſignificare posſint in integra oratione, ita ut omnino inter ſe conveniant.* (98) Cum autem omnia ad hanc regulam ſ. ſ. loca accommodarent COCCEIANI, accidit, ut dum Charybdim vitare ſtuderent, in Scyllam inciderent, omnia explicantes ſubtilisſima et allegoriea ratione. Sic v. c. *historiam creationis* deſignare rerum, per *omnes Eccleſiae periodos*, futurarum enarrationem, multis explicationibus abſurdisſimis planum facere tentarunt. Eodem modo *Cant. Cant.* expoſuerunt, utpote quod, ex eorum interpretatione, eminentem effigiem ac formam adumbraverit Iudaeorum et Christianorum conciliationis, ut et CHRISTI et eccleſiae coniunctionis. *Semen ſanctum Pontificis maximi*, de quo fit mentio *Levit.* XXI: *vs.* 15," *vera est Christi eccleſia, ipſe Pontifex Maximus Christus est; male ac benedicta*, quae leguntur *Gen.* IX: *vs.* 25—29, reſpiciunt ad *historiam Eccleſiae Christianae.* Neque alio modo innumeras plures V. T. narrationes tranſtulerunt COCCEIANI ad N. T. quam vocant, Oeconomiam. Ita porro exſtat allegorica ipſius COCCEII explicatio *Gen.* XLIX: *vs.* 11 et 52 quae fere non aliter comparata est, quam illa, iam a veteribus doctoribus Christianis in medium prolata. (98[b]) Evolvenda porro ſunt opera VITRINGAE (patris), ANTONIDIS, et DRIESSENII. Exemplo ſit miraculum, commemoratum *Ioh.* V: *vs.* 5—16, quod DRIESSENIUS interpretari ita non dubitavit, ut per

Digitized by Google

aquam intelligenda sit *Servatoris gratia*, per *angelum* intelligendi sint *sacerdotes*, per *aegrotum populus Israëliticus*. (99) Tota etiam *Ioh. epist. prima*, secundum eiusdem opinionem, continet mysteria de *Ecclesia Pontificia et Reformata*. Absurdissimum sanequam, quod omnes vel mediocriter eruditi adspernentur, est exemplum huius rei, editum ab ANTONIDE ad locum *Luc.* V: *vs.* 1—10 ubi per *mare gentilismum*, per *pisces homines mundanos*, per *piscatores Apostolos*, per *rete Euangelium* significatum esse censet. (100) Quod ad VITRINGAM attinet, ceteroquin sui temporis theologorum principem; hic, quod mirandum est, omni studio allegorico adeo erat deditus, ut per *duos* illos *Daemoniacos Matth.* XIII: *vs.* 28 adumbratum fuisse prophetice dixerit *Diocletianum* et *Maximinianum Herculeum*, per quos horrendum in modum Diabolus adversus Ecclesiam saevierit. (101) Quaenam vero eius ingenium de historia creationis protulerit, dein videbimus.

(97) Vid. A. YPEIJ V. Cl. *l. l. d.* VIII. *bl.* 387. *seqq.* (98) Vid. *Praef.* COCCEII, *praem. comment. in Ep. ad Rom.* § 35. (98[b]) Modus, quo COCCEIUS huncce locum explicavit, videri potest in Lib. PETRI HOFSTEDII, *Byzonderheden over de H. S.* I *d. bl.* 15. *seqq.* Conf. porro I. BOTSACCII *Promptuarum Allegor.* C. IX *all.* 685 et 810. (99) Conf. opus eius: *Over alle wonderwerken van* IESUS *bl.* 107-114. (100) Vid eius *explic. de I. C. miraculis pag.* 56—58. (101) Vid. opus belg. *over de wonderwerken van* IESUS.

§ 41.

Neque tamen omnes eodem modo COCCEIANI hac in re versati sunt, alii enim hunc, alii alium e s. s. eruebant sensum allegoricum, ex quibus apparet, quam infirmis superstructum sit hoc studium fundamentis. In hoc tamen omnes, opinione pares, conveniebant, ut maxime illud iis placeret;

„Sic perge ex umbris orientem evolvere solem,
„Quo magis in medio splendeat ille dies"

quod exclamare non dubitavit A. HEIDANUS in carmine, adiuncto operi BURMANNI: *de wet ende de getuigenis, ofte uitleggingen en betrachtingen van de verborgenheden der wet ofte der boeken Mozes.* Audiamus etiam VOGETUM V. Cl. in orat. s. laud. „percurrite animo, *inquit*, celeriter a Paradiso „ad Pathmon, quae divinitus in literas relata sunt, nonne allatis ex classe re„rum coelestium et terrestrium symbolis, credenda, facienda, speranda, per tro-

Digitized by Google

„pos, similitudines, imagines, quasi pinguntur et illuminantur?" Atque sic qualecumque dictum sive poëticum, sive propheticum, sive historicum, aliquid contineri opinabantur, quod spiritum dixerint, a litera longe diversum. Quid enim? nonne prorsus neglecto sensu grammatico et historico, omnia fere in C. S. secundum eorum sententiam, adeo sunt sublimia, ut interpretari ea possit nemo, nisi qui in sacris allegoricis probe versatus sit interpres? Ab altera vero parte fuerunt nonnulli, qui meliora viderint eaque probarint. Testor opera eruditissimi H. WITSII et A. SCHULTENSII: quanta scholae COCCEIANAE ornamenta! Hi enim duumviri excellentissimi methodum COCCEII pedetentim reiecerunt, et suam quisque ingressi sunt viam, quod inprimis de SCHULTENSIO valet, qui in operibus suis haud parum contulit ad rectam C. S. interpretationem. (102)

(102) Vid. A. YPEIJ V. Cl. *l. l.* VIII *deel bl.* 405 ubi etiam catalogus reperitur scriptorum, qui COCCEII partibus fuerunt addicti, nec non SEILERUS; *Byb. Uitlegk.* Proleg *pag.* 11 et 12.

§ 42.

COCCEIANIS qui oppositi erant, VOETIANI longe alio modo hac in re versati sunt; (103) hi enim Anglorum exemplum secuti, reperiebant quidem nonnunquam sub C. S. sensu literali typos et allegorias, sed tum praesertim, cum vere literalem sensum invenire haud *possent*. Quanquam enim VOETII sectatores gloriarentur, se exemplum GROTII sequi velle, tantum tamen abest, si rem rite spectemus, ut hoc fecerint, ut cum quis se ad tanti viri exemplum imitatione exprimendum contulisset, mox ille *Arminianorum* familiae accenseretur. Quo melius refutare possent eorum sententias, eo magis ex verbis C. S. simplicibus eruebant sensum mysticum et spiritualem. Omnia in s. s. narrata, dogmata, vaticinia, historias etc. ingeniose accommodabant ad hominis statum moralem, sive conditionem, ad quam per peccatum delapsus sit, divinitus emendandam, ita ut qui CHRISTO credit in statum pristinum restituatur atque amissam Dei gratiam recuperet. (104) Duplicem praesertim investigabant sensum, *corporalem* nempe et *spiritualem*. Exempli loco afferri potest Commentarius in *Cant. Cant.* ab *Hellenbroeckio*, Ecclesiaste *Roterodamo*, editus A°. 1718, in quo totum fere illum librum explicat sensu spirituali, omnia referens ad coniunctionem CHRISTI cum Ecclesia. Tantopere hoc studium

Digitized by Google

is placuit; ut nemo illud *Cant. Cant.* alia ratione explicare auderet nisi Allegorica. (105)

(103) Methodus VOETIANORUM quodammodo comparari potest cum illa AUGUSTINI. (104) Exemplo sint quae annotavit HELLENBROECKIUS ad *Ioh.* V: *vs.* 2—9 in lib. *Byb. Keurstoffen* I^ste^ *deel bl.* 746—747. (105) Ex c. lites, hanc ob caussam ortae NICOLAUM BARCHEY inter et HOFSTEDIUM, quae enarrantur ab A. YPEIJ V. Cl. *l. l. d.* VII. *bl.* 428—430.

§. 43.

Inter *Lutheranos* cum pedetentim a viris excellentioribus supra memoratis melior quodammodo interpretandi ratio instituta esset, iterum, post dimidium seculi decimi septimi, ad perversum illud studium eorum multi redierunt. Hoc enim tempore orti sunt *Pietistae*, sive sectatores P. I. SPENERI, cuius interpretandi ratio admodum erat peculiaris. Non enim directe Allegorias sectatus est, sed dogmata ac placita sua probare conatus est e multis locutionibus Biblicis, quae aptae satis et minus aptae essent, nulla discriminis ratione habita. Atque sic multa S. S. loca accommodavit ad dogmata, ad quae, si rite explicarentur, nullo modo accommodari potuissent. Postquam vero illorum methodus reprobata esset et refutata a VALENTINO ERNESTO LÖSCHERO et MARTINO CHLADENO, eam illi mox meliorem in formam redegerunt, quod et inprimis factum est ab A. H. FRANKE et I. I. RAMBACHIO, qui in *Institutionibus hermeneut. S.* praeclare hac de re egit et mediocriter in illo studio versatus est. (106) Dein vero cum Philosophia WOLFIANA usu esset recepta, hermeneutica S. ad illam accommodata est, uti ex scriptis C. WOLLE, S. I. BAUMGARTEN, HOFMANNI aliorumque patet. Allegorica autem interpretatio, iuxta Philosophiae huius aevi placita, non ita fuit instituta, ac illa, quae prioribus seculis usitata et ad veterum philosophorum disciplinam erat composita. Prudenter tamen in ea versati sunt WOLFIANI S. C. interpretes. Sic et ille, quem commemoravimus, HOFMANNUS in perpaucis adhuc S. S. locis sensum reperiit Allegoricum. Tandem vero hoc studium plane in desuetudinem abiit, praeeuntibus viris eruditissimis MOSHEMIO, MICHAËLE, ERNESTIO aliisque, quorum duo priores maxime secuti sunt interpretes Anglicanos, qui, quo melius Deistarum sententias refutarent, eo paratius toti Allegoricae interpretationi valedicebant ac lumen verae interpretationi accendebant. ERNE-

Digitized by Google

TIUS vero superavit omnes. Eruditissimus ille vir vitia adhuc in C. S. interpretatione residua emendavit, ac praestantissimas nobis reliquit hermeneutices regulas in lib. notissimo: *de Institutione Interpr. N. T.* in quo uti et in aliis luculentissime nobis ostendit aversionem a veteri methodo allegorica. Eum et multi alii secuti sunt, quos tamen commemorare non ad nostrum pertinet institutum, cum solum agendum sit de iis, qui Allegorice interpretati sunt.

(106) De *Piëtistis* vid. MEYER l. l. *d.* IV. *f.* 4 et *seqq.* nec non A. YPEIJ V. Cl. *l. l. d.* V. *bl.* 318 *seqq.*

§ 44.

Postquam autem insanum illud studium Allegorias sectandi in abusum a praestantissimis illis supra memoratis viris redactum esset, iterum sub fine sec. XVIII caput suum licet alio modo erexit, praeeunte nempe acutissimo illo philosopho KANTIO in lib. *die Religion innerhalb der grenzen der blossen Vernunft*, *Francf.* 1793, qui ut sanctiorem Religionis doctrinam cum suis placitis in concordiam redigeret, eandem interpretandi rationem, quam Vet. ecclesiae doctores ac COCCEIANI secuti erant, denuo introducere aliquatenus conatus est. *Sensum nempe moralem e sacris literis eruendum esse*, contendit, nulla saepe habita vel verborum notionis vel auctoris consilii ratione; sensum quippe monens perspicuum ita exponendum esse, ut praecepta inde deduci possint moralia, principiis philosophicis consentanea. Haec quidem interpretandi methodus non ab omni parte similis erat veteri illi exponendi modo; nam KANTIUS primus erat, qui sensum, cum certis rationis nostrae de vera religione notionibus ac decretis congruum et ad emendandos hominum animos accommodatum, in s. Litt. investigare tentaverit; idque omnibus in casibus, si modo is aliqua ratione ex auctorum sacrorum dictionibus elici aut certe iis adnecti atque adeo per se admitti ac tolerari posset. Talis vero methodus nec ab ORIGENE neque ab alio ante KANTII aetatem introducta fuit. Sed allegorice interpretandi methodum, a WOOLSTONO commendatum, revocavit KANTIUS, qui ut moralem hunc sensum dictis tribuat, sublimiorem quendam et puriorem effatorum divinorum sensum finxit, a sensu proprio et grammatico prorsus alienum. Neque dicendum est KANTIUM

Digitized by Google

certa rationis decreta fecutum fuisse, interpretes autem antiquiores pro arbitrio fuo tantum occupatos fuisse. KANTIUS enim nullibi huic rei limites pofuit, fed omnia mero arbitrio fectatorum reliquit. (107) In libro fuo iam allato probare conatur, fidem Christianam, cuius omne est fundamentum fitum in libris f. ita explicandam esfe, ut femper conveniat cum regulis practicis Religionis et cum integrae rationis effatis. Quod fi vero huiusmodi interpretatio faepe contorta videatur, et vero etiam fit, femper tamen, ex ipfius fententia, praeferri debet interpretationi verborum literali, quando videlicet haec interpretatio nihil continet, quod utilitatis quid adferat moralitati. Verba femper reddere debent fenfum, integrum excelfum ac moralem, quanquam nullo modo conveniant cum fenfu proprio, qui e verbis eruatur. (108) Talis autem cum esfet acutisfimi huius philofophi interpretandi methodus, cuique facile perfpicuum est, quam multa C. S. loca ab eo male explicata et allegorice fint expofita. Sacra enim fcript. fic redditur quafi masfa cerea, quae ab alio in hanc ab alio iterum in illam formam redigatur, cuius rei exempla in altera huius quaestionis parte proferenda funt. (109)

(107) Vid. Orat. Cl. VAN VOORST *de fcriptor. vet. Christ. ftudio prudenter excolendo*; *Lugd. Bat.* 1799. *pag.* 18 in nota. Ipfum quidem moralis interpretationis nomen non novum est; FACUNDUS enim iam fec. VI pluribus locis allegorice interpretandi rationem, quam est fecutus ORIGENES, ita nuncupavit; monente ERNESTIO Opusc. Theol. *pag.* 500. (108) Vid. praefertim Op. laud. *pag.* 149. (109) Paucae animadverfiones de methodo Kantiana reperiuntur in lib. *de Nieuwe Vaderl. Biblioth. van* 1798. *tom.* II. *p.* 2. *pag.* 577 *feqq.* vid porro I. G. ROSENMULL. *Abh. uber eenige aeusferungen des Proff.* KANTS, *die ausl. der Bibel betreff.* in lib. eius: *Eenige bemerk. das Stud. des Theol. betreff. pag.* 135. ref. A. YPEIJ V. Cl. *l. l. deel* III. *bl.* 392.

§ 45.

Interea vero quum nactus esfet KANTIUS non folum adverfarios, verum etiam fectatores quam plurimos eosque ftrenuos interpretationis allegoricae, quam commendaret, defenfores, mox inter Philofophos non tantum, fed etiam inter Theologos, praefertim in *Germania*, apud *Lutheranos*, multi funt reperti, qui omni ope id agerent, ut C. S. explicarent fecundum regulas practicas religionis rationisque, atque ita haud pauca Religionis nostrae dogmata, nullo modo cum eorum principiis convenientia, exftirparent. Quos inter exftitit in Germania philofophus FICHTIUS V. Cl. in *Acad. Ienenfi* Prof. ord.

Digitized by Google

primum summus KANTII admirator eique adstipulator, dein vero ipsi adversarius, auctor factus est novae sectae Philosophicae, et pro *Pantheismi* errore maxime propugnare conatus est. Quum enim *argumentum illud* KANTII pro Dei exsistentia evidentius efficere vellet, cum panthëistarum sententiis ita suas de Deo coniunxit notiones, ut Deum considerari velit Ens infinitum, quod in omnibus rebus sit diffusum, omniaque ordine perfectissimo disponat ad fines optimos eosque tantummodo morales obtinendos; imo tandem eo temeritatis progressus est, ut ipsum illum *ordinem* perfectissimum, ad quem omnia disponantur, *Deum* dixerit viventem et operantem. Atque hanc ideam absurdissimam ex multis s. s. locis, morali et quasi allegorico modo explicatis, probare conatus est. Ceterum systema eius philosophicum tenebris est obductum, ac multum detrimenti religioni Christianae attulit. Non solus enim ipse, verum etiam ipsius sectatores totam IESU doctrinam coniungebant cum huius philosophiae placitis, ita quidem, ut ex eorum sententia, IESUS iisdem principiis usus sit ad doctrinam suam hominibus tradendam ac FICHTIUS. IESUS enim eo consilio in mundum venit, ut rationem e vinculis humanis liberaret, eamque subiiceret fideï normae. (110)

(110) Vid. A. YPEIJ *V. Cl. l. l. d.* III. *bl.* 416, et I. I. F. SCHMID: *Kort begrip der Christ. Kerkgeschied. vervolgd door* A. YPEIJ, 1816. *d.* II. *bl.* 224. *seqq.*

§ 46.

Quam plurimum etiam detrimenti Exegeseos studio attulit philosophia, haud ita pridem in Germania a SCHELLINGIO excogitata, *recentissimae philosophiae mystico-scholasticae* auctore; qui ulterius progressus, ex arctissimi, quod sibi finxit, poësin inter et philosophiam vinculi notione, nimiopere explanata, tam praeposteras de Deo opiniones deduxit, ut in hoc homine SPINOSAM denuo natum esse, dixeris. Huius enim philosophi sententia huc redit: In rerum universitate id omne, quod est, necessarium est, et absolutum et unum; nihil praeter hoc unum exsistit aut exsistere potuit unquam; in hoc uno arctissime copulata est cum Deo rerum universitas; quidquid igitur est, non a Deo est distinguendum; quidquid est, in Deo est, et est Deus. Atque sic omnis vera de Deo Ente supremo notio tollatur et deleatur, necesse est; neque res, quae fiunt et sunt, a Deo, creatore et rectore, distin-

Digitized by Google

quendae, sed necessariae sunt *modificationes* unius illius substantiae; quae absolute existat. Praeterea hac ratione omnis libertatis ac moralitatis notio sublata cernitur, et denique omnis, non in universum, sed speciatim consideratae, sive personalis immortalitatis humanae notio obscuratur et evanescit. Quamvis primo quidem intuitu nemini non perspectum satis sit, quid noxae istiusmodi systema philosophicum studio Theologico afferre potuerit, nihilo tamen minus a posteriore videmus, nonnullos in Germania fuisse theologiae cultores, qui religionis christianae dogmata ad SCHELLINGII exigere placita philosophica inceperint, eaque tot et tantis involvere mysteriis, ut ne doctis quidem hominibus, nedum indoctis expedienda sint. Addictum adeo se philosophiae SCHELLINGIANAE praestitit CAROLUS DAUBIUS in Libro, quem in lucem edidit A°. 1806, cum titulo *Theologumena, sive doctrinae de Rel. Christ. ex natura Dei perspecta repetendae capita potiora*, ut, et fidei dogmata et praecepta moralia, in sacris literis patefacta, quae suis placitis non conveniebant, mystico ac morali modo exponere satagens, ad allegorice interpretandi codicis s. studium tamquam sacram anchoram confugerit, omniaque inde derivaverit. (111)

Sic igitur ad nostram pervenimus memoriam. Plane quidem nondum hoc studium exstinctum esse vidimus, praesertim in Germania. In patria vero nostra omnes sciunt, huius studii culturam ab omnibus s. s. interpretibus doctis et ingenuis abiectam esse et pro nihilo haberi.

(111) Vid. SCHMID l. l. p. 2. pag. 246 et seqq.

Digitized by Google

PARS SECUNDA.

In qua Allegoricae S. Litt. Interpretationis perversi in Religionis Christianae doctrina explananda effectus ex Dogmatum historia ostenduntur.

SECTIO PRIMA.

Generaliores hac de re Animadversiones.

§ 34.

Multum nobis interesse, ut exquiramus, quam perversi fuerint in Religionis christianae doctrina explananda S. L. Allegorice interpretandarum studii effectus, quis est, qui non facile sentiat, si modo consideret, non tantum per illud depravatas esse parvi momenti historias ac narrationes, quae nihil faciant ad ipsam Christianae doctrinae nostrae essentiam, sed et historias, de quarum veritate tota pendeat disciplina nostra; praesertim si consideret, tam multa doctrinae capita a nonnullis vel male explicata, vel perversis aucta additamentis, vel denique spinosissimis argumentationibus obscurata esse et vero etiam tantum non deleta. Huius rei causa cumprimis quaerenda est in eo, quod Theologi rationis humanae, in scholis excultae, sive philosophiae, decretis abusi sunt ad res divinas tractandas, inde a seculo aerae christianae secundo, praesertim in ecclesia Graeca. Quum enim eo tempore bene multi homines docti, et eleganter dicendi genere illustres, Oratores, Philosophi aliique ad ecclesiam Christianam accessissent, eiusque doctores essent constituti, tum demum de placitis Religionis docte ac subtiliter disputari coeptum est. Inprimis autem istius aevi philosophi, qui Religionem Christianam amplectebantur, veram illam et genuinam sacrae doctrinae simplicitatem mox corrumpere coeperunt. Christiani quum essent non nati sed facti, philosophicam sentiendi rati-

Digitized by Google

onem ſuam non retinuerunt modo, verum etiam eandem illam aliis commendare et tradere non deſierunt. Neque tamen per philoſophiam corrumpi, ſed amabiliorem magisque venerabilem reddi religionem admixtis philoſophicis opinionibus, firmiter ſibi perſuadebant. Quid enim? Nonne hoc in more poſitum est ingenioque hominum, ut literarum ſtudia atque opiniones, quibus a prima aetate imbuti ſunt, magni ſemper aeſtiment, et iis haud facile renunciare queant? Hinc effectum est, ut quam plurimi philoſophi, relicta ſuperſtitione veteri, accederent quidem ad Christianam religionem, ſed nonnullas opiniones ſectae vel ſacrorum, quibus antea addicti erant, retinerent, et cum nova, quam profitebantur, religionis doctrina arcte coniungerent. Sic et Iudaeorum permulti tranſierunt quidem ad ſacra Christiana, ſed retentis maiorum inſtitutis, novam quandam religionem ſibi formarunt, idque effecerunt, ut *Iudaeo-Christianorum* inſignirentur nomine. *Philoſophi* porro *Platonici* quum philoſophiam ſuam occidentalem coniungerent cum philoſophia orientali, totam nostram religionis doctrinam hisce inter ſe mixtis philoſophandi rationibus accommodarunt, *ita ut Christus et Plato amice conſentire viderentur.* Quot autem quantaque vitia primis iam post C. N. ſeculis religio Christiana inde contraxerit, quam foecunda mater errorum ſuperſtitionumque fuerit ambigua illa interpretandi ratio, cuique vel mediocriter in dogmatum historia verſato ſatis notum est. Imo PORPHYRIUS, philoſophus *Syriacus*, eam etiam ob cauſam religionis Christianae doctrinam vituperavit, quod omnes omnino huius religionis doctrinae doctores ſecundum proprium ingenium ſuum C. S. allegorice explicarent. Anſam inde philoſophus ille arripuit ſui aevi hominibus ostendendi, quam ridicula, quam abſurda talis esſet religionis doctrina, cuius interpretatio tam vaga et tam falſis nixa erat fulcris. Quantum autem nocuerit hocce PORPHYRII effatum, cuique facile perſpicuum erit, ſi modo conſideret, perplurimos tunc temporis repertos fuisſe homines, qui diſcrimen inter doctrinam Divinitus patefactam et diſciplinam fallibili hominum ingenio excogitatam inſtituere non potuerint. (111b)

Itidem *Gnostici*, IESU Apostolorumque verba ad perverſa ſua placita ſophistica accommodantes, talem ſibi formarunt religionis doctrinam, qualem *Philoſophico-Christianam* dixeris. Sic medio aevo *Scholastici* dogmata Christiana (commixta philoſophiae Aristotelicae placitis) multis modis depravarunt. Sic et nostrae aetatis Theologi, praeſertim in Germania, haud pauci ſ. ſ. ita ex-

Digitized by Google

plicantes, ut philosophiae suae decretis convenire videatur, coelestem nostram doctrinam magis infuscare, quam illustrare solent.

Ceterum haece § illud adhuc monendum est, quod omni tempore ac aevo Theologi in id incubuerunt, ut, quanquam non stricto sensu allegoriis uterentur, tamen semper sensum sic dictum spiritualem e C. S. eruere conati sint, quem ex interpretatione allegorica originem suam duxisse non probabile, sed certum existimemus. Sic inter antiquiores habemus Theologos *mysticos*, *scholasticis* oppositos, nec non inter recentiores VOETII sectatores, COCCEIANIS oppositos, (112) qui semper sub literali sensu quaerebant sensum spiritualem, non alium quippe, quam vere mysticam; unde nemini mirum videri potest, quod parte hac posteriori nostrae disquisitionis multa occurrant, quae mere allegorica dici nequeunt. Quum autem omnium harum depravationum prima causa quaerenda est in interpretatione allegorica, commode etiam omnes illae depravationes ex hoc fonte ortae ad eandem classem referri possunt.

(111[b]) Vid. MOSHEIM; *Kerk. gesch.* I *d. bl.* 352. (112) Sic eminent inter VOETII sectatores HELLENBROECKIUS aliique.

§ 48.

Principes huius novae rationis de religionis doctrina philosophandi auctores fuerunt PANTHAENUS, IUSTINUS M. ATHENAGORAS, CLEMENS A., eorumque discipuli. Hi enim Christianam doctrinam cum philosophia Graecorum comparare et utriusque consensum mutuum ostendere, multaque fidei dogmata detorquere coeperunt. Idque maxime factum est a CLEMENTE A. qui ipse profitetur, se non tradere Christianam doctrinam puram, sed *ἀναμεμιγμένην τὴν ἀλήθειαν τοῖς φιλοσοφίας δογμασι; μᾶλλον δὲ ἐγκεκαλυμμένην καθάπερ τῷ λεπύρῳ, το ἐδώδιμον του καρύου*, atque huius studii non utilitatem tantum suo more demonstrat, sed etiam ei colendo operam esse dandam ex s. Litt. probare satagit, interpretationibus allegoricis usus tam futilibus et perversis, ut vix risum tenere possit qui attentius eas legat. Nihilo tamen minus hoc Philosophiae studium eiusque ad fidei christianae dogmata, ex sacris literis elicienda, accommodatio per omnia fere secula plerisque Christianae religionis perplacuit doctoribus. Neque, quae cum hoc studio coniuncta erat, allegorica interpretatio tantum grata fuit Philosophis, verum et aliis, qui ab omni philosophia scholastica abhorre-

Digitized by Google

bant. Testem huius rei habemus comprimis IOH. COCCEIUM; ex cuius interpretandi ratione dogmata extiterunt, de quibus nusquam in C. S. facta est mentio. (113)

Quantum vero alimenti subministret philosophiae humanae abusus f. literarum allegorice interpretandarum studio, ostendit magna eorum frequentia, qui ab eiusdem COCCEII disciplina erant profecti. Quid enim? nonne hi, monitis doctoris sui posthabitis, in facrarum literarum allegorice interpretandarum studio omne petierunt auxilium a philosophia Carthesiana? Quid denique? ne plura addam exempla, nonne nostra videmus aetate, quam longe absit, ut hoc studium philosophico-allegoricum plane sit extinctum? (114) Multi enim theologi, ceteroquin doctrinae et humanitatis studio insignes, in Germania, praeeunte KANTIO, FICHTIO et SCHELLINGIO, ad horum philosophiam inflectere sacram scripturam conantur, ita ut universam doctrinam christianam, inde depromtam, huc et illuc torqueant, eamque non dicam perverse interpretentur, sed obscuram reddant et pravis opinionibus corrumpant.

(113) Uti dogma de Foederibus etc. de quo postea. (114) Hoc studium in *Germania* etiam nunc vigere, patet ex nuper edita Disput. *ueber das Alleg. Historischen Texte beym Kirchl. unterrichte*, in lib. *Memorabiliën fur das studium und die Amtsfuhrung des Predigers* von H. G. TZSCHIRNER V band 1 stuck N°. 11. *pag.* 47.

§ 49.

Per abusum igitur philosophiae eiusque accommodationem ad Religionis Christianae doctrinam, multae ortae sunt dissensiones, contentiones et errores. Hinc originem suam duxerunt quaestiones de *Trinitate*, de *tribus personis in Divina natura*, de *regno* CHRISTI *millenario etc.* Quid praeterea? *dogma illud de generatione Filii nonne ortum videtur et est ex* illa *doctrina*, quam amplectebantur Philosophi inprimis orientales *de Emanatione?* TERTULLIANUS enim totidem verbis docuit in *apologia sua pro Christianis cap.* XXI filium Dei ex Patre esse generatum non alio modo quam *lucis radium* e *sole emissum*, vel *lumen* a *lumine accensum*. Postea vero in synodo *Nycaena* contra *Arianos* sancitum est, filium Dei ab omni aeternitate a Patre esse natum aut generatum, patrique consubstantialem, *Deum ex Deo*, *lumen e lumine*, quae ultima verba satis luculenter indicant, doctrinam de *Emanatione*, patri-

Digitized by Google

bus fuisse acceptam ac comprobatam. (115) Iam vero quisque facile videt, hanc doctrinam parum differre a placitis Philosophorum Orientalium. Hi enim τον λογον dixerunt Deum, Deo inferiorem; plerique tamen tantam illi coniunctionem cum Deo intercedere statuerunt, ut unus sit Deus. Ita senserunt PHILO aliique Iudaei Alexandrini. Doctoribus igitur Ecclesiae Christianae in oriente hoc erat vitium, ut Iudaeorum interpretandi methodum secuti in omnibus fere locis sensus reconditos quaererent. *Graecos*, philosophiae studio deditos; qui s. scripturam placitis suis philosophicis accommodabant, in amplectendis perversis de rebus fidei opinionibus, secuti sunt Latini, qui, quamvis Philosophiae vituperatores, s. scripturae tamen sensum tribuebant, qui somniis eorum maxime faveret. *Quidquid absurdius sit*, (ea enim erat, uti supra diximus, eorum interpretandi regula) *eo magis est credendum ac Deo dignum*. Atque sic utriusque ecclesiae doctores, utut diversa via et ratione, iam grammaticae interpretationi adhaeserunt, iam vero allegorias venati sunt, eumque sensum praeferendum iudicarunt, qui saepissime cum sanae rationis dictamine difficulter conciliari possit.

(115) Vid. *Symbol. Fidei in Conc. Nicaeno contra Arianos* statutum.

§ 50.

Ceterum omni tempore, ut § 47 monuimus, multum quoque sacrae theologiae rite colendae studio damni attulit, quod interpretes non tantum illa, proprie sic dicta, interpretatione allegorica abusi sint, verum etiam *e verbis simplicibus plus quam par erat, eruere conati sint.* Sic e. g. orta est *formula iustificationis*, quam notionem derivarunt ex verbo δικαιῦν, quod *iustum facere* reddiderunt, cum contra significet: *iustum aliquem declarare*, seu *immunem pronunciare a peccatorum poenis:* illud igitur vocabulum *proprie* sic sumendum est; *sensu autem forensi* illud interpretes acceperunt, contendentes, *actum forensem* hic esse intelligendum, quo quis se suamque causam defendat, seque iustum faciat. Hinc *iustificatio* hominum propter peccata obnoxiorum poenis a THOMA AQUINATE definitur, „ut sit *factio iustitiae* per gratiae divinae infusionem; factio igitur divina, qua anima a Deo movetur de statu peccati ad statum iustitiae." (vid. *Summa totius Theol.* secunda secundae; quaest. 113, 1, 5, 6 c.)

Digitized by Google

Universam igitur horum aliorumque vocabulorum notionem exegerunt ad fori humani rationem, et diversis modis exornarunt, illudque hominum liberandorum beneficium divinum sibi repraesentarunt sub scena litis et contestationis, qualis locum obtinet in foro humano; adeo ut hic cogitandus sit *iudex*, cogitandi sint *accusati*, *accusatores*, *advocati*, tribunal constituentes. Nihil autem magis absonum dici posse videtur, quam istiusmodi fingere actores iudicii, unde certe mirandum est, viros ceteroquin doctos tale quid excogitasse; figmenta enim ingenii humani sunt, quibus indulgere maxime vetat s. scriptura, quae nihil suadet, quo istiusmodi interpretatio possit comprobari. Atque hoc modo multae aliae ortae sunt ideae, eo quod longe aliud quid e sensu verborum, imo ex ipsis vocabulis eruere conati sunt theologi, quam (re rite exposita) illis continebatur.

§ 51.

Fuerunt etiam inter *Naturalistas*, qui, ut enervarent argumenta pro divina origine et auctoritate doctrinae c. e miraculis petita, sibi aliisque persuadere conati sunt, narrationes C. S. de miraculis ita esse exponendas, ut illae in meras converterentur allegorias. Princeps huius doctrinae auctor fuit TH. WOOLSTONUS, *Anglus*, qui omnem miraculorum narrationem mystice et allegorice exponendam esse censuit, eam ob causam, quod ceteroquin quae in scriptura s. hac de re narrantur, falsa sint et absurda. At vero perspicuum est, illum hanc sententiam tantum proposuisse, non quod eam veram esse arbitraretur, sed ut sic enarrationes de miraculis I. et Apostolorum plenas redderet mendacii. Fieri enim nequit, ut haec vera eius fuerit mens, utpote qua nihil esse potuerit absurdius, cum Euangelistarum dictio ac narratio ita conformata sit, ut aeque clare appareat, eos proprio sensu voluisse intelligi. (116) Sententiae huic amplectendae propius accessit etiam acutissimus ille philosophus, literarum studiis et doctrinis praeclaris ornatissimus, IMM. KANTIUS, quippe qui, in lib. *de Religione rationis terminis coërcenda*, diserte hanc proposuit sententiam: miracula IESU et Apostolorum proprio quidem sensu ab Euangelistis atque Apostolis esse conscripta, verum ea etiam allegorice seu improprie exponi posse, et exponenda esse, ut sensus inde oriatur moralis sive talis, qui ad morum doctrinam virtutisque culturam accommodetur. Laudabile quidem

36

nobis exhibuit huius methodi consilium, ne videretur aliis velle fucum facere. Libros sacros nimirum monet esse adhibendos, ut mores emendentur et hominum animi imbuantur vero pietatis sensu. Verum hac ratione non modo multum nutrimenti subministratur *imaginationi*, sed et peccatur *contra principalem illam interpretandi regulam*, quae, verborum potestate bene definita, sententiam illis subiectam pie tradendam iubet.

(116) Vid. ZIMMERMANNUS *Op. tom.* I. *pag.* 169 *seqq.* nec non ROSENMULL. *l. l. p.* I. *pag.* 250.

§ 52.

Libenter quidem concedimus, philosophiam s. s. interpretem merito dici, eamque in investiganda Religionis doctrinae veritate summo cum fructu in auxilium esse vocandam, si modo per eam intelligantur illa rationis nostrae principia immutabilia, quae sunt omnium nationum omniumque seculorum communia, quae naturae auctor nobis observanda indidit, quae non pro arbitrio sunt instituenda, sed in ipsa rerum natura fundata; illa enim eaque sola cum C. S. amice conspirant.

Systemata vero philosophica sive placita sectae cuiusdam, quamvis a viro et ingenii acie et doctrinarum studiis politissimo statuta, ab investiganda tamen veritate revelata longissime sunt dimovenda. Saepius enim in disciplina philosophica, quae scholae et hypothesium legibus continetur, principia illa inmutabilia male sunt explicata. Et si qui sint, ut sunt et fuerunt semper, qui Eclectici nominantur, unam rationem praeceptricem sequentes, non etiam hos ab errore aestimandos esse immunes, docuit experientia. Praeiudicata opinione non raro ducuntur; saepe suis delectantur placitis, ita ut sibi persuadeant, iisdem illis congruenter C. S. scriptores locutos fuisse, atque sic horum dictiones, sanae rationis, quae doceat meliora, effatis posthabitis, in suas detorqueant opiniones. Sic fuerunt olim philosophi, qui in s. s. entia viderint simplicia, atomos, prima rerum stamina, e quibus Deus mundum condiderit. Quam absurdum est in simplicissimo illo C. S. stylo sublimiores atque abstrusiores quaerere notiones, quasi eius auctores acutissimi fuissent philosophi; cum certo certius constet, eos omnes a tali subtilitate fuisse alienissimos! Quot quantaque detrimenta inde per omnia secula religionis ceperit doctrina; quot ri-

Digitized by Google

xae, quot decretorum monftra originem inde duxerint, quot falfis et mendacibus fomniis mentes theologorum inde concitatae fuerint, vix ac ne vix quidem dici potest.

Tranfeamus nunc ad ipfam dogmatum depravationis contemplationem, et id quidem ita, ut, cum fere nullum fit dogma, quod non aliqua ex parte per allegorice interpretandi rationem fit depravatum, non nifi ea commemoremus, quorum forma fere tota inde fit immutata.

Digitized by Google

SECTIO SECUNDA.

Depravationes dogmatum praecipuorum ab ortu huius studii usque ad dimidium seculi decimi octavi.

THEOLOGIA.

Dogma de Patre, Filio et Spiritu sancto.

§ 63.

Primum dogma, allegorice s. s. interpretandae studio depravatum, procul dubio fuit illud *de Patre, Filio et Spiritu s.* Dogma enim hoc multis modis ab iis, qui illud ad philosophiae sententias accommodare conati fuerunt, expositum vel potius detortum est. Antiquissimis temporibus Patres ecclesiastici, qui ante dimidium sec. II floruerunt, eodem modo uti Apostoli, licet haud tam definite, in hoc dogmate versati sunt. (117) Postea vero cum IUSTINUS M. inter primos esse coepisset, qui doctrinam christianam accommodare conarentur ad Platonis doctrinam de *Logo divino*, eamque cum doctrina s. scripturae de Deo maximeque de filio Dei coniungere, mox plures exstiterunt, qui hanc doctrinam ita exposuerunt, ut incerti haereamus, quaenam vera eorum fuerit sententia. Siquis eorum de hac doctrina disserendi rationem recognoscere nobiscum velit, is consulat IUSTINUM M. aliosque, qui eum secuti sunt; et videat, quam absonis similitudinibus imaginibusque, ex philosophia humana derivatis, ac proinde explicationibus quorundam V. T. locorum hanc doctrinam, vel acutissimorum nemini investigandam, adulteraverint. Sic IUSTINUS saepe CHRISTUM quidem appellat *Deum;* at vero ex *Apologia* II *pag.* 83 edit. Colon. apparet, iuxta illius opinionem, *Filium Dei* dici, per quandam tantum metaphoram, summam Dei Patris rationem seu sapientiam, quam is cum CHRISTO communicaverit; qui igitur ea solum de causa Deus sit dicendus, quod ratio seu sapientia Patris cum ipse communicata ab essentia Dei seiungi non

Digitized by Google

posfit. (118) Eodem modo promittit *in Dial. cum Tryph. pag.* 284 fe ex f. f. probaturum, Deum ante omnes creaturas genuisfe ex fe δύναμιν τινὰ λογικὴν, ἥτις καὶ δόξα Κυρίου ὑπὸ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου καλεῖται, ποτὲ δὲ υἱος, ποτὲ δὲ Κύριος καὶ λόγος. Quam generationem deinde ex multis f. f. locis probare conatur explicationibus, quas cum ad doctrinam philofophorum, tum ad fenfum f. f. accommodat, omnia allegorice interpretans, eandem fequens rationem, qua ufus est PHILO. Sic locum *Pf.* XXXIII: 6, interpretans, verba ὁ λόγος τοῦ Κυρίου five דבר יהוה de verbo ὑποστατικῷ accipienda esfe quum velit, omnem hanc notionem coniunxit cum ideis Platonicis, indeque fibi finxit prorfus novam et Iudaeis inauditam notionem de *Logo divino*, quem appellavit *Primogenitum Dei Filium.* (119) Neque alia fuisfe videtur fententia ATHENAGORAE, qui itidem τον λόγον, cum CHRISTO homine communicatum, fapientiam Dei dixit, quae quum a Deo diftingui non posfit, hinc CHRISTUS, quocum illa fit coniuncta, Dei nomine appellandus fit. Atqui fic omnes huius aevi patres, in explicando hoc dogmate, commifcuerunt PHILONIS, PLATONIS et IOHANNIS Apostoli ideas de λογῷ. Hi enim ecclefiae Christianae doctores magna cum aviditate PHILONIS fcripta lectitabant, ut doctrinam Christianam, quam amplectendam maximopere fuadebant Iudaeis, quantum fieri posfet, ad eorum accommodarent placita philofophica. PLATONIS vero fcripta omni cura evolvebant, ut quum huius philofophi ideas fuo more effatis biblicis illustrasfent, faciliori negotio gentes ab idololatriae et fuperftitionis erroribus ad unius vere Dei cultum perducerent.

(117) Vid. VENEMA *Hist. Eccl. tom.* III *pag.* 306 et 307. (118) „Quidquid igitur, (ut verbis „utar ROSENMULLERI, in libro *de Christianae Theol. origine*) de λογῷ fuo dixerit PLATO, id ad „λόγον in Evang. IOHANN. isti Philofophi Christiani applicabant." (119) Vid. *Philonis liber* laud. *tom.* III *pag.* 121.

§. 54.

Postea, dogma hoc philofophematibus et argutisfimis quaestionibus magis iterum obfcuratum est, quam fufius expofitum, ita ut faepe vix intelligi queat, quid negaverint affirmaverintve. Sic, ut hoc utar exemplo, TERTULLIANI doctrina de Patre, Filio et Spiritu f. tam male cohaeret et tantis est ob-

ducta tenebris, ut vera ipsius sententia admodum difficilis sit intellectu. Statuisse autem videtur, unum esse Deum, in se habentem λόγον, sapientiam, sermonem, artificem huius universitatis, qui autem est considerandus tanquam ratio, quae semper in Deo fuerit, igiturque coaeterna; tanquam sermo, quem Deus protulerit, cum mundum creare vellet; generatus proinde filius Dei, secunda *Trinitatis* persona. Hanc autem eius doctrinam cum ex s. s. probare velit, praesertim ad V. T. loca provocat, suam argumentandi rationem sic instituens, ut ubicunque perversissimas allegorias et pravas explicationes reperiamus; cuius rei specimina edidimus in Part. I. § 14. *pag.* 26. (120) Quas qualesque ideas sibi de spir. s. conceperint religionis Christianae doctores, non satis liquet; id tamen ex eorum scriptis constare videtur, illos Spiritum s. existimasse subiectum divinum, a Patre et Filio diversum. Verbo monendum est de vocabulo *Trinitatis*; huius primus auctor fuit THEOPHILUS, qui hac de re agens vocabulo τρίας usus est. Ceterum omnes veteres christiani doctores eodem fere modo hac de re loquuti sunt, uti ex CLEMENTIS A. (121) aliorumque scriptis luculentissime constat.

(120) Sic in usum suum converterunt *Genes.* I: 11, 16: IX *vs.* 24. *Ps.* XLV: *vs.* 7. *Proverb.* VIII: *vs.* 24. *Ioh.* I: *vs.* 1 etc. inprimis de TERTULLIANI sententia videatur *Lib. eius adv. Praxeam* c. 6 et 7. opp. *pag.* 469. (121) Vid. eius *Cohortatio ad Graecos pag.* 82.

§ 55.

Postea vero multae quidem de hoc dogmate ortae sunt controversiae cum *Sabellianis*, *Arianis*, *Anomaeis*, *Pneumatomachis* aliisque, qui multis quidem abutebantur s. s. locis, eo consilio, ut illos ad suum systema accommodarent. Neque tamen existimandum est, hasce sectas causam suam strenue defendere voluisse *Allegoricae interpretationis* ope; verum quo magis ab ea videntur fuisse alieni, eo procliviores ad illam adhibendam facti sunt aliter sentientes, ut suam tuerentur causam. Seriori autem aetate ex *Quaekerorum* familia multi exstiterunt, qui, cum interpretationem Grammaticam lubricam esse arbitrarentur, ad *lumen internum*, hoc est *lumen rationis*, quod etiam *Christum internum*, (τὸν λόγον) appellare solebant, confugerunt. Omnia enim, quae de I. c. narrantur a s. scriptoribus, non Filii Dei humana natura induti, sed interioris CHRISTI historiam esse sibi persuadentes, universam hanc historiam

Digitized by Google

poëticis luminibus et involucris decoratam dixerunt. Quae omnia documento sunt, lumen illud internum *Quaekerorum* nihil aliud fuisse, nisi rationem practicam, eamque illorum unicam et religionis diiudicandae et s. s. interpretandae regulam, quae vero non ea, quae in s. Litt. sint scripta, sed hoc tantum curat, ut verba S. L. ad humana opinionum commenta accommodentur. (122) Quae controversiae dein ortae sint de hoc dogmate, sectione III videbimus.

(122) De iis vid. I. M. SCHROECKHII *Hist. Rel. comp. pag.* 310.

Dogma de Creatione huius Mundi.

§. 56.

Quamquam omni tempore doctores Christiani *historiam creationis* (*Genes.* I. relatam) nullo modo cum philosophiae suae placitis conciliaverint, illam tamen non ut rem in facto positam et proprie intelligendam, sed ut enarrationem allegoricam explicandam esse existimarunt. Sic seculo iam secundo THEOPHYLUS ANTIOCHENUS Gen. l. l. sensum mysticum quaerere conatur, verba: *ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς* etc. explicans: *ὅτι ἐν τῷ λογῷ αὐτοῦ ὁ Θεὸς πεποίηκε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν*, et per *tres dies*, qui praecesserint creationem duorum luminarium, intelligens *Trinitatem τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ λογόυ αὐτοῦ καὶ τῆς σοφίας αὐτοῦ* (123) Videamus iam opinionem ORIGENIS, qui suo etiam more hanc historiam explicavit; sic v. c. ad comma 6, cap. I monet, per *coelum intelligendam esse spiritualem substantiam*, per *firmamentum coelum corporeum*, idque, quia coelum spirituale mens nostra est; coelum autem corporale, quod firmamentum dicitur, exterior noster est homo; porro ad verba (*Gen.* I: *vs.* 20) *producant aquae* usque ad *et factum est sic*, sequentia adnotavit: „secundum literam iussu Dei producta sunt ab aquis repentia et volatilia, et haec, quae videmus, a quo sint facta, cognoscimus; sed videamus, quomodo etiam secundum nostrum firmamentum coeli h. e. mentis nostrae vel cordis soliditatem, haec eadem fiant. Arbitror, quod si mens nostra illuminata fuerit a nostro sole: CHRISTO, iubetur postmodum ex his, quae in ea sunt, aquis producere repentia et volatilia volantia, h. e. cogitationes bonas vel malas proferre in medium, ut discretio fiat bonorum a malis, quae utique utraque ex corde

„procedunt." Neque alio modo ORIGENES totum fere caput I. *Genes.* interpretatus est, sensum quippe spiritualem et moralem semper cum literali coniungens. (124) Audiamus porro *Basilium M.* de hac narratione Mosaica exclamantem: „Audite, qui surdi estis! respicite, qui coeci estis! et quis quaeso surdus est, nisi qui non audit adeo magna voce spiritum s. clamantem? „quis denique coecus est, nisi qui non cernit ac inspicit adeo apertas, adeo „claras de Unigenito Dei Filio demonstrationes?" (125) Quid praeterea? Nonne inter alias explicationes allegoricas ante iam vidimus illam INNOCENTII III, qui per *solem* et *lunam* intelligit *Pontificalem auctoritatem* et *regalem maiestatem?* (126) Denique addo ridiculam illam explicationem IOHANNIS DE ST. GERMINIANO in *serm. funeb. dist.* V, *serm.* II, qui ad verba; *spiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo, animal vivens. Gen.* II: *vs.* 7, haec adnotat: „spiravit (sc. Deus) in faciem eius (sc. ec- „clesiae) hoc est: in collegium electorum summi Pontificis, (sc. Cardinalium) „quorum collegium recte facies dicitur, ex eo, quod facies est eminentior et „nobilior pars corporis." (127)

(123) *Lib.* II. *pag.* 88. (124) *Homil.* I. *in Genes. Opp. tom.* II. *pag.* 52 edit. DELARUE. Conf. ROSENMULLERI l. l. III. *p.* 95, 96. (125) Vid. ROSENMULL. l. l. *p.* 226, 227. (126) *Ad Constantinop. Imperator. cap. solitae de maior. et ibid. ref.* A. YPEIJ *V. Cl. l. l. d.* V. *bl.* 316. (127) Plura exempla reperiri possunt in *Op.* GLASSII *Phil. Sacr. Lib.* II. *p.* I. *tract.* II. *sect.* III. *art.* 6. *pag.* 192 *edition. Amstelod.*

§ 57.

Verum enim vero mirari desinamus veteres! Recentiores eandem historiam illam multis modis detorserunt et allegorica interpretatione ornaverunt. Videamus modo allegoricam creationis explicationem rerum, nobis a Cl. VITRINGA exhibitam. (128) Omnia *Genes. capite* I conscripta, ad tempora N. T. hic refert. Sic *prima creationis dies et nox* generatim significat *primordia Christianae ecclesiae* inde ab ortu Euangelii usque ad imperium NERONIS. Speciatim vero per noctem intelligit tenebras, quibus Iudaei ante C. N. obducti erant. Tum enim Deus iussit lucem existere, et mox IESUS CHRISTUS in mundum venit; haec fuit *prima dies. Secunda vero nox atque dies*, allegorica ratione explicata, *tempora sunt Ecclesiae Christianae sub imperio* NE-

Digitized by Google

BONIS *usque ad dimidium feculi tertii five usque ad Decium.* Denique, ut de ceteris eius interpretationibus, quae in ipſo libello videri posſunt, brevitatis cauſa taceamus, ſolummodo huc addere liceat, doctisfimum hunc Theologum, ad INNOCENTII III exemplum, creationem ſolis et lunae interpretatum fuiſſe, per *ſolem* intelligentem CAROLUM M. per *lunam* vero *Papam Romanum.* Atque hac in explicatione adeo ſibi placuit, ut ſic pergat: „explicatio „haec ita comparata est, ut quisque, qui veritatem amat, facile eam agno„ſcat." Tandem ad *vs.* 20 et 21 ubi de avibus, piscibus et cete ſermo est, haec adnotavit; „per *aves* intelligendi ſunt *Philoſophi*, qui uti volucres ſuis ſe cogitationibus in altum tollunt; per *piſces* vero *gentiles* et per *cete* denique *Imperatores* et *Principes Gentilium.*" (129) Neque ſolus fuit VITRINGA, qui ſuo tempore hanc interpretandi rationem ſecutus est, verum omnes ſic dicti COCCEJANI, uti DRIESSENIUS, DOUTREINIUS, aliique hanc viam ingresſi ſunt. Quam parum autem talis explicatio cum ſtylo illo ſimplicisſimo, quo Creationis historia nobis est relata, conveniat, quis est, qui non videat? Mirandum ſane est, istiusmodi undique conquiſita in mentem virorum, ceteroquin doctisſimorum, venire potuisſe.

(128) Explicatio haec inſerta est lib. *Verklaring en heilige bedenkingen over den verborgen zin der Mirakelen.* Franeq. 1725. (129) Ibid *pag.* 337.

De Statu Protoplastorum depravato.

§ 58.

Historiam lapſus ADAMI et EVAE quum nobis tradiderit MOSES *Geneſ.* III hoc modo, ut multa mirabilia imo rerum naturalium ordini contraria in ea occurrere videantur, hoc illud relatum multis modis exponere conati ſunt Theologi. Fuerunt olim et etiamnunc ſunt, qui omnia ad Allegorias referant; ſic ex. gr. exſtiterunt, qui per *Paradiſum* indicari contendunt *principalem animi humani vim*, quae opinionum diverſarum plena ſit habenda, per *arborem vitae* vero *pietatem*, inter omnes eminentem virtutes, quae animum reddant immortalem et beatum; *per arborem cognitionis boni malique prudentiam*, quae discernat res natura contrarias etc. Ita, ſuo iam tempore PHILO I. in explicatione huius loci verſatus est. (130) Huius vestigiis inſiſtens,

Digitized by Google

ORIGENES hac in re multas nobis reliquit allegoricas interpretationes idque quidem ita, ut HIERONYMUS *in epist. ad Pammach.* de eo conqueratur, quod ita Paradifum terrestrem allegorice interpretatus est, ut historiae omnem ademerit veritatem. Per *arbores* enim intelligit ORIGENES *angelos*, per *flumina virtutes coelestes*, per *tunicas pelliceas* ADAMI *et* EVAE *corpora humana*, ac fi ante peccatum fine corporibus vixisfent primi homines. (131) Imo non folum veteris verum etiam posterioris aevi fcriptores ex hac historia mysteria eruisfe, nemo est, qui ignoret. Habemus enim peculiarem disquifitionem VITRINGAE *de arbore prudentiae in Paradifo eiusque mysterio*, in qua per *arborem vetitam* in genere intelligit *obiectum concupifcentiae inordinatae*, cuius ufus et fructus mortis fit caufa; fpeciatim vero *omnia obiecta concupiscentiae inordinatae*, quae fub oeconomia Utr. T. tanquam *caufae mortis*, CHRISTO tanquam *caufae vitae aeternae* funt oppofita, et addit: „facillima „certe est nostrae fententiae demonftratio; arbor enim *prudentiae* in Paradifo „fuit oppofita arbori *vitae*, tulitque *fructum*, cuius efus et ufus homini *mor*„*tem* caufatus est, et a quo fibi cavere, *prudentiae* fit; id vero quid est; „nifi *mundus* cum omni obiecto *concupifcentiae mundanae et carnis*, quorum „inordinatus appetitus hominem detrudit in miferiam *aeternae mortis*. Quae „*obiecta concupifcentiae* quatenus oppofita fint CHRISTO, ut *caufae vitae*, „cum varia etiam fint, in variis Ecclefiae oeconomiis: dubium esfe nequit, „quin haec ipfa *obiecta concupifcentiae*, pro vario Ecclefiae ftatu, fymbolice „per hanc arborem depicta figurataque fuerint." (132)

(130) *De Mundi Opificio vol.* I. *pag.* 107. (131) Vid. GLASSIUS *l. l. lib.* II. *p.* 1. *tract.* II. *fect.* III. *art.* 5. *pag.* 191. (132) Vid. C. VITRINGA *obferv. f. p.* I. *pag.* 1033. *feqq.*

De Doctrina Foederum.

§. 59.

Inter veteres S. C. interpretes multi omnem Religionis doctrinam involvebant *Foederum Doctrina*, dogmata Religionis fuperftruentes meris orationis figuris et phrafibus, quae e moribus hominum erant petitae, et quibus, Deo fummo moderante, facri fcriptores utebantur, ut fefe fapienter accommodarent hominum imbecillitati eorumque necesfitatibus pro temporum opportunitate. Fue-

sunt nempe omni tempore, qui data occaſione docuerint, Deum cum primo homine foedus aliquod pepigiſſe, quo et eius posteri contineantur. Ab hac ſententia non alieni iam fuere HIERONYMUS, AUGUSTINUS, quos ſecuti ſunt nonnulli SCHOLASTICI. Hi, ſimpliciori doctrina non contenti, primos homines obedientiae Deo praeſtandae obſtrictos fuiſſe ſtatuerunt, foederis a Deo cum hominibus ſanciti ratione habita. Hoc pactum Deum inter et homines *foedus operum* dixerunt, formula depromta ex *Rom.* III: *vs.* 27. Hanc doctrinam, iam expoſitam a SIBRANDO LUBBERTO aliisque, fuſius dein explicavit IOH. CLOPPENBURGIUS, praeſertum vero I. COCCEIUS, qui huic ſententiae exornandae et ſtabiliendae omnem operam adhibuerit. Eorum vero opiniones huc redeunt: Deum cum Adamo, tanquam capite repraeſentativo univerſi generis humani, iniiſſe foedus, quo ipſe primo illi homini omnibusque, in ipſo conſideratis, hominibus, ipſius posteris, ſummam terrestrem et coelestem promiſerit beatitatem ea nimirum conditione, ut legi naturali et poſitivae praeſtaret obedientiam, addita mortis ſubeundae comminatione, ſi conditionem praeſcriptam homo violaret. Huic doctrinae convenienter docuerunt illi Theologi, futurum fuiſſe, ut ſi Adamus legi divinae perfectam praeſtitiſſet obedientiam, cum ipſo omnes ipſius posteri ſummae beatitatis redderentur participes; id autem cum minus prospere evenerit, nunc omnes ideo homines morti eſſe obnoxios et felicitatis aeternae conſequendae, niſi ſingularis Dei gratia intercedat, expertes. Ceterum docuerunt hi theologi, Deo Adamum viciſſim promiſiſſe legi naturali et poſitivae praeſtandam obedientiam, ipſumque adeo ſuo conſenſu confirmaſſe, per ſic dictam reſtipulationem, omnia, quae ſibi erat propoſita. Univerſam autem hanc doctrinam non eſſe divinam, ſed humanam, ab omni ſimplicitate divina remotam, ſatis perſpicuum est. Undenam istiusmodi doctrina? Non aliunde ſuam duxit originem, quam inde quod e ſ. ſ. locis ſemper plura eruere ſategerunt, quam quidem continebant, et ſemper alium ſenſum ſub litera quaererent. Sic v. c. quae enarrat MOSES *Geneſ.* II ubi tantummodo mentio fit de lege quadam, hominibus propoſita, haec et alia C. S. effata allegorice explicarunt, et ad hanc accommodarunt doctrinam.

§ 60.

Haec eadem doctrina, parum caute expoſita, multa in re theologica pepe-

Digitized by Google

rit mala. Homines enim; qui Numen supremum suo pede demetiri solent; illa doctrina supra modum aucta ac dilatata, eo provecti demum sunt, ut de summa Dei perfectione minus recte sentirent, Deum hominibus similem existimantes. Vera fidei in CHRISTUM, qua sola hominem servari profitebantur; natura per foederis notionem ab illis subvertebatur. Doctrina de iustificatione sive de remissione peccatorum confundebatur; ne dicam de aliis erroribus, pietati noxiis, qui inde ortum duxerint. (133)

(133) Vid. I. H. REGENBOGEN V. Cl. *Orat. de Extremis, in quae Interpretes s. s. passim prolapsi sint, sedulo cavendis.*

CHRISTOLOGIA.

Doctrina de IESU θεανθρωπῷ.

§ 61.

De *natura* CHRISTI θεανθρώπου in Ecclesia Christiana primitiva parum disputatum fuit: Apostolorum quippe simplicitatem plurimi sequentes, ab ulteriori mysterii huius disquisitione abstinebant, popularique dicendi genere utebantur. At vel sic tamen satis cito, postquam mysterium hoc vel penitus rimari vel ad doctrinas quasdam philosophicas accommodare coeperint, in varias opiniones delapsi sunt, quas vero omnes hic commemorare longum esset, praeterquam quod multa huius rei specimina inter allegoriarum exempla, Parte I, reperiri possint. „Praesertim *Scholastici* doctrinam hanc nodosis ac „futilibus illigarunt quaestionibus, quarum memoria ea solum de causa digna „est, quae perennet; ut videamus, ad quos ineptae subtilitatis excessus pro„gredi possint ii, qui, dum a simplicitate C. S. recedunt, e suopte ingenio ri„mari et sua (si Deo placet) expositione faciliora facere conantur ea, quae „Deus obscura nocte tegi voluit." (134) Huiusmodi nobis multa occurrunt exempla in operibus TH. AQUINATIS, PETRI LOMBARDI aliorumque, quae omnia luculentissime docent, quam tristis fuerit huius aevi exegeseos status. Denique et post instaurata sec. XVI sacra ac literarum studia, haec subtilitatis plena de I. CHRISTI natura dissidia non defierunt. Fanatici enim nonnulli vel antiquiores opiniones de corpore CHRISTI coelesti redintegra-

Digitized by Google

runt, vel aliis modis a veritate doctrinae coelesti aberrarunt; ut et illi, qui sententiam FLAMINGII, WATSII, (135) aliorumque secuti, animum CHRISTI humanum, iam ante mundi exordia a Deo productum, deinde cum corpore humano sese coniunxisse statuerunt, hac in re locis *Ioh.* XVII: *vs.* 5. 2 *Cor.* VIII: *vs.* 9. *Philip.* II: *vs.* 6. *Colos.* I: *vs.* 15. *Apoc.* III: *vs.* 4 abutentes, et ex illis plus quam continebant, iuxta veterem omnia longe aliter interpretandi methodum, quam verba, simpliciter accepta, permittant, eruentes. Ceterum vero omnia illa dissidia non tam multum depravationis in ecclesia effecerunt, quam quidem illa nuperrime inventa, de quibus postea agendum est, et quae ansam dederunt pessimis de CHRISTO opinionibus.

(134) Verba sunt H. MUNTINGHII, V. C. *in Comp. Theol. Christ. Lib.* II. *p.* 2. *cap.* I. *sect.* I. § 475. (135) WATSIUS hanc sententiam popossuit *in libro: the Glory of Christ as God-man.*

De Pacto Deum Patrem inter et Filium suum, seu de consilio gratiae vel pacis aeterno.

§ 62.

Theologi, qui de hoc dogmate loquuntur, eo nomine intelligere solent mutuum Dei Patris cum Filio pactum, quo Pater a Filio stipulatus sit perfectam legis obedientiam usque ad mortem, pro hominibus obeundam, atque eidem obedientiam praestituro hominum conservandorum societatem divinitus redimendam tamquam propriam hereditatem promiserit, ac vicissim Filius, obedientiam illam Patri spondens, ab eodem ius in hominum conservandorum societatem restipulatus sit. Hanc autem doctrinam non divinam sed prorsus humanam esse, prima fronte in oculos incurrit. Neque tamen minus theologi illam ex multis s. s. locis probare conati sunt, in quibus vero, si recte exponantur, nullam huius rei indicium reperiri queat. Sic ad hanc doctrinam accommodarunt *Ps.* XL: *vs.* 7, 8, 9. *Ps.* LXXXIX: *vs.* 29 et inprimis *Zach.* VI: *vs.* 13, ubi uno omnes ore clamant, hic intelligendum esse pacis consilium a Patre initum cum Filio de pace hominibus procuranda cum Deo. Quam perversa haec sit interpretatio, ex ingeniis profecta, quae simplicem literarum s. sensum minus curantia, semper sublimiora odorari didicerint, quis est, qui non videat, contextum sermonis consulens? Postremo enim huius lo-

Digitized by Google

ci verba de duplici MESSIAE munere regio et ſacerdotali interpretanda ſunt. Profecto eorum theologorum, qui ex his aliisque locis istiusmodi quid depromere non verentur, inconſiderantiam non ſatis mirari posſumus. Sic enim universa ſ. ſ. ſemper contorqueri potest et deflecti ad qualiacunque opinionum commenta confirmanda pro cuiusvis arbitrio et voluntate. Haec theologorum doctrina pars quaedam est *doctrinae*, ut vocatur, *foederalis*, qua triplex ſtatuitur foedus, *unum foedus operum*, cum hominibus primis ſancitum, (de quo antea monuimus) *alterum foedus Deum Patrem inter et Filium* de hominibus in peccatum lapſis erigendis; *tertium vero foedus gratiae*, quod Deus pepigerit cum hominibus post lapſum. Hanc vero doctrinam, quam ſibi perſuaderet VITRINGA melius alio modo esſe explicandam, eam propoſuit ſub notione *testamenti*. Doctrinam de foedere hominum autem cum reiiceret VITRINGA, duplex ſtatuebat testamentum, *unum nempe Patris*, *alterum vero Filii;* per primum intelligebat divinam et aeternam voluntatem, qua Pater Filio Dei diſpoſuerit quaſi testamento regnum, unde filius in ſ. ſ. *haeres* dicatur et regnum ipſi demandatum *haereditas;* per alterum intelligebat eandem illam divinam et aeternam voluntatem, qua Filius hominibus gratiam destinaverit et ſalutem. Haec omnia confirmavit vir. Cl. multis ſ. ſ. locis, quorum praecipua ſunt *Luc.* XXII: *vs.* 29. *Ioh.* XVII: *vs.* 24 quae tamen loca niſi in verbis ſimplicibus ſublimiora quaeſivisſit, non potuisſet interpretari ita, ut humanis commentis alimenta praeberet.

De Regno CHRISTI *millenario.*

§ 63.

Cum certo ſit certius, ante finem huius mundi adſpectabilis exſpectandum esſe tempus magis illustre, quo futurum ſit, ut omnes omnino terrarum gentes, et vero etiam universa natio Israëlitica ad meliorem revocetur mentem, et IESUM esſe CHRISTUM intelligat vere MESSIAM, haec de ſpe feliciorum temporum doctrina perperam intellecta quibusdam Religionis C. doctoribus anſam praebuit opinandi, CHRISTUM diu ante modo viſibili in terrarum orbem reverſurum, et reſtituta probis vita, per *mille annos* una cum ipſis in terra regnaturum esſe, unde huius doctrinae patroni *Chiliastae* dicti ſunt. Existimant,

Digitized by Google

ut fusius eorum opiniones exponam, Prophetas, Apostolos, Martyres et omnes, qui cum fide, tum sanctitate inclaruerint, initio huius regni resurrecturos esse, et cum CHRISTO per mille annos regnaturos ecclesiam. Fore dicunt, ut huius CHRISTI regnum initium ducat a resurrectione prima, de qua mentio fit *Apocal.* XX: *vs.* 4 et 5. Opinantur porro, hoc annorum mille spatio finito, fore, ut omnibus, qui CHRISTO fidem recusaverint, non amplius aditus pateat ad salutem, ac dein reliqui probi, pii, una et impii, qui unquam vixerint, e morte resurgant, et post hanc resurrectionem, quam vocant secundam, ultimum iudicium instituatur. Sententia haec iam a primordiis Christianismi in ecclesia viguit; IUSTINUS enim MARTYR *in dial. cum Tryphone pag.* 306 vaticinium *Iesaiae cap.* LXV: *vs.* 17 *seqq.* ad hanc doctrinam accommodatum exponit; cum autem ibi de *mille annis* nulla expressa fiat mentio, id repetiit e verbis *vers.* 22, *nam secundum dies ligni vitae dies populi mei erunt;* opera eorum multiplicabuntur. „His verbis, inquit, ὅτι χίλια ἔτη ἐν μυστηρίῳ μηνύει. Quo tempore enim ADAMO dictum est, *quo die* ἀπο τοῦ ξυλοῦ *edisset, eo die etiam moriturum esse*, scimus illum mille annos non implevisse; novimus quoque dictum illud, *quod dies Domini sit sicut mille anni*, huc pertinere." Laudat idem porro *Apocalypsin Ioh.* his verbis: „et vir apud nos quidam, cui nomen erat IOHANNES, unus Apostolo-„rum CHRISTI in revelatione, quae illi exhibita est, praedixit, eos, qui in „CHRISTUM nostrum credant, per annos mille Hierosolymis peracturos esse." (136) Quam absurde haec omnia sunt exposita! Neque tamen defuerunt, qui IUSTINUM in hac doctrina secuti sunt.

(136) Vid. *Dial. eius cum Tryphone pag.* 307. ἐγω δὲ *etc.*

§. 64.

Eodem modo TERTULLIANUS *contra Marcionem*, qui vanam exspectationem Iudaeorum de restituenda republica Iudaïca reprehenderat, defendit *regnum millenarium*, de quo peculiarem librum iam deperditum scripsit. *Marcioni* autem lib. III. c. 24 sic respondet: „de restitutione Iudaeae, quam et „ipsi Iudaei ita, ut describitur, sperant, locorum et regionum nominibus in„ducti, quomodo Allegorica interpretatio in CHRISTUM et in Ecclesiam, et

Digitized by Google

„habitum et fructum eius ſpiritualiter competat, et longum eſt perſequi et „in alio opere digestum, quod inſcribimus: *de ſpe Fidelium*, et in praeſenti „vel eo otioſum, quia non de terrena, ſed de coelesti promisſione ſit quaes„tio. Nam et confitemur in terra nobis regnum repromisſum; ſed ante coe„lum, ſed alio ſtatu (diverſo ab eo, quem Iudaei ſibi fingunt) utpote post re„ſurrectionem in *mille annos* in civitate divini operis, Hieruſalem coelo delata: „quam et Apostolus matrem nostram ſurſum deſignat, et πολίτευμα nostrum, „h. e. municipatum in coelis eſſe pronuncians, alicui utique coelesti civitati „eum deputat, hanc et EZECHIEL novit et IOHANNES vidit" (*Ezech.* XLVIII. *Apoc.* XXI) etc. Neque ab hac ſententia diverſa est illa IRENAEI, qui ad regnum millenarium refert verba DAVIDIS: *qui renovabit faciem terrae*, et loca, in quibus *mercedem in reſurrectione et centuplum in hoc ſeculo* promiſit CHRISTUS (*Luc.* XIV: *vs.* 14. *Matth.* XIX: 29). Argumenta inſuper deducit ex eo, quod ISAăCUS filio ſuo IACOBO benedixit *Geneſ.* XXVII: *vs.* 27—29, et ex multis IESAÏAE, EZECHIELIS cet. testimoniis. Quae omnia docent, qualis horum doctorum de Chiliasmo fuerit ſententia, ex perverſa allegorice interpretandi ratione ſi minus petita, certe per eam exornata.

Doctrina de reſurrectione Mortuorum.

§ 65.

Cum CHRISTUS eiusque Apostoli docuisſent, ſemel exſpectandam eſſe mortuorum reſurrectionem, haec etiam doctrina a multis depravata et per Allegorice interpretandi rationem contorta est. Sic IUSTINUS M. ATHENAGORAS, IRENAEUS, TERTULLIANUS, aliique hanc doctrinam perperam interpretati ſunt allegorice. Exemplo ſit TERTULLIANI ſententia, his ipſius contenta verbis; *reſurget caro et quidem omnis et quidem ipſa, et quidem integra cum omnibus ſuis membris, cum ſua forma, linea, qualitate, cum oculis, dentibus, capillis, manibus, pedibus, ſtomacho etc.* Atque hanc ſententiam ſuam ex multis ſ. ſ. locis Allegorice expoſitis comprobare conatus est. Sic diſerte inquit: (137) „habemus reſurrectionis imagines in multis V. T. locis allegorice intellectis, veluti *Ieſ.* I. *bona terrae edetis*, ubi bona *carnis* intelliguntur, „quae illam manent in regno Dei reformatam et angelificatam. MOSIS

„manum mortuam et rursus vivificatam; IONAE restitum ex ventre piscis etc.“ Multa quoque N. T. loca, in quibus de resurrectione fit mentio, ita allegorice interpretatus est TERTULLIANUS, ut corporum cum omnibus membris suis resurrectionem exspectandam esse ostendat. Sic quando „Servator dicit,“ verbis utor TERTULLIANI, „*se venisse, ut hominem salvum faciat, ipse* intelligit *totum hominem*. Porro quum affirmat, CHRISTUS se venisse, ut ex voluntate Patris nihil perdat, quod acceperat, sed illud resuscitet in extremo die mundi, accepit autem a Patre totam naturam humanam, ex carne et anima constantem, praecipit, *Deum unum esse timendum, qui corpus cum anima in Geënnam relegare possit.*“ Adeoque, sic concludit, „recognoscitur, resurrectionem quoque mortuorum *carnis* fore, quae in Geënnam, nisi resuscitata, non poterit occidi.“ Atque eadem hac ratione pergit ex pluribus aliis locis argumentari, ut ostendat, quid de resurrectione carnis sperandum sit et exspectandum.

(187) Vid. eius lib. de *resurrect. carnis* c. 26 et 27 ut et c. 35.

§ 66.

Neque alio modo hanc rem tractat HIERONYMUS, qui, cum reprehendisset IOHANNEM *Hierosolymitanum*, quod *in Epistola ad Theophilum* novies resurrectionem *corporis* commemorans, ne semel quidem *carnis* vocabulo usus sit, haec addit: „nos post resurrectionem eadem habebimus membra, quibus „nunc utimur, easdem carnes et sanguinem et ossa, quorum in scripturis „sanctis opera, non natura damnantur“ Atque hanc suam sententiam acriter defendit compluribus s. s. locis, allegorice explicatis. En ipsius HIERONYMI verba, quibus ad s. s. loca provocat ad illam defendendam. „*Caro* mea requiescat „in spe, et in alio loco: *caro* eius non vidit corruptionem, et rursum: om„nis *caro* videbit salutare Dei! Et tu (*Iohannes!*) semper corpus ingeminas? „IOBUS (cap. XIX) miserias suas resurrectionis spe et veritate solatur; *scio* „*enim*, inquit, *quod redemtor meus vivit et in novissima die de terra resur*„*recturus sum*, et rursum: circumdabor *pelle mea*, et *in carne mea* videbo „Dominum: quid hac prophetia manifestius?“ Et paulo post: „resurrectio„nem carnis omniumque membrorum si velim probare et ad singula testimo„nia explanationes adiungere, multis libris opus erit. *Capilli capitis vestri*

Digitized by Google

„*numerati sunt.* Si capilli, puto facilius dentes, frustra autem numerati, si ali-
„quando perituri." His et aliis s. s. locis HIERONYMUS, ad suam de resurrectione carnis sententiam defendendam, abusus est. Quis autem non videt, hoc nihil aliud esse quam nugari, non vero interpretari? (137*)

(137*) Vid. ROSENMULLERI lib. saepius laud. III. p. 373—379.

De Ecclesia.

§ 67.

Ab antiquissimis inde temporibus viguit in societate christiana quam plurimorum sententia, religionis doctores divinitus constitutos esse in locum V. T. prophetarum, sacerdotum et regum, qui summa auctoritate insignes, in regno theocratico, causam Dei tuerentur, probis bene, improbis contra male dicerent, hos afficerent suppliciis, in illos vero beneficia conferrent. Nullum discrimen quum veterem inter et novam Oeconomiam, regnum theocraticum externum inter et CHRISTI spirituale observarent hi theologi, eo procedebant erroris, ut eadem dicerent instructos esse ecclesiae christianae doctores potestate, quam sibi divinitus concessam prae se ferrent praestantissimi illi Israëlitarum duces. Quantum inde malorum sibi contraxerit res christiana, testatur ecclesiae historia. Hinc aureus ille splendor, ad quem omnia in templorum spatiis erant composita; hinc regia illa magnificentia, qua in publicum prodibant qui regno coelesti moderando dicerentur praefecti; hinc summa sacerdotum in populum christianum auctoritas, omnibus obedientiam iniungens sibi praestandam, non rationi, cuius imperio subiecti erant lege naturae; hinc denique unius pontificis maximi potestas suprema non in res sacras tantum, sed et in civiles, divinam affectans maiestatem, summumque constituens tribunal. Crassissimi vero huius erroris et impudentissimae audaciae causa non aliunde arcessenda est, quam inde quod Christianae religionis doctores Hebraeorum veterum sacerdotes et reges suspicerent, atque ab his adumbratos sese existimarent. Omnia igitur veteris Testamenti, quae huc pertinebant, loca, per allegoricam interpretandi rationem, in se transferebant, seque suumque munus ecclesiasticum per istiusmodi translationes allegoricas claritate illustre adeo red-

Digitized by Google

dere non erubescebant, ut qui omnium habebatur princeps, throno IEHOVAE insidere diceretur, ipsius loco, iure et iudicio ceteris longe superior, unus. (137**)

Ceterum veteres et recentiores theologi christiani ad comprobanda ecclesiae christianae attributa, uti vocantur, e sacris V. T. literis quum diversa deducerent loca, illos saepius in ea incidisse videmus, quae non nisi allegorice exposita argumenti quid suppeditare possent. Quam infirmum igitur sit istiusmodi argumentandi genus, universa interpretandi ratio allegorica et mystica satis evidenter arguit. Sic, ut exemplo haec observata illustrem, suo iam tempore CYPRIANUS, ut doctrinam comprobaret, veram eccesiam esse unam, usus est *Cant. Cant.* VI: 9. *Unam illam columbam meam, integram meam, unicam illam apud matrem suam beatam praedicabunt reginae.* Tantum etiam efficacitatis huic inesse argumento censuerunt theologi recentiores, ut hoc solo satis stabilitam dixerint suam de ecclesiae unitate sententiam.

Multa praeterea inepta opinionum commenta in lucem produxerunt Theologi cum veteres tum recentiores *de* IESU CHRISTI et *ecclesiae matrimonii* doctrina, quae ex multorum s. s. locorum interpretationibus allegoricis conflata, tantopere religionis doctoribus placuit, ut anno proxime praecedentis seculi vigesimo octavo IOHANNES VAN DEN HONERT, vir ceteroquin eruditissimus, theologiae professionem in Academia *Ultraiectina* capessens, orationem de hoc argumento habuerit, quo, ipse tum professus est, nihil ad dicendum uberius, nihil ad audiendum iucundius, nihil denique ad cognoscendum christiani hominis officium excogitari vel animo concipi potuisse!

Quid denique censendum est de septem illis ecclesiae periodis, quas accurate distribuerunt Theologi iuxta allegoricam eorum locorum interpretationem, quae in Libro *Apoc.* reperiuntur, ubi mentio est de septem epistolis, ad ecclesias Asiaticas missis, de septem sigillis, cet.? Septem illa oeconomiae N. T. intervalla maiora e multiplici numeri septenarii mentione, a IOHANNE A. facta, derivavit seculo iam duodecimo IOACHIMUS, Abbas Coenobii Florensis, dein IOHANNES SASKERIDES Warmenhusanus, cuius *explicationem* belgicam *de septem temporibus sanctae ecclesiae*, anno 1555 conscriptam, suae *Isagogae in scripta prophetica* subiunxit doctissimus SALOMO

Digitized by Google

VAN TIL. Hanc doctrinam planius expofuit IOHANNES COCCEIUS, indeque tantam fibi plurimorum iniit gratiam, ut pro illa tamquam pro aris et focis dimicaverint omnes, qui ipfius partibus effent addicti.

(197**) Conf. Cl. I. H. VERSCHUIRII Opusc. ed. LOTZIO, V. C. p. 138—161.

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

Depravationes Doctrinae Christianae, e ſtudio Allegorico in Eccleſia ortae a med. Sec. XVIII ad nostram memoriam, ſive ab anno 1763 ad nostra tempora.

§ 68.

Depravationes, quae hac periodo ex allegorico interpretandi ſtudio ortae fuere, maximi ſunt momenti; eo enim eorum multae tendunt, ut *totam nostram doctrinam infirment et infringant.* Ab hoc enim tempore multi exſtiterunt, qui, ut ſ. ſ. accommodarent ſententiis philoſophicis et opinionibus ante captis, omnem verborum vim enervarunt, et expreſſis verbis notiones ſubducere conati ſunt, ſibi privas et doctrinae chriſtianae contrarias. Ut hoc feliciter agerent, varias ingreſſi ſunt vias, ſemper tamen multa Servatoris nostri effata declarantes eſſe opinionum *orientalium* commenta, non ad vivum reſecanda, vel loquendi formulas, e vita communi petitas, neque adeo ſubtilius exquirendas; IESUM eiusque Apostolos proinde contendunt iuxta *mentem Iudaeorum* locutos fuiſſe; ad quorum praeconceptas opiniones callide ſuam doctrinam accommodaverint, ac ſi divini illi legati, qui tot ac tanta divinae ſuae auctoritatis ſpecimina exhibuerunt, talibus egerent machinationibus, ad quas homines peſſimae notae ſolent refugere. Imo nonnulli, ut rem ſuam felicius agerent, non veriti ſunt planiſſimam IESU CHRISTI diſciplinam e *ſomniis Iudaeorum cabbaliſticis* explicare; et ſanequam mirandum est, eſſe etiamnum post remotam barbariem nonnullos Christianos Philoſophos, qui, ut diſciplinam ſanctiorem Religionis revelatae cum ſuis placitis in concordiam redigerent, eandem perverſam interpretandi rationem, atque *Alexandrini* (licet alio nomine), ſecuti ſunt. Quanquam enim modus differat, eodem tamen res ipſa redit, utrum ea fiat *ſenſibus multiplicatis*, an vero *variis hypotheſibus*, temere arreptis.

Digitized by Google

THEOLOGIA.

De Librorum sacrorum θεοπνευστίᾳ.

§ 69.

Longe et multis modis a veritatis via deflexerunt plerique huius aevi interpretes, praesertim in *Germania*, qui, quum multa C. S. loca cum placitis suis philosophicis conciliare non possent, eo temeritatis provehi se passi sint, ut singularem Dei afflatum, quo sacri scriptores acti sint in conscribendis rebus, ad religionem pertinentibus, negarent, eosque non alio sensu divinitus afflatos fuisse, quam uti de Graecarum et Romanarum gentium poëtis ENNIUS olim dixit, eos appellans sanctos, quod quasi Deorum aliquo dono et munere commendati nobis esse videantur. (138) Sic ab his theologis, qui sapientiores s. scripturae interpretes haberi velint, comparari solent MOSIS, DAVIDIS, ASAPHI carmina cum CALLIMACHI aliorumque poëtarum veterum hymnis: sic cum sordidis ethnicorum carminibus comparantur IESAIAE vaticinia; comparantur Dii *homerici*, tot vitiis inquinati, tam profani, cum Numine sanctissimo, quod omni cultu sit prosequendum. Sic denique optimi Servatoris nostri disciplina comparatur cum PLATONIS philosophia, quae quasi divina fuerit habita; et ipse IESUS non superior dicitur sapientia et auctoritate, quam idem ille PLATO, qui Graecis unus esset instar omnium, aut SOCRATES, qui ex Apollinis oraculo omnium dictus sit sapientissimus. Mirari satis non possumus inconsultam HENKII rationem, de hoc argumento disserentis in libro *Das Magaz.* II: 2. Hic ille scriptores sacros divinitus ductos fuisse, ad veri bonique sensum in sui temporis hominum animis excitandum, ingenue quidem professus est. At quomodo C. S. scriptores, Deo duce, religionis doctrinam theoreticam et practicam exposuisse, existimat HENKIUS? Idem id observandum esse arbitratur, quod de poëtis observat CICERO (l. l.) eos nimirum divino quasi spiritu inflatos fuisse; et quod de PLATONE dixit QUINTILIANUS, illum asserens tam praeclare philosophatum esse *non sine Numinis afflatu*. Neminem vere magnum unquam fuisse, dixerunt veteres, sine aliquo afflatu divino. Conf. CICERO *de Nat. Deor.* II, 166. Et hoc eodem sensu praestantissimos s. Codicis auctores divinitus inflatos fuisse; contendunt haud

pauci, qui fibi videantur boni et folertes f. f. interpretes. Qui HENKIO antecesferat, STEINBARTUS obfervavit iam, omnem de Θεοπνευςίᾳ f. Codicis notionem ex perverfa illorum locorum explicatione, in quibus de ea mentio fit, esfe ortam. Loquendi hanc formulam monet esfe orientalem, et locum 2 TIM. III: 16 ex orientalium dicendi docendique ratione esfe explicandum. Ceterum ex horum omnium opinione omnia huc pertinentia loca, uti *Gen.* IV: 18. *Exod.* XXXI: 3; 1 SAM. XVI: 23; IOBI XXXII: 8 cet. allegorice explicanda funt, adeo ut nihil aliud arguant, quam quod facri fcriptores inftinctu quodam divino et enthufiasmo concitati fuerint ad illud hominibus commendandum, quod verum fit et bonum. (139)

(138) Vid. CICERO pro ARCHIA *poeta*; c. 18. (139) Conf. etiam HERMAN, *Einl. in di. Christ. Theol.* „das neue wort *theopneustos* bezeichnet keine neue fache, fondern heiszt 2 *Timoth.* III: *vs.* 16 „nicht mehr als das gewohnliche ἐν πνεύματι Θεοῦ, wen gleich die *Vulg. f. f. divinitus infpiratam* „überzetst *pag.* 138. Die Allegor. Exegefe, zu PHILO und IOSEPH. Zeit, war die einige wahre „urfache, die diefen neuen artikel der Iudifche Theol. hervorbrachte *pag.* 148." Conf. C. SWAVING, *over den Allegor. ftijl, in Opusc. fociëtat. Hagan.* 1798 *pag.* 122, qui omnes hac de re quaestiones, a theologis in medium prolatas, folvere conatus est.

Doctrina de Patre, Filio et Spiritu Sancto.

§ 70.

Antiquisfimis temporibus quum fubtiliter de hoc dogmate disputare theologi fuerint foliti, multaque C. S. loca ita contorte et allegorice explicuerint, ut quodammodo cum fuis convenire placitis viderentur, in aliud plurimi interpretes recentiores delapfi funt extremum, totam hanc doctrinam negantes, atque fic omnes iustos artis exegeticae limites petulanter tranfeuntes. De hoc dogmate, quod fanctum dicitur et est mysterium, hominum captum, quibus nulla in Dei naturam inquirendi est facultas, longe fuperans, explicando rationis humanae effatis congruenter, quum fint follicíti multi theologi recentiores, omnia huc fpectantia facrae fcripturae loca allegorice interpretari non verentur, ita certe, ut inde fenfus longe alius eruatur, quam verborum fignificationi conveniat. Sic formula baptismi, MATTH. XXVIII: 19 nullum contineri docent argumentum, quo efficaciius vix quidem defiderari posfe pute-

Digitized by Google

mus, ad hanc doctrinam comprobandam. Sensus huius loci ex eorum interpretatione huc redit, ut Servator optimus baptizandos illos velit, qui fide religionis doctrinam amplectantur, a Patre hominibus expositam per Filium, et insuper explanatam per sapientiam virtutemque divinam. Formulam *Spiritus sancti* minus proprie adhibitam esse in s. s. eamque nihil aliud indicare doceat, quam Dei *sapientiam*, quae hominibus de veritate *efficaciter* persuadeat, eosque ad meliorem mentem revocet, indeque dici soleat Spiritus sanctus. Quid est, quod unicuique, qui recte sapere didicit, de istiusmodi interpretatione videri posfit? Num sic observatam bene quis putet auream illam regulam; *oportet theologum esse grammaticum?* Neque tamen minus PRIESTLEYUM, qui hanc regulam observandam neglexit, (140) multi secuti sunt interpretes. Ceterum STEINBARTUS pluresque alii τῦ λογῦ notionem, quae in IOHANNIS Apostoli scriptis crebro occurrit, explicuerunt non tantum ex Orientalium philosophorum scriptis, qui τον λογον laudant, tamquam supremi Numinis sapientiam, omnia operantem et efficientem, verum etiam ex perversis eorumdem philosophorum de emanationis doctrina placitis. Hac ratione locum IOH. I interpretari non dubitarunt SEMLERUS, PRIESTLEYUS aliique, qui sibi persuadeant, consilium IOHANNIS, hac formula adhibita, non aliud fuisse, nisi hoc, ut sic illum λόγον proponeret, tamquam proprietatem divinam, Dei nimirum potentiam et sapientiam, ipsam Dei voluntatem creatricem, ipsum Deum, qui spiritus sit, per vim suam operans, ipsam proinde vim divinam, IESU, tempore, quo baptisatus est, communicatam. (141) Ceterum perpauca reperiri S. C. loca, quae notionem involvere videantur Spiritus sancti, tamquam subiecti intelligentis eiusque divini, uno omnes ore clamant; quum vero ad ea interpretanda sese accingant, tam misere eorum contorquent sensum, ut per ambages allegoricas nihil aliud inde appareat, quam quod spiritus sanctus sit sapientis et potentis Dei virtus, in hominum animis omne, quod bonum sit ac laudabile, efficiens. Denique eo progressi sunt, ut statuant, IOHANNEM *Baptistam* easdem habuisse absurdas de MESSIA et *spiritu sancto* notiones, ac sui temporis Iudaeos. Et hinc explicant omnia illa, quae de IESU baptismo relata legimus. Quidquid enim tunc factum est, difficile esse dicunt explicatu, forsan unum alterumve phenomenon; (142) atque hoc modo omnia illa loca, quae huc spectant, pessimo consilio detorquent.

(140) Vid. PRIESTLEY *Historie der Verbastering p.* I. *pag.* 84. (141) *Ibid. pag.* 83. (142) Vid.

Digitized by Google

Schaal der leere IESU. Ceterum, quia hic brevitatis ſtudioſi non omnia commemorare poſſumus, plura exempla videantur in lib. laud. C. SWAVING *pag.* 163 *ſeqq.*

De Lapſu Protoplastorum.

§ 71.

Quum, uti antea vidimus, antiquisſimi Eccleſiae Patres, vestigia PHILONIS ſecuti, omnia de hac doctrina in C. S. narrata figurate et allegorice explicuiriut, illos imitati ſunt recentiores in Germania Theologi, IERUSALEMUS, inquam, TELLERUS, PAULUS, EICHHORNIUS, BAUËRUS aliique. Sic ex IERUSALEMI mente *arbor diſcriminis boni et mali divinae legis* est imago, *arbor* vero *vitae* imago *felicitatis, cum legis obſervatione coniunctae.* Loquelam ſerpentis existimat denotare impetum adpetitus ſenſitivi dubia ob mota in efficacem rationis reſiſtentiam; comestionem tandem obſequium cupiditati praeſtitum, ut mercedem obedientiae etc. (143) TELLERUS per Moſaicam hanc narrationem intelligit *praelium quoddam munditiam inter et rationem*, ita ut EVA ſignificet *munditiam*, ADAMUS vero *rationem* vel *intellectum*, per *ſerpentem* denique omnes *blanditias doloſae fraudis.* (144) Postea EICHHORNIUS et PAULUS alio modo rurſus hac de re argumentati ſunt, historiam ita explicantes, ut ſit philoſophica quaedam expoſitio originis mali, quod tranſitum aperuerit ſeculo ſic dicto aureo ad ſeculum argenteum. (145) Eodem fere modo ſcriptor anonymus libri *Eden, das ist betrachtungen über das Paradies, und die darinne vorgefallenen begebenheiten nebst einer vorrede von D.* C. F. BAHRDT. *Franc. ad Moen.* 1772, univerſam hanc enarrationem Moſaicam allegorice explicuit, per *Eden* intelligens ſtatum hominis felicem ante lapſum, per *ſerpentem* vero ſanguinem, vario circuitu ac flexu profluentem, veramque in ſe cauſam continentem, cur hominum animi ingeniique motus tantopere inter ſe differant, per *Cherubim* porro amisſae felicitatis recuperandae imposſibilitatem, per arborem vitae ipſum Deum. Atque ſic eodem modo pergit omnia allegorice explicans. (146) Denique, ne plura commemoremus, praetermittendus non est A. RIEM, qui ſuo modo hanc historiam interpretatus est his verbis: „Univerſa primorum hominum lapſus „historia pertinet ad ingenii Iudaeorum figmenta, neque digna est, quae

39

Digitized by Google

„accuratius introspiciatur; fabulofa est allegoria, quae fenfibus blandiatur et „plena fit fallaciae." (147) Denique vix operae pretium existimem, ut eorum notetur turpitudo, qui rem ad obscoenitatem traxerint, confingentes, Veneris ufum interdictum ad tempus fuisfe primis parentibus, cui maturius indulgentes crimen commiferint. (148) Quam turpe est istiusmodi argumentationis genus, natum vel a libidine, vel a petulantia!

(143) Vid. *Betrachtungen* etc. *p.* IV. *pag.* 497. (144) Vid. *Die alteste Theodicee.* (145) Conf. REGENBOGEN *Kristel. Godsd. Leer pag.* 269. (146) Vid. I. D. MICHAËLIS *Orient. und Exeg. Bibl. t.* III. *n*°. 41, qui hoc opus recenfuit, et SWAVING l. l. *pag.* 42. (147) *Moral. Relig. pag.* 85. (148) Sententia haec expofita est in libello nefario, *Peccatum originale* κατ' ἐξοχὴν *fic nuncupatum*; ref. DOEDERLEINIO *Inftit. Theol. Christ. lib.* II. *p.* I., *c.* I. § 178. *obfervat.* I. edit. fextae ut et *obferv.* 6. eiusdem paragraphi, ubi et KANTII fententia de hac historia legitur.

CHRISTOLOGIA.

Doctrina de IESU CHRISTO.

§ 72.

Cum fuperioris aetatis interpretes, vestigiis ORIGENIS et COCCEII infiftentes, in allegorica f. f. interpretandi ratione ambigua admodum et fallaci, ingenii vires mirifice exercerent, atque ubivis in V. T. Servatorem esfe promisfum et praemonitum crederent, et vero etiam ex omnibus fere historiis facris imaginem Mesfiae rerumque Christianarum eruere studerent, huius aevi multi interpretes, a veritatis via abrepti, contrariis impliciti funt erroribus. Totum enim IESUM nostrum CHRISTUM, Israëlitis promisfum, omniaque, quae ad ipfum fpectant, in V. T. fcriptis nullibi reperiri opinati funt. Quot quantaque incommoda ex illa profecta fint opinione, dici omnino nequit. Quodfi enim IESUS, et qui fecuti funt illum, Apostoli, multa V. T. loca ad caufam fuam accommodantes, tali modo locuti fint de iis, ut de veri nominis vaticiniis haud aliter loqui potuerint, neque id bona fide egerint, non tantum omnis eorum auctoritas divina, fidesque illis habenda, fed et eorum candor et integritas toties laudata veritatisque ftudium pesfumdentur necesfe est. Quas tamen dotes ab ingenuis veritatis virtutisque praeconibus abesfe non

Digitized by Google

posse, nemo est, quin concedat. Imo vero ad infimam impostorum detruduntur classem qui, ut aurem vulgi captent, per fas et nefas, quodvis arripiunt, et nihil non audent. Quodsi igitur veteres S. C. interpretes fere omnes, quam plurima V. T. loca promiscue ad MESSIAM transferentes, per arbitrarias interpretationes suas, rei Christianae invito animo pessime consuluerint, recentiores etiamsi in contrarias inciderint hypotheses, per suas tamen interpretationes aeque arbitrarias, cum illis faciunt, ita ut omnis eorum labor longe maius detrimentum rei christianae importaverit. Quare et turpe est hisce doctoribus, qui adversus illos criminationibus abundant, cum maior culpa ipsos redarguit.

§ 73.

Multa adferri possunt exempla. Omnes enim hi Theologi multa de MESSIA olim revelata vaticinia tali modo allegorice explicarunt, ut inde omne argumentum ad I. CH. divinam legationem probandam infirmetur: ita v. c. *Ps.* II: *vs.* 7. *ego hodie genui te*, secundum eorum opinionem, perperam de MESSIA explicatur. Totus enim psalmus ad DAVIDEM solum referendus est, ita ut verba allata exponi possint et debeant, *Mi Fili! Ego hodie te* constitui regem; uti et verba *vers.* 12, *beati sunt ii, qui se recipiant ad eum*, commode per paraphrasin, *beati sunt illi, qui iusto huic regi se tradant et ipsius legibus obtemperent*, exprimantur. (149)

Ps. porro XLV nullo modo ad MESSIAM referri potest, Deus enim nunquam filium suum ut *Deum* allocutus est; ita ratiocinantur hi theologi. Attamen in hoc psalmo occurrit formula, *o Deus! Deus tuus te unxit*; quomodo haec conciliari possunt? non alia nisi allegorica interpretatione. Poëta hic regem excellentissimum appellat Deum, quemadmodum in C. S. reges saepius Dii nuncupantur. *Psalmum* CX ad DAVIDEM respici et continere dicunt canticum in eius honorem, occasione victoriae reportatae ad urbem *Rabbam*. Atque sic verbis, *dixit* IEHOVAH *Domino meo*, inesse sensum volunt, *dixit* IEHOVAH *regi suo*, scilicet DAVIDI.

(149) Vid. TELLERI *Versuch einer Psalmen-Übersetzung.*

Digitized by Google

§ 74.

Quum hac et huiusmodi ratione theologi nostrae aetatis multi omnes de I. c. promissiones per interpretationes arbitrarias ad perversas suas opiniones accommodarent, non mirum videri potest, plures etiam hoc tempore fuisse, qui *naturam Filii Dei divinam* negarent, et CHRISTUM tantum φιλανθρωπον esse probare conarentur. Sic, secundum PRIESTLEII sententiam, nihil ad probandam CHRISTI divinam naturam afferri potest ex N. T. scriptis. Quodsi enim pauca loca sic explicantur, nullum bonum et cum contextu cohaerentem reddunt sensum. Accedit quod, iuxta ipsius sententiam, haec loca si ad Filii Dei divinam naturam comprobandam referantur, cum loquendi formulis, eo tempore usitatis, haudquaquam conveniunt. Addit denique, quod, si haec de Filii Dei natura exponantur, tum facile interpreti sit quodcumque dogma ex illis comprobare. (150) Eodem modo STEINBARTUS in libro, qui inscribitur *Leer der gelukzaligheid pag.* 333 totidem verbis docuit, omnem PAULI hac de re doctrinam accommodatam fuisse ad philosophiam iudaicam, rudibus atque indoctis hominibus plane incognitam, quare eius effata minime ad essentiam doctrinae christianae referri possint. (151) Concedit quidem, nonnulla reperiri, quae ad divinam CHRISTI naturam spectare videntur, verum tamen illa omnia proponi putat ita, ut allegorica ratione explicanda sint, si veram eorum sententiam intelligere velimus. Eodem modo BAHRDT, (152) I. G. HERDER aliique suas hac de re in medium protulerunt sententias. Sic IERUSALEMUS inquit, „allegoricae locutiones, *in Epistola ad Hebr.* obviae, tam obscurae sunt, ut nullo modo comprehendi, nedum CHRISTO adaptari possint." Atque hac ratione omnes fere hi theologi ingenii sui lusibus frena laxarunt.

(150) *Hist. der Verbaster. Inleid. bl.* 3. ref. SWAVING *l. l. pag.* 34. (151) *Ophelderingen* 2de stuk *bl.* 41. (152) Quid ille hac de re statuerit, vel ex hoc uno loco in lib. suo, *Brieven over den Bijbel* 1 deel bl. 90, intelligi potest. „Niet alles, mijne broeders, (zegt hij), wat JEZUS leerlingen dachten en zeiden, was zoo geheel juist, dat wij niet meer geregtigd zouden zijn, om op het verbeteren hunner denkbeelden te letten; bijzonder hingen zij te stijf aan de Joodsche uitdrukkingen, die JEZUS somtijds gebruikte, wanneer hij van zijnen persoon en bestemming sprak, en dachten daarbij steeds de volle Joodsche begrippen, in plaats dat zij dezelve in de naauwste vergelijking hadden moeten opnemen: b. v. wanneer hij zeide, dat hij de MESSIAS was, de Zoon des menschen." enz.

Digitized by Google

De meritis IESU CHRISTI *et ſpeciatim de ſic dicta ſatisfactione.*

§. 75.

Quum de IESU CHRISTI in homines meritis iam antiquioribus temporibus ortae ſunt quaestiones frivolae ſatis, et ab ipſa re, quae a nobis pervestigari haud queat, omnino removendae, num nimirum Servator ſuſtinuerit *tormenta vere infernalia*, num ad paſſiones CHRISTI vicarias omnes referendae ſint *ſollicitudines*, *iniucunditates* et *molestiae*, quas per univerſum vitae curſum pertulerit etc. ab hoc alio in aliud extremum pedetentim theologi prolapſi ſunt, recentiores longe alias de Servatoris in hominum genus meritis, per paſſionem et mortem acquiſitis, opiniones in medium produxerunt, ſibi perſuadentes, omnia omnino, quae huc ſpectant, ab Apostolis prudenti conſilio eſſe accommodata ſui temporis hominum ingeniis et ſtudiis.

Sic doctrinam, quam ipſe tradidit CHRISTUS de meritis ſuis, longe eſſe diverſam docent ab illa, quam tradiderunt Apostoli. Ex illorum ſententia, in Commentariis de I. C. vita totum conſilium in curanda hominum ſalute huc redit: ut auctoritate inſigni munitus Servator, quovis agendo et patiendo, verum cultum Deo praeſtandum, cum ſincera animi emendatione et verae virtutis ſtudio, praeciperet hominibus, eosque hoc modo ad veram et ſempiternam adduceret felicitatem. Hanc doctrinam ab Apostolis non quidem adulteratam dicunt, ſed expolitam et exornatam. Ex perpetua enim Apostolorum conſuetudine colligunt, illos ubicunque curare, ne placita ſua de morte CHRISTI vicaria deſint primario Euangelii argumento de hominibus emendandis, illosque tamen ſemper ad id recurrere, in quo doctrinae moralis vis ſumma conſiſtat. Existimant igitur, omnia, quae de morte C. expiatoria traduntur, ab Apostolis accommodata eſſe ad praeiudicatas Iudaeorum opiniones, qui tantum pretii ſtatuere ſolebant in ſacrificia, ut, niſi illa intercederent, gratiae nihil a Deo poſſe exſpectari, ſibi perſuaderent. Itaque contendunt, Apostolos, horum hominum imbecillitati indulgentes, uſos fuiſſe loquendi formulis, quae Eccleſiae recens fundatae conſtabiliendae et amplificandae adhiberi quidem poſſent, verum in Eccleſia iam ſatis firmata abiici debeant ab iis omnibus, qui non Christiani ſunt facti, ſed nati et educati.

Digitized by Google

§ 76.

Sic v. c. PRIESTLEIUS formulas: *qui se dedit ipse in redemtionis pretium pro quibusvis*; *Deus Filium suum tradidit* etc. ita allegorice explicavit, ut significent *Euangelium* ut rem maximi pretii *a Deo cum hominibus communicatam* eo consilio, ut homines per hanc viam ad veram perducerentur salutem. Universam de hominibus Deo reconciliandis doctrinam, ab ecclesia christiana receptam, non alio niti fundamento, EBERHARDUS opinatur, quam quod petatur ex formulis illis Apostolicis allegoricis, iuxta propriam significationem rite expositis. (153) HENKEIUS hac de re ita locutus est: „opus illud I. C. expiatorium nihil aliud in se continet, nisi opus *legati* seu *interpretis divinae voluntatis*, *prophetae* et *hominum doctoris*." (154) A. RIEMIUS per hanc doctrinam intelligit doctrinam de *felicitate*, *quae arctiori vinculo cum moralitate coniuncta* sit, a Deo hominibus traditam. Omnes huc spectantes loquendi formulae si proprie exponantur, in se continere monet absurdas notiones; quod si contra minus proprie exponantur, quemadmodum fieri debeat, probabilem fundere sensum. (155) *Matth.* XI: *vs.* 28—30. *Ioh.* XI: *vs.* 25 et 26. XIV: *vs.* 6. IESUS solummodo monuit, suam doctrinam unam esse veram, quae huc redeat; „quicumque virtutem colat, is homo vere Christianus est, etiamsi nihil unquam de CHRISTO eiusque disciplina audiverit." (156) Addunt alii, qui eandem hanc sententiam amplectuntur; „omne id, quod de I. C. eiusque meritis in s. f. traditur, ad Iudaeorum opiniones philosophicas accommodatum est atque allegorice explicandum." (157)

(153) *N. Apol. des Socrat. ref.* SWAVING *l. l. pag.* 38. (154) *Lineamenta, pag.* 150. (155) *Moral. Relig pag.* 66. (156) STEINBART *L. d. G. pag.* 208, 210, 221. (157) Vid. Scriptor anonym. lib. *das reinere Christ. Relig. der kinder. des lichts.* Conf. H. MUNTINGHE V. Cl. *in compend. Th. Chr. l.* II. *p.* 2. *c.* I. *sect.* I. § 485.

§ 77.

Miramur profecto horum theologorum temeritatem; qui omnia, quae de παθημάτων consilio meritisque IESU CHRISTI in N. T. leguntur, allegorice esse exponenda contendentes, universam doctrinam christianam ita contorqueant, ut nihil remaneat amplius, quam quod per omnia secula philosophos sa-

Digitized by Google

na docuisse videatur ratio. Gloriantur et ipsi, sua se luce ab hominum ingeniis tantam dispulisse caliginem, quantam illis offuderit s. scriptorum allegorica docendi ratio, ad Iudaeorum opiniones accommodata! Quam abiectum est hoc gloriae genus!

Quodsi quis velit vere gloriari, is glorietur hoc nomine, quod CHRISTUM agnoscat, divinae sapientiae fontem, quae universa hominum sapientia longe sit superior. Omnis sapientiae gloria uni debetur CHRISTO, qui a perfecta sublimioris veritatis intelligentia sua ad nostram descendit simplicitatem. Quo igitur simplicior eo magis vera est habenda doctrina CHRISTI Euangelica. Haec coelestis veritatis simplicitas, per simplices, per literarum rudes et indoctos homines, divinitus vero eruditos, propagata, subtilissimam et ex diversis diverse sentientium hominum commentis concretam philosophiam, falsarum plenam opinionum, expugnavit. Haec simplicitas, iis, quae iuxta vulgarem hominum aestimationem videntur vera, opposita, docuit contraria, quae vera sunt, eaque in luce clarissima collocavit.

T A N T U M.

Simplex veri sigillum.

BOERHAVIUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

WESSELII ALBERTI VAN HENGEL

ORATIO

DE

SINGULARI RELIGIONIS CHRISTIANAE VI ATQUE EFFICACITATE AD PIAM ET HONESTAM PUERORUM EDUCATIONEM.

PUBLICE HABITA IN ATHENAEO

FRISIACO.

Die VI Novembris CIↃIↃCCCXVII.

Cum Rectoris Magnifici munere abiret.

Digitized by Google

GUBERNATOR FRISIAE ILLUSTRISSIME!

ATHENAEI FRISIACI CURATORES AMPLISSIMI!

PROFESSOR HONORARIE, CETERIQUE QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, COLLEGAE CONIUNCTISSIMI!

SACRARUM LITERARUM INTERPRETES HONORATISSIMI!

ARTIUM AC DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI!

QUOTQUOT ADESTIS, CIVES, HOSPITES, SUO QUIQUE LOCO ET DIGNITATE CONSPICUI!

PRAESTANTISSIMI DENIQUE IUVENES, PATRIAE SPES, ATHENAEI ORNAMENTUM, NOSTER AMOR ATQUE DELICIAE!



Si quid est in rebus humanis, quod tam ſingulorum hominum, quam univerſae illorum ſocietatis, verae ac ſempiternae ſaluti inſerviat; tali haud dubie loco haberi meretur ab omnibus Educatio puerorum prudenter inſtituta. Quemadmodum enim neglecta agricultura, ut iam a PLATONE dictum est, agri foecundisſimi horridi iacent et inanes; ſic mortalium nemo probus evadat ac bonae frugis, niſi cuius animus, virtutis tanquam ſemine accepto, asſidue excolatur. Sed ſicuti parentes aeque atque agricolas haud raro ab officio avertunt pigritia, mollities, ſtupor, inflexibilis opinionum obſtinatio; ſic etiam aetatis tenerae levitas, ubi partes ſuas bene agunt parentes, labori eorum indefesſo ſaepisſime obnititur. Huic igitur hominum vitioſitati, ne, depravatis iam a puero animis, commune bonum funditus perdatur; adhibenda omnino

Digitized by Google

cura et medicina est. Est autem non uni alterique malo; ſed errorum ac vitiorum ſocietati et contagioni occurrendum, atque efficiendum, ut quam diligenter pueri in ſtudium virtutis incumbant, tam religioſe parentes in iis educandis verſentur. Quod cum Veteres recte intelligerent; de utrorumque officiis monuerunt ac posteritati reliquerunt multa, quae vel ipſi ingenio excogitaverant, vel acceperant a maioribus: uti in libris *de legibus* et *de Republica* PLATO; in *Politicis* ARISTOTELES, PLUTARCHUS in commentatione *de Prolis amore*, nec non incertus auctor libelli *de puerorum educatione*, in PLUTARCHI operibus vulgo numerati, CICERO, denique, ANTONINUS, alii, quos recenſere nihil attinet. At vero, quamquam virorum istorum ſcripta praeceptis abundant ſatis bonis et egregiis; hisce tamen multo plura, uti aliis in rebus, ſic hac etiam ratione, ad ſalutem generis humani fecit Religionis Christianae doctrina. Cuius igitur quam *ſingularis* ſit *vis et efficacitas ad piam et honestam puerorum Educationem*, viſum mihi est hodie, cum regimen huius Athenaei quantulumcunque oratione habenda depoſiturus eſſem, pro viribus meis ostendere. Dicam autem ita, ut primum rationem habeam *praeclari Religionis Christianae ingenii;* tum vero *historiae excitem testimonia.* Vos, quaeſo! A. A. H. H., ſi hoc orationis meae argumentum non indignum iudicatis hac doctisſimorum virorum celebritate, neque nostro plane ineptum tempori, quo puerorum ~~Educatio omnium in ore ac~~ ſermone verſatur; hunc mihi dicenti favorem praeſtetis ac benevolentiam, ut errores meos placide et humaniter feratis!

Religio igitur Christiana quemadmodum ita comparata est, ut ad munera quaevis huius vitae rite obeunda ſectatores ſuos gravisſime adhortetur; ſic tota etiam est in pia atque honesta puerorum Educatione monitis ſuis ac praeceptis adiuvanda. Quod nemo prudens intelliget ita, ac ſi homines novis quibusdam educandi legibus adſtrinxerit, vel Educationis perfectae numeriſque abſolutae imaginem ſermone expresſerit. Philoſophis nimirum id reliquit experiundum, tum Graecis et Romanis, tum recentioribus maxime, ROUSSAVIO, BASEDOVIO, CAMPIO, SALZMANNO, PESTALOSSIO, aliisque, quorum multi non ſine laude hoc in labore deſudarunt. Maluit ipſa popularis eſſe, et parentibus commendare, quae aliunde nota erant, quam nova proferre, aut artificioſe compoſita. Nec decebat eam, ſeſe ſubtilioribus ſcholarum disputationibus immiſcere, aut quae ancipitis eſſent uſus, tanquam officia inviolata uni-

Digitized by Google

cuique iniungere; aut vel disciplinae suae probitatem longa argumentorum serie ab aliorum dubiis vindicare. Enimvero *mandata* edicere nemini non saluberrima, atque haec proponere ita, ut proponi debebant decreta Dei, sine ornamentis verborum aut lenociniis; hoc unum conveniebat religioni, quae, ut voce fallere nescia doceret mortales, de coelorum regionibus descenderat. Igitur parentes accurate monet, ut liberorum animos a teneris unguiculis sensu imbuant virtutis ac pietatis, idque tanti facit, ut ad societatis Christianae regimen vetet admitti, qui hoc officium deserere non vereatur. Probat praeterea, illustrat, ad indolis suae mansuetudinem conformat et emendat, quidquid huius generis a MOSE, DAVIDE, SALOMONE, ceterisque sanctis viris mandatum, in Veteris Testamenti codice continetur. Tota vero eius doctrina tam est perfecta, et ad omnium virtutum amorem cuivis inculcandum composita, ut, si vel tacuissent IESUS et Apostoli de eo, quod pueris deberetur; nemo tamen unus vocem eorum et institutionem desideraret. Nam qui ad CHRISTI legem sese studet suosque applicare mores, Christianus erit, qualem ab antiquis descriptum legimus, in omni negotio iusti et honesti tenacissimus, adeoque et officiorum erga liberos suos observantissimus.

At sunt, inquies, hominum plurimi imbecillitatis tantae ac perversitatis, ut, quamvis probent meliora et laudibus efferant, deteriora tamen sequantur! Audio, nec dissentio. Sed habet Religio Christiana propria sibi ac peculiaria virtutis *incitamenta*, quibus mirifica inest gratia et sapientiae divinae commendatio. Docet enim ea, parvulos istos, qui omnium rerum prodeant egentiores bestiis, cum beatis coelorum geniis cognationis vinculo copulatos esse, ipsiusque Dei, cuius de semine sati sint, in animis, veluti in fronte, imaginem gestare. Utique nihil est, quod amorem illum naturalem, quo, CICERONE monente, cum prole nostra coniungamur, vehementius alat, augeat, supra mediocritatem humanam extendat. Proinde alii sortem lugeant puerorum tanquam gravem et deplorandam! Parens vere Christianus gratulatur iis in vitam introeuntibus, eosque tam caritate et quasi veneratione, quam misericordia prosequitur. Nec satis putans officio factum, si ad iustitiam, quam iura postulent civitatis, flexerit eos atque informaverit; candore animi ac simplicitate, quorum ad amorem nemo humanis compellitur legibus, eos implere conatur, coelestisque quotidie patris efficere similiores. Quod ut succedat melius, ecce! monet Religio, non casu aliquo nobis nasci prolem, sed divinitus

Digitized by Google

eam curae nostrae committi, ut saluti eius et integritati inserviamus. Est itaque recta puerorum Educatio maius quid, quam studium, quod veteres opinati sunt, reipublicae satisfacere cupientis. Est pietatem testificantis pectusque devotum Deo. Est obedientis legislatori illi omnium supremo, singula nostra in liberos nostros beneficia praemiis remuneraturo, non intra breve huius vitae spatium conclusis, sed fato maioribus, et nunquam interituris. Quemadmodum igitur sese agricola, ut segetis proventum consequatur, laete et alacriter rustico submittit operi; sic non aliter potest, quin Christianum etiam hominem ad pueros strenue excolendos mirum in modum excitet et impellat dulcioris illius messis spes et exspectatio. O terque quaterque beati parentes, qui in sancto tandem coelestium coetu stipari sese vident ab iis, quos hac in vita mortali ad immortalitatem genuerint, laudibusque ac gaudiis aeternum cumulari!

Verumtamen vix ac ne vix quidem bona et probanda erit puerorum Educatio, nisi *vis affectuum*, quibus mens solet ab officio avocari, tanquam freno cohibeatur, et ad virtutis studia flectatur. Cui quidem negotio fatemur, Philosophiam Veterum operam suam diligenter dedisse; sed longe plura Religioni Christianae accepta referenda sunt. Primum enim ambitioni illi, in puerorum Educatione, quod magni viri acerbe queruntur, insolenter ab aevo regnanti, suoque veneno teneros animos inficienti, nullam omnino de vita et moribus disciplinam fortius et sapientius quam disciplinam IESU obsistere videmus. Improbat nimirum haec et acerrime oppugnat, quidquid est gloriosae, vanis et caducis rebus superbientis. Nullam patitur cupiditatem, quae studio virtutis adversaria sit, in pectore residere, sed igniculos eius, quam primum apparent, delere et exstinguere conatur. Abest vero tantum, ut omnem laudis amorem puerorum animis velit expelli, ut in erigendis iis ad spem et desiderium laudis illius, quae mentem comitetur recti sibi consciam, multa sit et assidua. Quo facto si puerorum saluti eximie consulit; videte, quanto cumulo beneficentiam suam augeat irarum aestu et furore, quo libido patrum in parvulos frequenter saeviat, corrigendo et domando. Et cum rarenter admodum ex voto succedat Educatio, ni ab utroque parente suscipiatur; hactenus etiam Religio haec augusta de puerorum conditione bene meretur. Quandoquidem enim, coniugibus sibi mutuo foedere indissolubili obstringendis, divortia coërcet; marem facit uxori, uxori vicissim marem in erudienda sobole opi-

Digitized by Google

talantem. Huius autem retardans audaciam, qua fibi fexum debiliorem tanquam victoris iure folet fubiicere, faciliori matri, quo ftudia clementiae et mifericordiae mollibus ingeneret puerorum animis, et locum fuggerit et voluntatem. Ceterum postquam femel fervitus auxilio eius Europa expulfa est, caveri iubet perpetuo, ne, redeunte ea, redeat iterum ad fervos educandi munus, taliumque custodum negligentia vel nequitia innocui pueri ALCIBIADIS inftar depraventur.

Satis igitur fuperque ad piam et honestam puerorum Educationem Religio confert Christiana. At vero, ne quid beneficiis fuis defit; variis infuper *adiumentis* mediocritati nostrae fuccurrit. Quod quis est, qui aufit in dubium vocare, dum in memoriam redeat eorum, quae de providentia Dei, cultoribus fuis certisfime fubvenientis, a IESU et Apostolis tradita fint, et parentibus haud fecus quam aliis promisfa? Utique in tenui hac nostra conditione ad educandi negotium fideliter obeundum divini favoris et opis praeftat fiducia, quam fuperbum COTTAE iudicium, fortunam a Deo petendam, a fe ipfo fuméndam esfe fapientiam. Etiamfi autem irrita videantur optima quaevis ad puerorum falutem confilia et incepta; non tamen irritae funt preces, ad fummum rerum moderatorem illorum gratia misfae: fed moestos parentum animos miro folatio perfundunt, erigunt, ad renovandam curam et vigilantiam, fupra quam dici potest, impellunt. Quid quod pueri, cum parentibus adfunt, commune familiae bonum precantibus, vel de iustisfimo monentibus omnium mortalium iudice, ipfi illi pia Dei reverentia et amore facillime implentur? Quam vero foecundum iis paulo adultiore aetate recti et honesti nutrimentum est, Christianorum templa intrare! Hic fane non, ut Veteres, obscoenis Comoedorum Tragoedorumve vocibus ad vitia irritantur, fed doctores audiunt virtutis, fi minus difertos, at a iocis tamen fcurrilibus, fi quidem officio fuo recte fungantur, cum maxime alienos, pudorisque ac verecundiae nunquam immemores. Hic fimul parentes fuum habent facrarium, ubi tum publico Dei cultu, tum rituum fanctorum celebratione, veluti iureiurando, ad piam et honestam liberorum Educationem obligantur. Sed nondum dixi de utilitate, pueris una cum parentibus ex facri codicis lectione et ufu percipienda. Verum enim vero quis fatis posfit ad laudem dicere libri, doctrina quidem praeclara et plane divina referti; at vel fic tamen, multo magis quam HOMERI carmina, ad captum et voluptatem puerilis ingenii pro magna parte mirifice compofiti?

Digitized by Google

Nonne hoc in libro eiusmodi traditur disciplina, quam qui imbiberint, ad tolleranda quaevis, quin, quod merito suspexit antiquitas, ad imperandum sibi pares efficiantur? Nonne si PLATONI sacris Christianorum, decore et religiose selecta DAVIDIS carmina canentium, interesse contigisset, hanc unam esse dixisset Musicam, cuius modulatu pueri ad humanitatem essent informandi? Nonne quod ex magnis CATONUM et SCIPIONUM exemplis edisci nequit, mature iam ex IOSEPHI aliorumque virorum, pietatis laude celebrium, ac IESU imprimis ediscitur vita, vana esse omnia nostra de hominum societate bene merendi studia, nisi a Deo parentibusque colendis et amandis ordiamur?

Stat itaque, nisi fallimur, sententia nostra, et stabit omni tempore inconcussa, singularem vim atque efficacitatem ad piam et honestam puerorum Educationem Religioni Christianae inesse. At ne quis forte putet, *Historiae* vocem nobis repugnare; hanc, age, nunc, quae altera huius orationis pars est, testem nobis et auctorem locupletissimam excitemus!

Fateri quidem haud recusamus, rudem et infimam Christianorum plebem prolis suae salutem turpiter adhuc negligere, neque eos etiam, qui genere ac conditione prae ceteris emineant, ab omni negligentiae culpa liberari posse. Sed transferendum id est in communem hominum labem et corruptionem; minime vero in opprobrium disciplinae nostrae vertendum. Est nimirum *hoc nostro tempore* nusquam alibi tam culta et expolita puerorum educandorum ratio, quam inter Christianos: qui quanto clarius divina CHRISTI doctrina illustrantur, tanto longius hac in parte ceteros omnes homines post sese relinquunt. Sive enim ad gentes barbaras, quas iam cognovere Veteres, oculos convertimus, sive contemplamur eas, quae recentiori demum aetate innotuerunt; apparet evidenter, omnes tam iacere in tenebris involutas, ut disciplinae lumen, quod adspergant pueritiae, vel exiguum habeant, vel plane nullum. Populos autem, qui in cultiorum numero recenseantur, quis est, qui nesciat, in educando gravissime errare, ne dicam, piacula, quae in Christiana societate vix fando audiantur, in liberos impune committere? Dic, age! certum est an vagus rumor, raram ibi verae pietatis et virtutis curam esse: frequentem contra et pene vulgarem puerorum irritationem, tam ad odium, invidiam, ferocitatem, quam ad mollitiem effoeminatam? Negabis forte Eunuchis et vanis mulierculis sequacem saepe concredi animum, fierique SARDANAPALI similem, qui ACHILLEM imitari potuisset? Nonne sunt etiam, ubi tam parum pueros

rum vitae parcant parentes, quam extranei eorum pudicitiae: ut difficile dictu ſit, magisne miſericordia moveamur imbecillae aetatis, an indignatione talia patrantium? Sed cur longus ſim in notandis ſingulis huiusmodi vitiis et peccatis; cum, qualis ſit educandi ratio, quam gens quaeque ſequatur, ex univerſo eius vivendi genere clarisſime eluceat? Adeamus igitur Turcas, Perſas, Indos, Chinenſes! Civilem eorum ac moralem intueamur ſtatum ac conditionem! Illine ſunt omnium mortalium ſanctisſimi et innocentisſimi, quales eos VOLTARIUS aliique finxerunt? Apage praecones istos laudum humanarum, ut debitam divinae CHRISTI doctrinae laudem eripiant! Vos testor, ISELINE, HERDERE, STUARTI, MUNTINGHI, et qui plures artium ac disciplinarum ortum et progresſum ſcriptis vestris illustrastis: et Vos, expertisſimi viri, qui, exteris terris impigre peragratis, earum etiam ſpectaculum Europae obtulistis! Vos, quantum in istis gentibus feri ſit et inhumani, voce vestra, hoc meo ſermone graviore, enarrate, omniumque in memoriam revocate!

Sed necesſum omnino est, ut ſententiae nostrae praeſidia repetamus altius. *Veteres* enim, praeſertim Graecos, ſi prolis educandae ratione nobiscum comparamus; mirum dictu est, quantum nos prima videantur fronte in recti et honesti ſtudio ſuperare. Leges videmus ab eximiis viris, SOLONE, LYCURGO NUMA ſancitas, et per longam ſeculorum ſeriem ſervatas. Scholas reperimus ac disciplinas virorum, qui ad exemplum SOCRATIS et PYTHAGORAE reipublicae dederunt cives, EPAMINONDAE atque ARISTIDIS aemulos. Moralia illa audimus praecepta, quibus acutisſimi Philoſophi, et parentes ad ſedulam liberorum curam permoverunt, et liberos ad obſequium parentibus praeſtandum. Ferreus profecto ſit, et ab omni humanitate alienus, qui hisce Veterum invideat bonis, eorumque egregia facinora, quod imprudenter excidit AUGUSTINO, ſplendida peccata vocare auſit! Verumtamen hinc nullo modo ſequitur, haecce bene merita, bene meritis CHRISTI paria dicenda esſe vel ſuperiora. Tu quidem illos ais doctiorum et urbaniorum hominum ſoboli vel ſuis promiscue civibus profuisſe? Rectisſime! Sed tam exteris quam civibus, ſed plebeio ſanguine quam patricio natis, ſed univerſo generi humano CHRISTUS. Tu porro ad iuvenum maxime et adoleſcentum commoda eorum praecepta ſpectasſe contendis; at CHRISTI doctrina haud ſegnius ad parvulos et infantes. Hic igitur totius orbis faciem in melius mutavit. Ubinam tandem hodie civitas est Christiana, cui, ut *Megarenſibus* olim, in uſu ſit, nul-

Digitized by Google

ſam prorſus habere puerorum curam? Ubinam parentes, disciplina hac inſtructi, unos fovendo filios, filias fere negligendo antiquorum plurimos imitantur? Quis pius IESU ſectator omnia in educando ad huius vitae refert emolumentum, futuri ſocors et improvidus? Meliora utique cultores ſuos docuit Religio ſanctisſima. Hinc mores non ſolum populorum expoliti, ſed publicae etiam emendatae leges. Igitur non amplius, ut SPARTAE et alibi, pro disciplina et castigatione valet ſaevitia. Non recens nati deformitatis cauſa necantur. Non exponuntur, niſi clanculum, nec ſunt, qui id audeant, praeter paucos nefarios. Non vendit quis ſobolem ſuam, ut ſerviat alienis, ſed ſuis ſinguli proſpiciunt. Cui labori cum ſponte ſeſe et libenter ſubmittant omnes boni; plures nunc una in urbe reperiuntur, qui a teneris virtute imbuantur, quam antiquitus in amplisſima regione. Sed quid moror in hisce domesticis, quaſi in istis ſibi adeo placuerit Christiana pietas, ut publicam puerorum inſtitutionem non curaret? Immo facies est Europae, facies inprimis terrarum, ubi ſacra haec laetisſime florent, repraeſentanda animo. En pagos vicosque minutisſimos disciplinae haud egentes! En ſcholarum plurimas emendatas identidem Christiana providentia et ad normam naturae conformatas! En benevole ab aliis adoptatos, eruditos, ad pietatis amorem impulſos, quos mors importuna parentibus orbaverat! Neque amplius nati de ima plebe, quod veteres conquesti ſunt, negliguntur, ſed excoluntur ſedulo, vitiisque purgantur, et, quamvis obſtat parentum vecordia, vel ſic tamen ad officium perducuntur.

Sunt fortasſe, qui opinentur, acceptum me referre CHRISTO, quod *Philoſophiae* donis tribuendum ſit. Sed habere mihi videor A. A. H. H., quo vobis ſcrupulus hicce eximatur. Non ſane ego tam ingratus ſum, ut Philoſophiae luci oculos praecludam: aut in iis, quae vere hominum ſint, humani ingenii nolim agnoſcere ſolertiam et acumen. Neque adeo ſum ſtupidus, ut ignorem, nobis Christianis, quod tantos in educatione profectus aetati nostrae gratularemur, non fuisſe eventurum, niſi in Philoſophia atque omni genere humanitatis tantopere profecisſemus. At enim vero huius felicitatis nostrae haud minima pars Christianae debetur Religioni, cuius et ſacrorum inſtauratio quoddam fuit quaſi pabulum ſtudiorum, et incomparabilis doctrina literas ac disciplinarum plurimas adhuc inſigniter illustrat. Sed attigisſe ſufficiat obiter, quod VILLERSIUS aliique eruditisſimi viri copioſe probarunt. Quam clarum autem hoc et contestatum est; tam certo mihi perſuaſum habeo, multa

Digitized by Google

Religionem ad puerorum ſalutem praeſtare, quorum in partem nec literae veniant, nec Philoſophia. Quod, ſi conſideratis, quanto gravius animi divinae vocis reverentia, quam inſtitutione humana afficiantur; veſtrum nemini mirum eſſe poterit. Verum verbis non opus est, ubi luculenta rerum adſunt testimonia. Cui enim ignota ſunt IESU et Apostolorum, queis nulla patuerat Philoſophorum ſchola, ad acuendos pueros et pietate ornandos ardor et ſedulitas? Cui latet, inclytam illam hominum ſocietatem, ubi rara esſet doctrinae elegantia, tam excelluisſe in educanda prole, quam in omni virtutis genere? Primaevos dico Christianos, quos quo tempore res nulla patri, dolente IUVENALI, minoris conſtaret, quam filius, unanimi prope conſenſu liberos ad amorem Dei et humani generis exſtimulasſe, domestici tradunt exterique ſcriptores. Hic igitur vulgaris erat animorum illa emendatio ac perfectio, quam PLATO dixerat, PERICLIS aetate ne vel uni homini obtigisſe. Hic multi exterorum adeo ſtupore capti, ut novam educandi rationem certatim imitarentur. Hic MAMMAEA, ALEXANDRI mater, quod PLUTARCHUS et alii de pueris a pravo ſodalitio amovendis praeceperant, ſi HERODIANO fides est, prudentisſime perficere edocta. Neque vero Christiani larvarum et ſepulcrorum terriculis, qui tunc nutricibus mos erat, vitiorum odium pueritiae incutiebant, ſed cordibus virtute exercitandis mali incitamenta feliciter enervabant. Multa autem utilisſima, quae nec valde curabant Philoſophi, nec ceteri homines, ſuorum in animis etiam atque etiam imprimebat Religio. Hac duce et magistra parvuli haud ſecus atque adoleſcentes arcebantur a ludis et ſpectaculis, quo Romana proles non ſine gravi miſericordiae ac pudoris detrimento conveniebat. Eadem duce cantandis, legendis, cogitandis, precandis iis, unde ſanctimonia augmentum caperet, iam ab ineunte aetate adſueſcebant. Haec parentum incendebat animos, ut exemplum ederent pietatis et virtutis, ad quod liberi totos ſeſe componerent. Ab hac misſi veteri aevo oratores, ORIGENES, CHRYSOSTOMUS, AUGUSTINUS, quum futuram bonorum malorumque ſortem, non ad Philoſophiae placita, ſed ex oraculo Dei exponerent, parentes ad liberorum curam, liberos ad parentes colendos acutisſimis ſtimulis excitarunt. Ab hac misſi nobis etiam arcana coelorum pandunt gaudia, ut, udam hasce omnes ſpernentes humum, ſanctisſimum Dei filium per totum huius vitae curriculum ad altiora ſequamur. O disciplina CHRISTI, donorum Dei omnium omnino longe gratisſima! O Religio, tantae ſalutis alma coe-

lestisque mater! Tu mentem hominum divino tuo lumine collustrare pergas; ut, puerorum educatione propius in dies ad perfectionis culmen accedente, tuae quoque laudes magis magisque amplificentur.

Sed haec committenda Deo. Mihi nunc progrediendum est ad enarranda ea, quae huic Athenaeo me Rectore, vel prospere, vel minus ex votis acciderunt. Maior tamen laetandi causa est quam dolendi.

Etenim vix erant solemnia praecedentis anni rite ac feliciter peracta, quin illustris Frisiae Gubernator singulari beneficio insignem suum in hocce Athenaeum favorem cum maxime testificaretur. Placuit nempe viro nobilissimo quingentos Athenaeo statuere florenos: unde Bibliothecae eius, in celeberrimis dudum numeratae, operis alicuius utilissimi fieret accessio. Igitur *Dissertationum Philosophicarum*, anglice scriptarum, volumina nobis data sunt viginti septem postrema, quippe quae quantivis pretii esse iudicarentur: additis etiam *Disquisitionibus Asiaticis*, eodem sermone vulgatis. Ego autem, Vir Munificentissime! cum erga te velim gratus esse, non ingratum tibi facere, ab inani laudatione abstineo. Faxit vero Deus, ut tu nobis nostrisque rebus longam adhuc annorum seriem patronus adsis fidelissimus: et eximia haec benevolentiae tuae significatio Frisiorum studia in patrium hocce Athenaeum maximopere intendat.

Sed hoc beneficio commemorato, de altero nunc porro mentio facienda est. Erat nimirum post casum Academiae Frisiacae, adhuc acerbe deplorandum, hortus eius foecundissimus copia sua ac varietate plantarum pretiosissimarum privatus, atque adeo desolatus, ut nullam amplius veteris sui splendoris imaginem referret. At hoc anno non solum vidimus purgari eum et diligenter excoli; sed herbis, floribus, arboribus conseri, atque ita decorari, ut nunc saltem spectatori haud prorsus displiceat, satisque videatur probabilis ad usum iuventutis. Quod cum ex parte munificentiae Clarissimi BRUGMANNI ac Nobilissimi LYNDENII debeamus, nec non Amplissimis Academiae Groninganae Curatoribus, quasi de iis, quae non ita pridem hinc illuc transierunt, pro humanitate sua grates referentibus; turpe profecto sit, virorum istorum laudes silentio praeterire.

Nec praetermittam, quod, annuente Augustissimo Belgii Rege, ab Amplissimis huius Athenaei Curatoribus ad hoc eius aedificium amplificandum et exornandum consultum factumque est Hinc instituendae Physices disciplinae

longe melior et accommodatior exſtructus locus. Hinc mox libris, ubi aptiore ordine collocentur, ſpatium non amplius defuturum. Sic iterum commodis proviſum Bibliothecae, cuius tamen vellem ne fidelis custos, deſiderium ſui haud dubie relicturus, importuna morte praereptus esſet!

At hunc nostrum ſi intueor ordinem, dicere vix posſum, quam dulci gaudio perſundatur animus. Valemus omnes. Omnes, qui praecedentis anni celebravimus ſolemnia, omnes adſumus. Neminem gravior afflixit morbus. Vivit etiam vigetque WASSENBERGHIUS, nemini ſecundus in ſtudiis, et hunc per annum *Secretarii* munere ſponte et libenter ſuſcipiendo de Senatu nostro bene meritus. Unus quidem de nobis, quod valde dolemus, Leidam vocatus abiit Cl. HAMAKERUS, *literarum Orientalium Profesſor:* ſed eius in locum ſuffecto, munusque modo feliciter auſpicato, Cl. viro, IOANNI CORNELIO SWYGHUISEN GROENEWOUD, nunc multum gratulamur. Utinam ſeni venerabili, CHRISTIANO ALLARDI convaleſcere contigisſet, atque festi huius hilaritati interesſe! Sed quid animum fatigamus, aeternis Dei conſiliis inferiorem?

Quod Athenaei huius attinet alumnos; perpauca in iis animadverti, quae reprehendenda esſent: multa, quae laudem mererentur. Laudanda plerorumque modestia et honesti mores. Laudanda multorum in ſtudiis diligentia: qua ſi procedunt via ac ratione; haud paucos auguror, nunc nobis adesſe, qui aliquando familiae ſuae ac patriae ornamento futuri ſint. Fuit etiam nobiscum, qui *de foeminarum Romanarum ingenio ac vi in res politicas*, quorum ad indagationem Academia Rheno-Traiectina ſtudioſam iuventutem invitasſet, tam egregie disputaret, ut, quum a reportando certamis praemio prope abesſet, digna conferetur commentatio eius, quae cum Annalibus huius Academiae in publicum esſet exitura. Quem tantum honorem filio decretum Cl. PIERSONI THOLEN, patri ſumme honorando, non posſum non gratulari. Hic vero ſtudiorum cauſa Leidam abiit, et profecti ſunt hinc alii; ſed tot huic Athenaeo alumni novisſime accesſerunt, ut nunc nostri diſcipuli numero ſint quinque et viginti. Quorum in commodum cum cetera omnia ex voto eventura cupiamus; tum etiam id optamus vehementer, ut linguae Franciciae, Anglicae, et Germanicae magister, cuius nobis aliquando ſpes facta est, quantocyus ad nos adveniat!

Haec igitur ſunt, quae commemoranda mihi viderentur. Nunc hoc ſupereſt

Digitized by Google

unum, ut, quem Amplissimi Curatores designaverint virum clarissimum, GABRINUM DE WAL, iuris utriusque Doctorem et Professorem, hunc ego in sequentem annum magnificum renunciem huius Athenaei Rectorem. Cui, ut regimen hocce maiorum more tradatur, tu, si placet, Collega Honoratissime! huc adscendas!

Aveto, Rector Magnifice! En tibi huius Athenaei Album! En porro, et sceptra, et sigilla, veteris maiestatis insignia; nunc vero non admodum honorata. Sumus enim nos quasi rectores naviculae, ex funestissimi naufragii fragmentis contextae, quae fluviorum iuxta ripas tendere tenetur, altum pelagus aliis relinquere. At est tamen aliquid gubernaculo adstare, clavumque flectere. Quod igitur tu strenue ac solerter agens, tertio nos tandem, obsecundante Deo, salvos et incolumes in portum introducas. Et vos Frisii! donec melior nobis fortuna obtingat, cursui nostro favete, levemque hancce ratem, priusquam quarto committitur itineri, bonorum ac sociorum copia onerate et ornate.

Digitized by Google

IACOBI GISBERTI SAMUELIS VAN BREDA

ORATIO

DE EDUCATIONE VERE LIBERALI, ET HISTORIAE NATURALIS STUDIO, INPRIMIS AD ILLAM CONDUCENTE

PUBLICE DICTA

FRANEQUERAE

Die XVI Octobris MDCCCXVI

CUM ORDINARIAM BOTANICES CHEMIAE, PHARMACEUTICES ETC. PROFESSIONEM IN ATHENAEO FRISIACO, SOLENNI RITU AUSPICARETUR.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRISIAE GUBERNATOR ILLUSTRISSIME!

ATHENAEI FRISIACI CURATORES, VIRI GRAVISSIMI!

MAGNIFICE RECTOR!

PROFESSOR HONORARIE! CETERIQUE ARTIUM ET DISCIPLINARUM PROFESSORES CELEBERRIMI!

CIVES, HOSPITES, QUICUNQUE AD HUNC ACTUM CELEBRANDUM CONFLUXISTIS, AUT MUNERUM DIGNITATE, AUT CULTU LITTERARUM, AUT ALIO QUOCUNQUE NOMINE INSIGNES, AUDITORES EXOPTATISSIMI!

TU DENIQUE LECTISSIMA IUVENTUTIS STUDIOSAE CORONA, NOSTRA DEHINC CURA, ATQUE, UT SPERO, GAUDIUM!



Intellectus humanus, Divinae certe originis, iure comparatur summo Imperanti, in abdito palatii sui recessu sceptra tenenti; varia per diversas palatii portas, sensibus aequiparandas, ad ipsius tronum accedunt; quae omnia, antequam admittantur, a iudicio inter se sunt comparanda, in classes ordinanda et a larvâ, quam saepius induere, dissolvenda.

Nihil est in intellectu, nisi quod antea fuerit in sensu, qui sensus fallere nescius, passive tantum, uti palatii porta introitum, et ad interiora aditum concedit; cum a iudicio pendeat, utrum rite proponantur intellectui, quae per sensus intravere.

Cum autem scientia rerum humanarum iis absolvatur, quae intellectus com-

Digitized by Google

plectitur, facile patet, omnem etiam hanc rerum humanarum ſcientiam a ſenſu originem ducere. Et habemus hac in re conſentientem ſummum Philoſophum Verulamium, qui ſcientiam duplicem ſortiri informationem ſtatuit; alteram, quae inſpiratur Divinitus; alteram, quae a ſenſu oritur.

Quodſi rerum humanarum ſcientiam per ſenſus acquiramus, diverſa certe erit haec ſcientia pro diverſis, quae ſenſibus fuere exhibita. Et cum eodem paſſu progrediantur tum veri et pulcri ſcientia et cognitio, tum animi virtus, fortitudo et conſtantia, demonſtratione non indigebit; quanti momenti ſit, ut obiecta bona, vera et clara ſenſibus exhibeantur; ſomnia contra, mala, fallacia et obſcura ab iis arceantur.

Hoc quod verum de omni aetate, inprimis valet de iuvenili. Hac enim aetate organa, quibus praeſertim utitur intellectus, quam maxime vigent; et vi vitali, ut ita dicam, turgent; atque ad omnem ſenſationem recipiendam ſunt aptiſſima; cum contra aetate provectiori intellectus fere omnis ideis occupetur a ſenſationibus anterioribus ortis; quin et aditus ad intellectum hiſce, iisque ſimilibus conſuetudine tam facilis ſit redditus, ut earum turbâ, quâ ſemper intellectus occupetur, et cui recipiendae ſenſus noctes atque dies pateant, omnis novae ideae aditus impediatur, ac viae per ſenſus plane occludantur. In aetate praeterea ſenili, omni corpore vivo in dies ad auctam firmitatem, ſiccitatem et immobilitatem tendente, organa intellectus primaria, ſtrictiora, minusque flexibilia ſunt reddita; eique ſtatui, in quo requiruntur, ut novam ſenſationem ſuscipiant, et in ideam propagent et extendant vix ſeſe adaptare poſſunt, ſtructurâ ſuâ illud impediente. Haud ſecus codex chartaceus dextrorſum ſaepius convolutus, facillime ſecundum hanc directionem convolvitur, difficulter in contrarium huius ſibi uſu et morâ naturalis directionis volvitur ſiniſtrorſum. Haud ſecus etiam, ſi decantato liceat exemplo uti, arboris iunioris rami in omnem ſenſum ab hortulanis flectuntur, et ad fructus ferendos aptiores redduntur; aetate autem et morâ indurati omnem cultum reſpuunt, et prius diffringuntur, quam vel minimam patiantur incurvationem.

Conſuetudinis vis cum igitur tanta ſit, cumque conſuetudo illa, ſitne bona an mala, pendeat inprimis ab iis, quae ſenſibus exhibeantur aetate iuvenili; et cum, ut Tullius ait, ſtudia in mores abeant, ſummi certe momenti erit illa ſenſibus exhibere, quae conſuetudinem in bonam partem convertunt, et pravam ab illâ arceant. Hac in re ars conſiſtit, quam educationis titulo comprehen-

Digitized by Google

dere solemus, et quam nihil aliud esse nisi a teneris annis imbibitam consuetudinem ipsis verbis declaravit summus Verulamius.

Ad hanc educationem perficiendam certe omnes faciunt scientiae; quicquid enim humanae cognitionis amplitudinem adauget, ad eius ambitum est referendum. Sunt tamen quaedam scientiae, quae huc vel inprimis tendunt, et quae educationis quasi sunt fundamentum, imo sine quibus educatio vere liberalis ne cogitari quidem potest. Inter has primum sibi locum vindicare illam doctrinae humanae partem contendimus, quam generali nomine Historiam dicunt Naturalem.

Cum autem diei huius solemnitas et officii mei ratio postulet, ut provinciam, decreto et singulari in me benevolentiâ Regis Augustissimi et Celsissimi Gulielmi I mihi delatam, aggrediar disserendo de loco quodam a studii genere, quod profiteor, haud alieno; nemini certe, qui secum reputat, disciplinas, quibus docendis in hanc illustrissimam Musarum sedem sum evocatus, inter praecipuas, quas Historiae Naturalis ambitus complectitur, esse referendas, diversum videbitur a loco, a tempore, aut personâ, quam hic sustineo; si paullo altius, quantum liceat per breve horae spatium, inquiram in Educationis vere Liberalis indolem, et exponam, quantum ad illam perficiendam conducat Historiae Naturalis studium bene institutum.

Dicam igitur *de Educatione vere Liberali, et Historiae Naturalis studio inprimus ad illam conducente.*

Orator novitius, iuvenis et imperitus vestram, A. O. benevolentiam quam maxime imploro, et ut aequis animis hunc rudem, atque omni orationis cultioris ornatu orbatum sermonem excipiatis etiam atque etiam rogo. Animum mihi quam maxime commoveri haud equidem negaverim, quum loci huius dignitatem et sanctitatem respicio; quum mecum reputo, quot et quales Viri his ex rostris verba fecerint; et quod summum est, quum nomen illud illustre recordor, a Belgâ nunquam nisi cum summâ veneratione pronuntiandum, Petri nempe Camperi. Somniare illum existimassem, qui me locum occupaturum praedixisset, e quo aurea tot praecepta emanavere; et nunc vocem faucibus haerere sentio, quum quantus Ille fuerit, et quis ego sim, considero. Certe si Immortales e sede suâ coelesti mortalium opera respiciunt, immortales nunc tui Manes, summe Campere! sacrâ corripiuntur indignatione, me Tui plane indignum hic verba facientem intuiti. Possitne forsan sancti Manes!

Digitized by Google

Vos mihi benevolos et faventes reconciliare, ubi publice me confitentem audiveritis, nullam mei ipfius meriti confcientiam, nullam audaciam me huc conduxisse; timore me perculfum plane esfe; fi doctrinae meae perexiguam fuppellectilem, et iuvenilis ingenii vires confiderem; et abunde mihi fufficere, fi disferendo de Hiftoriae Naturalis ftudii praeftantiâ foliolum posfem coronae civicae innectere, quam grata Posteritas tibi bene de fe merito fummo iure decrevit; Tu enim Hiftoriae Naturalis campum Tuis detectis adauxifti; Tuâ induftriâ Hiftoriae Naturalis ftudium in Patriâ noftrâ inclaruit; Tua igitur res est, quae agitur; Tua igitur funt, quae vindico, et fi defint vires, tamen voluntas est laudanda.

Vos autem, A. O. rem ne diiudicetis pro meâ defenfione; est enim inter illa, quae me nunc terrent, et metus, ne pravâ defenfione rei magis noceam, quam profim; imo et obftant, quae alioquin mihi in fummis deliciis fuere; fummos nempe me Viros pro Hiftoriâ Naturali militantes audivisfe; Blumenbachium, Lamarkium, Cuvierium; et inprimis Virum unicum, Brugmanfium, in hoc, uti in omni alio fcientiarum genere eminentisfimum: quomodo enim Horum in dicendo peritiam, atque admirabilem copiam recordarer, neque fimul meam inopiam et imperitiam mente volverem; neque fimul dolerem, breve temporis intervallum, ut illorum Clarisfimorum Virorum fcripta confulerem mihi non concesfisfe.

Me nunc A. H. proprio, fed debili pede progredientem favore et benevolentiâ profequimini.

Magnum, quod inter Organismum animalem, et machinas humanâ operâ confectas intercedit discrimen in eo pofitum videtur, quod quidquid vitale fit, continue pro gradu, quo vivit, commercium alat cum rebus externis, ab iis afficiatur, mutetur; et quod, fublatâ hac cum rebus externis relatione, vel ad vegetabilem organismum reducatur; cum contra machinae ceterae vi, quâ in actum deducuntur, nullo modo immutentur, et continue eodem modo agere pergant, quamdiu vis illa perfiftat, et nullum obftaculum eius actioni opponatur. Horologium movetur, quamdiu elater tenditur, quaeque illud circumdant, nihil, nifi mechanismum deftruant, ad hunc motum faciunt. Machina

animalis itidem movetur, quamdiu fluida et solida mixtionem normalem conservant; sed illa simul obiectis externis afficitur, quae suâ vi et efficaciâ ipsam machinam evolvunt, mutant.

Intellectu nostro humano per hanc vitam terrestrem organismo animali necessario adfixo et ligato; si proposito, cui satisfaciendo hic adsumus, satisfacere velimus, omni conatu organismus hic est evolvendus, et ad altiora instruendus. Neque potest intellectus scopo suo respondere, nisi utrâque praesente hac conditione; primâ nempe, ut organa sint sana et bene constituta; alterâ, ut omnia conspirent, quae horum evolutioni et augmento favere possint. In primam conditionem moderandam nihil valet humana facultas; simul cum vitâ et organa intellectui proxima a Creatore accipimus; altera autem, horum evolutio nempe, a Naturâ nobis fuit imposita. Vae illi, cui hanc evolutionem minoris aestimanti, donum illud praestantissimum et unice excellentiam humanam constituens, frustra fuerit concessum!

Qui unquam Physiologiae et Psychologiae studia uno vinculo complexus, intellectum humanum, ab eius organis nunquam seiungendum, eâ attentione, quam res meretur, consideraverit, is certe hanc conclusionem recusare non potuit; humanum intellectum non agere, nisi organo quodam principali, materiali, partem organismi animalis constituente, interveniente; atque hoc organum neutiquam esse simplex, sed variis partibus sive organis minoribus conflatum, omnibus inter se ita diversis, ac sunt ipsa obiecta, in quae horum organorum minorum actio sese extendit; immo horum unum quodque singularis obiecti ideam capiendo ita esse adaptatum, ut huius organi absentia absentiam itidem ideae illius obiecti necesse involvat, et ut obiectum qualecunque nullo modo illi, cui organum ipsi suscipiendo dicatum defuerit, innotescere possit.

Praeterea, se ipsum perscrutatus Physiologus simul et Psychologus observat primo, unicuique organo proprium suum esse adiunctum nisum et impetum, quo ad agendum semper incitatur; dein, quod summi momenti est, omne organum, si huic impetui satisfiat, voluptatis existere fontem.

Omnia autem haec organa unita et intellectui proxima non eiusdem evolutionis sunt capacia, non eâdem efficaciâ sunt praedita, et fere dixerim, valde diversi in oeconomiâ animali sunt momenti. Sunt, quae homini soli propria nulli alii animantium fuere concessa; sunt, quae homo cum pluribus animalium speciebus communia habet; sunt tandem, quorum quasi primordia in homi-

Digitized by Google

ne tantum conspiciuntur, cum magis evoluta, perfectiora in aliis animalibus inveniantur; haud secus ac plura alia organa corporis humani, intellectui minus vicina, in homine multo minus evoluta, quam in aliis animalibus, adsunt.
Hinc derivandum, quod, dum ad stupendam altitudinem adscendentes contemplemur nonnullas mentis humanae facultates; aliae contra ex ephebis excesserint nunquam, homini mentis suae capacitatem indicantes; sed simul organorum debilitatem et statum minus evolutum demonstrantes. Tot diversa aperiuntur menti humanae regna, quot intellectui sunt organa proxima; sed omnia illa regna non aeque sunt aperta: in nonnullis obiecta densâ nebulâ involuta sese offerunt; in haec penetrandi facultas videtur negata: alia vero et ab omni parte possunt aggredi et peritius peragrari; in his omnia, quaecunque offendit, obiecta menti clara et limpida adparent; et licet singulo passu limites regni magis a se semotos spectet, tamen quae ipsum circumdant, rite perspicit, et scientia ipsi in dies augetur. Haud aliter ante Herschelii et Schröteri, summorum virorum labores in viâ lacteâ et nebulosis, regnum quidem coeli nobis observandum patebat, sed cuius obiecta organi nostri minus evoluti, vel minus bene adiuti aciem fugiebant, et confusa adparebant; neque in albo per coeli plagas immensas late diffuso lumine, hac illuc interspersâ stellâ maiori, minorive candente, ullus materiem in stellas planetasque coalescentem suspicari potuit. Haud secus e contra hoc nostro tempore, tubis opticis mirâ arte et industriâ perfectis, et visus efficaciâ hinc maxime adauctâ, coeli hoc regnum, nunc nobis apertum, Herschelii passibus insistentes peragramus; obiecta dilucida, cognita, nebulis sepositis, contemplamur, et in coeli amplitudine fixarum et planetarum ex materie lucidâ per spatium late sparsâ formationi et condensationi praesentes adsumus; uti per sylvas in patriâ nostrâ obambulantes quotidie et arborum et herbarum incrementum praesentes intuemur.

Forsan hic cuidam in mentem venerit me rogare, cur alii prae alio organo tantae fuerint concessae praerogativae? Quamvis caussarum finalium inquisitio sit sterilis, et tanquam virgo Deo dicata nihil pariat, attamen et huic deesse nolumus. Certe nemo, qui fatum coecum ad summi Numinis maiestatem attollere nolit, contendere audebit, unice casu fortuito, et absque ullo ordine aliud prae alio organo praestantiâ fuisse donatum. Vita, quam vivimus, et locus, quem in rerum infinitate, tanquam annulus in viventium catenâ oc-

Digitized by Google

cupamus, accurate est determinatus, et procul omni dubio aeterno et immutabili, in omnibus luce meridianâ clarius elucenti ordini oppugnaret coniectura, intellectum et organismum humanum non ita esse fabre factum, ut scopo suo optime satisfaciat; vinculum autem, quod hominem huic rerum seriei alligat, ipsum in plurium rerum contactu magis directo collocavit; imo sunt obiecta, quorum cognitio maioris momenti et magis directi est humano generi; atque procul dubio omnem nostram attentionem meretur observatio, illa accurate organa summum perfectionis gradum videri attigisse, quae concessa fuere, ut perfecta obiectorum utilissimorum cognitio ad nostrum intellectum accedat.

Quicquid vivit per totum regnum animale, secundum eundem typum constructum invenitur; eadem in omnibus adsunt organa; sed omnium organa diverse modificantur pro diverso statu, quem animalia in rerum creatarum magnâ serie occupant. Sic ad eundem typum oculi formati sunt per omnem classem animalium columnâ vertebrarum instructorum. Nostis tamen, A. A. oculos minimos, vix adparentes talpae nostrae vulgaris, fere semper in obscuro sub terrâ degentis; et vivit in Persiâ animal, Aspalax dictum, sub terrâ itidem degens, quod visu plane orbatum, attamen ad ceterorum typum factum, vestigio organi visus munitur; licet oculi illud primordium cute omnino sit tectum, et proinde visui omnino ineptum. Nullum organum exsistit, nisi quod per totum animalium regnum, eundem typum servat. Nonne artus anteriores, carpus, metacarpus et digiti, qui humanâ in manu subtilissimi tactus sunt sedes, adplanati et membranâ solidâ involuti in Balaenâ observantur, cui impositum fuit vastâ suâ massâ per maris abyssa penetrare? in longum porrecti in Camelopardalo, aridorum Africae desertorum incolâ, atque ibi fronde arborum alte crescentium pasto? levi plumâ tecti ac molli lanugine vestiti in Aquilâ, quae aera findens supra nubes volatu adscendit? — Idem organum in diversis animalibus diverse modificatum fuit pro diverso usu, cui destinatum est. Illud quod de omnibus organis, quaecunque observare possumus, verum; cur non itidem in organa illa altiora, intellectui magis vicina, sed etiam materialia quadraret?

Unicuique organo proprium suum esse iunctum ad agendum impetum, iam diximus; ut et sensationem gratam singularem uniuscuiusque organi actionem sequi solere. Haud secus ac ipsa organa, etiam hi impetus, hae gratae affectiones efficaciâ et valore inter se differre videntur; et, quae res est summi

Digitized by Google

momenti, eandem inter ſe ſervare rationem, quae inter ipſa organa obſervatur. Neque hoc caſu fortuito, A. H. ita fuit diſpoſitum, ſed in hoc ſummi Numinis providentia miranda elucet; organa enim maxime neceſſaria ſummo etiam impetu in actum feruntur, et maxima, ſuaviſſima voluptas eorum actionem comitatur, ita ut vel ipſa haec voluptas novus fiat ſtimulus, quo de novo in actum concitentur organa.

Omnes autem hi a diverſis organis orti impetus confluunt in unum quaſi et magnum impetum, quo mens humana haec magnâ vi appetat, iſta contra vehementer deteſtetur; conſtituitque ille organorum et impetuum concurſus et mutuus illorum nexus et proportio illud, quod indolem mentis humanae dicere ſolemus; quin et confestim hominis indoles mutaretur, ſi facultatum ab hiſce organis profluentium vel numerus, vel earum mutua proportio mutata exiſteret. Summa igitur adfectuum, de quibus dicimus, cuiuscunque individui genium dominantem componit; vel aliis verbis: affectus principales nihil aliud ſunt, niſi ſumma incitationum a diverſis organis ſimul ſumtis motarum; tandem ſumma voluptatum actionem cuiuscunque organi comitantium gradum determinat beatitudinis, cuius mens humana est capax. Hinc est, A. H. quod diverſa omnes adpetentes videamus, cum diverſa ſit in variis individuis organorum evolutio; diverſus impetus, quo in actum deducantur; diverſa voluptas, quae uniuscuiusque actionem comitetur. Nec est, quod magis huic rei inſistam; nihil aliud enim expono, niſi tritum hoc, ſed veriſſimum proverbium: trahere ſuam quemque voluptatem.

Parumper potius retroſpiciamus, et brevibus verbis complectemur ſummam eorum, quae huc usque expoſuimus.

Intellectus humanus in hac ſaltem vitâ terreſtri organismo animali neceſſario ligatus est. In organismo animali pars exiſtit, quae magis immediatum et princeps est intellectus organum, et quae est quaſi conditio facultatum intellectualium primaria: organon hoc princeps diſpeſcitur in multa organa minora, quae diverſis mentis facultatibus respondent, et quorum unumquodque uniuscuiusque facultatis est conditio neceſſaria. Sunt haec organa diverſi momenti, et diverſae, ut ita dicam, evolutionis; evolvuntur autem actione obiectorum externorum et continuo actu. Singulis organis ſingularis est impetus, quo ad agendum incitantur, et ſingularis quoque voluptas uniuscuiusque organi actionem comitatur. Est autem hic impetus, haec voluptas maior,

Digitized by Google

pronti organum, cuius est, magis fit evolutum, et proinde maioris fit momenti; sunt enim haec organa magis evoluta, magis perfecta, quae maioris sunt in oeconomiâ humanâ momenti.

Haec, A. H. si accurate perpenderitis, ad hanc conclusionem nos perductos mecum iudicabitis: educationem nempe intellectus absolvi educatione singulorum organorum, quae simul sumta totum illud formant, quod primarium est intellectus organon. Natura ipsa, obiectis continue unicuique organo exhibitis, intellectum educat; nostrum est Naturam, quantum fieri possit, adiuvare. Fiat autem hoc liberaliter necesse est; nam liberaliter factum est illud, quod libere, Naturâ indicante, sponte suâ et absque ullâ vi fiat; et est illa educatio vere liberalis, quae ducem Naturam secuta liberae intellectus evolutioni prospicit, et omnem vim ab intellectu arcet.

Non necesse certe, ut magnum huius educationis liberalis exponam momentum, non tantum, ut ita dicam, individuale, sed universo generi humano maxime ponderosum. Neminem enim vestrum, A. H. fugit, ut opinor, facultates culturâ organorum acquisitas a parentibus in filios migrare; et filios nasci organis illis magis evolutis, quae parentes magis exercere solebant, atque ita eadem, quae individuis emolumento sunt, etiam in commodum omnium verti; et eadem, quae individuorum saluti prospiciunt, universi etiam generis humani excellentiam promovere. Quis hoc loco memoriâ non repetit vulgatum illud et celebre Horatii effatum;

„Fortes creantur fortibus et bonis:
Est in iuvencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.
Doctrina sed vim promovet insitam;
Rectique cultus pectora roborant.

Neque quemquam fugit, organa contra omnia, quae quieti traduntur, languescere, perire et absorberi, atque etiam generationis viâ haec organa diminuta a parentibus in liberos transferri, ita ut hoc modo in genere humano vel ad vestigia usque, organa omnia, inprimis autem intellectualia possint deleri. Innumera huius rei prostant exempla, quae breve mihi ad dicen-

Digitized by Google

dum concessum horae spatium adferre vetat. Nullus Eques de quorundam equorum generis nobilitate dubitat; Nullus Venator, qui praestans canis venatici genus non ab omni alio facile distinguit. In variis musaeis brachia, pedes humani, et quadrupedum, alae avium servantur, quorum usus per vitam animalis, cuius fuere, variis causis impeditus fuit; et quae hinc magnitudine et vigore quam maxime imminuta observantur. Cibo tenui et parvo utenti tractus intestinalis imminutus fuit observatus. Et quis osteologiae peritus, qui non miratus sit occiput eunuchi adplanatum diminutione organi illius cerebralis, cuiuscum evolutione facultas generandi cohaeret? Nonne plerumque nostrum brachium sinistrum dextero minus robustum, minus agile habemus, et minoris voluminis; unde vel dexteritas in proverbium abiit? Quis tandem, qui anates domesticas vix amplius volantes cum ceterarum anatum gregibus multum volantibus comparaverit, negabit, organum rarissime in actum concitatum, et per plures progenies quiescens adeo imminui, ut quasi novum existat genus, quod organo illo uti plane nequeat?

Sed nemo in dubium vocat, quin educatio liberalis omni non tantum individuo, sed et toti humano generi valde conducat. Quomodo autem educatio haec est instituenda, ut vere liberalis sit? Procul dubio illius, qui educationi se vovet, est omnes mentis facultates indagare, et omnem operam in illud impendere, ut faveat tantum uniuscuiusque organi evolutioni, quantum hocce organum evolutionis sit capax. Hoc modo instituta scopo suo respondebit educatio; nam sic nullum organum frustra tenditur, aut ad opus, cui minus aptum est, cogitur; illud solummodo, quod Natura formandis variis organis, ipsisque variam augmentum capiendi facultatem concedendo indicavit, sic efficitur. Hoc modo non haec, non illa facultas prae aliis colitur, neque hoc vel illud, magis excultum organum alio, quod certe Creator homini non frustra concessit, deprimitur, neque ullum tamen negligitur.

Summi Creatoris consiliis respondet, hominem summâ beatitudine gaudere; unde providum illud et sapientissimum Numen humanam beatitudinem cum facultatum humanarum exercitio nexu immutabili coniunxit; omnis igitur facultas, quam in puero somno sepultam retineas, seriei sensationum gratarum respondet, quam ipsi subripis; et omnis facultas, quam nimium incitas, tensionis nimiae sensationem ingratam ipsi parit, ac intellectui ipsius vim infert. Hoc proinde tibi sit continue propositum, ut mentis humanae continuam agi-

Digitized by Google

tationem ita modereris, ut omnes facultates intellectuales, absque ullo discrimine, nunc hae, nunc illae, vicissim omnes sint activae, et ut nunquam nimia quaedam tensio ullum organum vexet.

Norma igitur generalis, quam in educatione vere liberali instituendâ sequi debemus, a nobis constituta est; et, ni vehementer fallor, Vobis, A. H. clare adparuit, omnes mentis facultates, earum proportionem reciprocam, et evolutionem, cuius sunt capaces, esse bene cognoscendas. Sed quis celebre illud et famosum, Nosce Te ipsum, ita perspexit, ut omnes facultates enumerare et distinguere, atque omni facultati suum numerum adsignare valeat? Lubenter fateor, haec mihi non tantum difficillima, sed et in hoc rerum statu impossibilia videri; pendet tamen ab his directe omnis educatio; neque, si haec cognosci nequeant, a priori educationis liberalis ratio constitui potest. Et certe de hac ratione a priori quidpiam determinare, nobis huc usque concessum non fuit; si unicum illud excipiatis; conducere in culturâ intellectus, quod et conducit in corporis sanitatem muniendam, potius nimium quidpiam naturae relinquere, quam nimium illam concitare. Hic autem auxilio nobis venit experientia, optima illa magistra, ad quam semper in omni re nobis est confugiendum.

Per omne regnum animale felicitatis studio incitata videmus omnia animantia, et simul observamus, animal omne animi sui coeco impetui obtemperando et plane indulgendo, ad illud accurate perduci, quod ipsi, ut perfecte felicem vitam degeret, faciendum a maxime severis rationis praeceptis, et ingenii subtilissimi molimine fuisset praescribendum. Nihil in rerum naturâ, quod non perfectissimum et sapientissime ordinatum; idem ille impetus, quo animal ad vitam felicem veluti cogitur, ad salutem publicam conservandam et augendam nititur. Sed quis tantâ audaciâ est, ut Divinam sapientiam et Providentiam adgrediatur, et insanâ mente contendat, hominem, qui certe ad eundem, ac animalia, typum formatus est, iisdem agitatum organis, non uti reliqua animalia felicitatem suam et salutem simul publicam promoturum, si animi sui impetum sequatur? Quis mentis est ita perversae, ut ipsi imponant miserrimae certe sequelae animi impetus factitii, et consectationis voluptatis imaginariae? Nemo certe, et A. H. summam iniuriam inferrem Vestrae Dei benevoli et providi fiduciae, si Vobis hanc legem ubique valere demonstrare cupiens, necesse ducerem indicare, quantum quasi instinctu reguntur omnes illae

Digitized by Google

actiones, quae ad utramque illam principalem humanae felicitatis conditionem, nempe nostri ipsius conservationem, et speciei nostrae integritatem faciunt. Procul dubio omnes consentimus, homines etiam instinctu suo, si hic saltem pravâ educatione non sit corruptus, ad sui ipsorum felicitatem incitari vi non resistendâ. Ast sic educationem, quae semper in hominum felicitatem nititur, in imperium experientiae translatum videmus; possumus enim facile observare, quorsum inprimis homines instinctu suo ferantur, et quaenam praesertim obiecta homini sint accepta. Illa certe, quae menti humanae sunt gratissima, facultatum etiam evolutioni maxime prospicient; illa certe erunt utilissima; illa ne deficiant, inprimis attendat, qui educationi praesit. Quaenam autem sunt, ad quae inprimis mentis impetus vergit? Sunt, ut mox huic quaestioni respondeam, nisi egregie fallor, omnia illa, quae in universum naturae studium complectitur. Haec sunt, quae continue per omne vitae curriculum hominem, pravâ educatione non corruptum ad se trahunt, et magnâ voluptate afficiunt; haec sunt, quae pueritiam occupant, quae aetatem virilem alunt; quae senectutem delectant. Quantopere enim differat et genius et indoles humana, in naturae tamen studio omnes solatium quaerentes per omnem aetatem observamus. Quid sensibus in pueritiâ obiectum est praeter naturam? Nonne metallorum et similium splendor omnium primus animi infantilis attentionem movet? Saepius certe, A. H. pueros vidistis in pulcre coloratos papiliones venatum instituentes; saepius quoque puellas plantas colentes molles et odoratas; vel teneram avem sinu foventes. Vix ullum incrementum coepere animi infantilis facultates, quin vel rudioris observatoris in oculos incurrat, quam insatiabili nova investigandi ardore ferantur pueri, et quomodo fere semper obiectis in naturâ obviis hicce ardor incitetur. Vel nos rogant, quomodo ex ovo fiat pullus, vel, quâ vi incognitâ e tenui grano ingens crescat arbor; et inter vulgares quaestiones pueriles vix ullae sunt, quae non ad obiecta naturae cognoscenda tendunt.

In puero igitur naturae studium tanquam educationis fundamentum quasi digito indicatur; in illo certe, quamdiu nullâ voluptatis memoriâ moveatur, nihil agit praeter coecum illum impetum, quo ad felicitatis studium impellitur, et qui e variorum organorum concursu originem ducit.

At quae puerorum animum occupare observamus, natu maiorum, virorum mentes formatas exercere non merentur; forsan mutabitur organorum comple-

Digitized by Google

xus, et hifce mutatis ad aliud ftudium incitabuntur viri adulti. Minime gentium, A. H., fi in ullâ re, in hac certe ftudii naturae appetentiâ per omnem vitam immutati perfeveramus. Videtur natura aequali pasfu cum facultatibus nostris procedere, ita ut obiecta numero maiori intellectui obferantur, quo magis eius facultates fuerint extenfae. Poëtae ingenio luxuriofo aeque ac Philofophi ingenio ad maxime feria ftudia facto materiem praebet natura inexhaustam. Posfem hic citare et Statuarios, et Pictores, et qui inprimis pulcri et fublimis fenfu agitantur, Poëtas; omnes uno ore confitentes, illam mentis ecftafin, quae ipfis fumma est beatitudo, in illis non nifi naturâ provocari, hic formofisfimâ, illic terribili. Nonne Divinum illud, quod in Apolline, ftatuâ maxime perfectâ aevi florentisfimi veneramur; nonne molle illud quod in Venere Mediceâ amamus; formofum illud, quod in Puellâ illâ famofisfimâ talis ludente miramur, naturae perfectae imitationi perfectae debetur? Natura ex Raphaëlis, fummi pictoris, virginibus facris fpirat. Natura in mollibus a Guido Rheni pictis Nymphis ridet. Naturae perfecta imitatio ad Potteri nostri famofisfimum taurum, quamvis medias inter tabulas principum pictorum pofitum in vastisfimo, quod unquam exftitit, mufaeo, omnes cogere folebat omnium ordinum fpectatores. Natura fola pulcri et fublimis fenfui materiem praebet plenisfimam; neque tantum fublimis et pulcri fenfum movet, fed et intellectus acumen incitat, et Philofophi ferie meditantis animum natura replet, nullâ facultate intellectuali exceptâ, omnes in actum ducens; fagacisfima ingenia naturâ omnino occupata confpicimus; immobiles quafi et in naturâ, ut ita dicam, abforptos invenimus principes omnis aevi Philofophos, nihil cetera curantes, et unice de magnis, quibus univerfum regitur, legibus follicitos. Natura enim non tantum corporum formas et feriem inviolabilem Philofophorum feriae meditationi offert; fed omnia vivunt, omnia moventur, omnia confervantur. Quaenam funt vires hos motus producentes? Quaenam leges illos regentes? Quomodo tandem omnia ad omnium confervationem confpirant? Velum, quo haec fua facra obtexit natura detrahere; en quod tot et tantorum Philofophorum meditationibus per fecula materiem praebuit, et in aeternum praebebit femper. Philofopho non tantum incumbit, naturae obiecta enumerare; fed mathematicarum disciplinarum ftudio adiutus, quae ipfi funt tanquam filum Ariadneum, quo tuto per fcientiarum labyrinthum oberrat, penetrabit in naturae arcana maxime abdita; quae ipfa detecta iterum illius funt indolis, ut

Digitized by Google

multo validius, quam ipſa obiecta hominum animos in pulcri, et praeſertim ſublimis ſenſum rapiant. Vultisne exempla? Innumera proſtant. Omnium certe animos percellit ſublimis montium adſpectus, hic e nucleo telluris nubes petentium, et aeternâ nive tectorum; ibi aut ſtratis ſibi impoſitis formatorum, aut columnas aemulantium, nonnunquam cineres, flammas ac globos candentes evomentium, terrae motuum et devastationum qui ſunt et foci et centra: Ast quanto magis percellunt Philoſophi animum ordo et conſenſus, qui in omni hocce tremendo tumultu et elementorum agitatione eminet. Geologia ipſi librum naturae aperit, in quo telluris historiam antiquisſimam legit. Vetustisſimo aevo globum nostrum ab omni parte oceani aquis involutum cernit, et fere liquidum; poſtea longe, lateque diffuſis montium ignivomorum catenis tectum, ſed continue magis quietum redditum, magis adplanatum, et animalium ſpeciebus magis habitabilem.

Omnium certe animos placidi et quieti maris, velis ubicunque tecti, adſpectus ſuaviter affecit; omnes etiam ſublimis et horrendus oceani, ventis agitati, turbidi et mugientis conſpectus terruit; ſed haec ſenſatio comparari nullo modo poteſt cum eâ Philoſophi, qui mentis humanae altitudine et ſummi Numinis clementiâ elatus maris agitati ſublime ſpectaculum contemplatur, calculo mathematico et astronomico certior factus de mundi ſtabilitate, et de limitibus, quos mare transgredi nequeat; certior factus, undas oceani pondere ſuo ſpecifico, ad illam telluris relato, impediri, quo minus vel aestu maris vel procellis ſupra terras iterum effundantur.

Nemo tandem, qui animo vel parum ſenſibili praeditus est, niſi cum admiratione placidâ nocte ad ſidera tulit vultus, et ſtellas determinato ordine diſpoſitas, lumine vario per ſecula micantes conſpexit; ſed idem illud coelum per multa ſecula tot et tantorum Philoſophorum ingenia ſummâ admiratione replevit. Et quid ſublimius cogitari potest, quam ſumma illa et divina ſapientia, quae in diſpoſitione et motibus ſystematis nostri planetarii eminet; quid dignius quo ſumma ingenia attrahantur, quam ſystematis huius illa ſtabilitas, quae nostro tandem aevo inclaruit, docentibus ſummis Philoſophis Lagrangio et Laplacio, calculo mathematico adhibito fallere neſcio, omnes omnino motus coelestes certis et determinatis periodis eſſe adfixos. Quid ſublimius humanam mentem movere unquam poterit?

Quis negabit deliciis abundare ſtudium naturae, qui omnis aevi historiam

Digitized by Google

perlegens, fere omnes in omni disciplinarum genere excellentes viros naturae studio incumbentes invenerit? Quantus est eorum numerus, qui toti se ei dederunt? Quam exiguus contra eorum, qui illius plane ignari fuere? Casu fortuito illud ità accidere non potuit. Minime A. H., sed historia nos docet caussam certam existere, quae non tantum humano intellectui studium naturae gratum reddat, sed omnibus ceteris studiis multo gratius; estque haec causa necessario sita in facultatibus humanis studio naturae adaptatis; et summo iure statuere possumus, ipsam experientiam docere, omnem facultatem humanam in naturae studio suum proprium, cui capiendo factum est, invenire obiectum. Quomodo, si hac de re dubitandum foret, explicaremus insatiabile illud summorum virorum desiderium obiecta naturalia examinandi, et comparandi? Nullâ aliâ causâ impelluntur ad obiecta haec magnâ operâ et curâ colligenda et ordine disponenda, nisi studii naturae deliciis, nisi eâdem illâ naturam contemplandi cupidine, quae historiae naturalis cultores a placidis et tranquillis suis musaeis semotos per omnes telluris plagas, per omnes oceanos dispergit, nullâ periculorum et vitae discriminis ratione habitâ. Non opus est diversarum gentium historiam evolvere, quae nobis summos viros naturae studio omnino devotos indicet. Gloriatur et nostrum aevum pluribus, ingenii dotibus maxime eminentibus, qui illi plane sunt dediti, et illo prae ceteris omnibus delectantur. Gloriatur aevum nostrum Perone Gallo, qui ex Oceani pacifici Australicis insulis in patriam suam vix redux, medias inter immensas opes, quas ex incultis et incognitis hisce regionibus domum adportaverat, inopinatâ morte scientiis fuit ereptus. Gloriatur von Buchio, Germano, qui ad ultimos fines Mundi septentrionalis delatus Norwegiae et Lapponiae montium catenas geologiae descripsit. Gloriatur celeberrimo illo viatore, cuius nomen est in omnium ore, Humboldtio, qui cum amico Bonplandio Aequatorias regiones pervagatus, et altissimis montium cacuminibus conscensis, tot et tanta in Historiâ Naturali detexit, ut difficile sit uni tantum Doctorum pari haec omnia tribuere. Neque viatoribus tantum hisce celebrioribus Historiae Naturalis fines extensos debemus; sed gloriatur inter multos alios Germania Blumenbachio, qui ex unâ stirpe oriri potuisse demonstravit omnes Gentes; Gallia Cuvierio, acutissimo mundi antiquissimi annalium investigatore; Viris, qui vitam omnem Historiae Naturalis cultui dedicarunt. Nec deest gloriandi materies Patriae nostrae; vel unicum nominasse sufficiet Brugmansium, Virum summum, Patriae decus, qui

ad omnes artes liberales aptus, Naturae tamen ftudio inprimis delectatur; et in mufaeo fuo ditisfimo Naturae arcana posfe inveftigare praefertim gaudet; Virum, cuius de naturae ftudio merita hic indicare et ipfius modestia, et vetat, quod inter Doctorem est et discipulum, magnum intervallum. Quum autem vidimus illud ftudium, quod quam maxime nostram felicitatem promoveat, esfe eligendum pro bafi educationis liberalis; et quum analogia indicat, omnes omnino a puero ad ingenium acerrimum illud appetere, quod ipfos quam maxime felices reddat; quum tandem experientia docet, omnes naturae ftudio inprimis delectari, valet conclufio; naturae ftudium pro bafi educationis liberalis esfe eligendum.

Mirandum certe hanc veritatem, quae vicinis Gentibus, Germanis et Gallis diu fuit accepta, apud Nos Belgas vix innotuisfe. Sunt quidem plurimi inter nos, qui naturae ftudium fingulis oblectamentum iudicant; pauci autem qui univerfae focietati illud utile existimant. Liceat ab eventu et hanc rem diiudicare. Quantum distant Europae incolae, qui anno 1456, publicis precibus iram Divinam longâ Cometae caudâ demonftratam deprecari conabantur ab iisdem naturae ftudio edoctis, qui eundem Cometam ad Solem redeuntem tranquille obfervarunt. Est ne naturae ftudio magis cognita terrarum indoles et atmospherae conftitutio, quo facto multa millia iugera, ante inculta, nunc cerealibus et vite abundant? Quis, nifi qui ad naturae arcana penetraverit, atmospherae mutationes praefagire, et in calendario dies aestus maximi notare potuisfet? Nonne omnes fere artes ab animalium industriâ defumtas docet historia naturalis? Caudâ per aquas moventur pisces, uti naves nostrae remo; pinna ipfis est, quod navi nostrae gubernaculum. Vela tendunt et per mare navigant plures Molluscorum fpecies, haud aliter ac naves nostrae per oceanum currunt. Impediant Gentium ambitio et rixae, quo minus coloniarum producta ad nos transferantur; praesto est historia naturalis; e cellis fubterraneis nitrum effodit; e Betâ faccharum conficit; indigenarum plantarum principium colorans emendat et ad praeftantiam coloris Indici evehit. Sileant detrectatores laudem ftudii naturae. Vix ulla funt focietatis humanae praerogativa praeter ea, quae ipfi naturae indagatione accesfere; et ab hac parte fpectatum meretur itidem naturae ftudium bafis omnis educationis vere liberalis vocari. Vix opus erit, ut addam hifce, naturae ftudium necesfario ab hiftoriae naturalis ftudio proficifci; et hanc igitur principem esfe omnis educati-

Digitized by Google

onis liberalis basin. Verulamium audiatis; sunt, ait, scientiae instar Pyramidum, quibus Historia et Experientia tanquam basis unica substernuntur; ac proinde basis Naturalis Philosophiae est Historia Naturalis; tabulatum primum a basi est Physica, vertici proximum Metaphysica; quod ultimum tabulatum; liceat haec Viri illustris verbis addere; per nubes penetrat, et oculo humano fere semper latet.

Indagandum hoc loco, A. H. mihi foret, quibusnam praecipue partibus historiae naturalis indigeat educatio liberalis; licet enim, uti Cicero ait, omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, quoddam commune vinculum habeant, et quasi cognatione quâdem inter se contineantur, attamen tam vastus est naturae campus, ut cogamur statu sociali, in quo vivimus, et qui reverâ, diffiteri illud nolumus, status est, ut ita dicam, semicoactus; quasdam huius regiones seligere et prae ceteris excolere. Dum ad educationum perfecte liberalem, ad quam omnes scientiae pertinent, in statu sociali attingere non valeamus, ad illam tamen quantum in nobis est videtur accedendum, seligendo principes studii naturae partes. Locus hic foret disserendi de variis hisce scientiis, easque in classes distinguendi, illis primam partem conferentes, quae cognitae maiorem naturae amplitudinem aperiunt menti humanae. Sed tempero mihi, et ne diutius patientiâ vestrâ, A. H. abutar, ad illa accedo, quae diei huius solemnitas et officii mei ratio a me postulant. Sufficit mihi demonstrasse historiae naturalis studium ad educationem liberalem praesertim desiderari; estque mihi pergratum, eadem illa, quae nunc tempus enucleare vetat, ob temporum, quae vivimus, rationem silentio praetermitti posse: est enim aevi nostri characteristicum, varias disciplinarum naturalium partes ad scientiae dignitatem evectas ad se invicem magis accedere; ita ut hiatus inter illas quotidie minuantur, et ut tempus appropinquare videatur, quo unum continuum systema sint formaturae, quod universam naturam, ubicunque pateat, complectatur. Hocce prospectu animo quam maxime exhilarato, eo lubentius accedit venerabunda Oratio ad illa, quae solennitas haec et gratus animus mihi imponunt officia.

Regi enim Augustissimo, Belgarum Patri, grato animo acceptum referunt omnes scientiarum cultores, quod simul ac frena imperii capessebat, suo patrocinio scientias atque artes foverit; quae, magnâ gentium Europaearum par-

Digitized by Google

te ſub unius omnia pro lubitu gerentis tyrannide langueſcente; neglectae miſerrime iacebant.

Regis in ſcientias amorem et naturalem proclivitatem, quâ incitatur ad diverſas disciplinarum naturalium partes erigere et ad invicem adproximare teſtantur illa e cineribus reſuſcitata ſcientiarum monumenta, quorum magnam utilitatem vel ſeculorum experientia demonſtraverat. Almae ipſius voluntati debetur, Templum hocce Muſarum celeberrimum de novo artium cultoribus ſtare apertum. Atque hoc mihi pergratum et inprimis acceptum, me ad munus, quod in praeſens ſuscipio, vocatum eſſe a tali ac tanto Principe, cuius amplis honorificisque titulis nomen reſtauratoris artium et ſcientiarum grata poſteritas quoque adiunctura ſit. Utinam Deus Optimus, Maximus ſervet te, Rex Auguſtisſime et tuam Domum per longam annorum ſeriem ſalvam et incolumem.

Vobis autem Viri gravisſimi, huius Athenaei Curatores, Maecenates de me tam egregie meriti, Vobis, inquam, ſincerum gratae mentis teſtificationem offero; Vobis maxime debeo, quod a Rege in antiquam hanc doctrinae ſedem delatus ſim; Vos mihi advenae hanc plagam pedem figenti ſerenâ fronte obviam iviſtis; et inter Vos eſſe virum, non ſolum haeredem avitae gloriae atque eruditionis, ſed et ipſum ſuâ peritiâ fines ſcientiarum extendentem, virum egregium atque excellentem in illis ſcientiis, quae mihi carisſimae ſemper fuerunt, hoc vel inprimis me movit, ut provinciam hanc ſuſciperem mihi gravisſimam; Re vera enim ſummus rerum moderator nulli mortalium dulcedinem ſine amarore intermixtam largitus est, et quid mihi acerbius contingere potuit, quam ſecedere a patre carisſimo, quem ex decliviore aetate deſiderium filii eo gravius premit? quid minus ferendum, quam urbem relinquere, per multos annos dilectam ſedem, ubi tot amoena percepi, toties me totum ſtudiis dedi, cuius grata recordatio mihi tot ac tanta in mentem revocat? quid denique gravius, quam remotum eſſe ab amicis? teſtor hic unumquemque, qui ſincerae amicitiae dulcedinem ſenſit, et quis unquam talem, qualem ego, amicum invenit? eadem ſtudia nos devinxere, eadem vivendi ratio, iidem luſus, eadem feria, haec nullis taediis, nullis unquam disſidiis interrupta fides animos certioribus quam fraterni amoris vinculis coniunxit. Vos Viri clarisſimi, collegae honoratisſimi, has mihi iacturas, quantum fieri posſit,

Digitized by Google

estis compenſaturi; neque tamen ſine metu quodam ad Vos me converto; ubi meam imperitiam cum cognitâ vestrâ eruditione comparaverim, at recreat mentem mecum reputare, quânam benevolentiâ, quam comiter me excepistis. Vestram itaque opem et fidem obnixe imploro; vestram fiduciam mereri mihi gratisſimum erit; coniunctis viribus atque animis, uti fas est inter amicos et artium liberalium cultores, in commune bonum, atque incrementum illustris huius Athenaei laborare, mihi ſummo honori erit. Adſpiret benigne Numen optimum vestris et meis conatibus, et percipiet magnam ex illis utilitatem iuventutis Friſiacae corona lectisſima.

Vobis nobilisſimi iuvenes, devota Muſis pectora, ſpes Patriae et Parentum; nostra cura atque deliciae; illa ſtudia adcepta posſe reddere, quae mihi inprimis in deliciis ſunt, ſumma mihi voluptas erit.

Amicus et comes vobiscum per florida ſcientiarum prata incedere deſidero: ſive Chemicas, ſive Botanicas meas ſcholas frequentare velitis, ſive Historiam Naturalem audire cupiatis; ubicunque posſum; ubivis me vobis benevolum ducem et candidum amicum offero; quidquid in me est ad vestra incepta progresſusque adiuvandos, id omne vestrum putetis. Agite! unanimes et amici Philoſophiam excolamus, quae nos ad grandia quaevis extollit, dulcemque beatitatis ſenſum concedit, nostraque amicitia commodis huius Athenaei, atque ſcientiarum incremento ſemper inſerviat. Quod faxit Deus Optimus Maximus.

D I X I.

Digitized by Google

Digitized by Google

IAC. CORN. SWYGHUISEN GROENEWOUD

ORATIO

DE

ADHIBENDA

AD DOCENDAS LITERAS ORIENTALES
POPULARITATE SOCRATICA.

PUBLICE HABITA

die VI Novembris Ann. MDCCCXVII.

QUUM

LITERARUM ORIENTALIUM PROFESSIONEM
IN ATHENAEO FRISIACO SOLENNI
RITU AUSPICARETUR.

Digitized by Google

Digitized by Google

GUBERNATOR FRISIAE ILLUSTRISSIME!

ATHENAEI FRISIACI CURATORES AMPLISSIMI!

RECTOR MAGNIFICE!

PROFESSOR HONORARIE! QUARUMVIS ITEM DISCIPLINARUM PROFESSORES CELEBERRIMI!

QUI GENERIS NOBILITATE, AUT MUNERUM, ATQUE HONORUM AMPLITUDINE, SIVE IN REPUBLICA, SIVE IN IUDICIIS CONSPICUI ESTIS, VIRI GRAVISSIMI!

SACRARUM LITERARUM INTERPRETES, ERUDITISSIMI!

ARTIUM ET SCIENTIARUM DOCTORES EXPERIENTISSIMI!

CUIUSCUNQUE DISCIPLINAE STUDIOSI IUVENES, PATRIAE SPES, NOSTER AMOR!

QUOTQUOT PRAETEREA ADESTIS, CIVES, HOSPITES, AUDITORES HUMANISSIMI!



Ex quo tempore Orientales literas degustare coepi, ita me tenuit harum literarum ſuavitas, ut eas mihi omni vitae meae tempore colendas ducerem. Nam, ut naturam ipſe meam ad earum ſtudium propenſam eſſe ſentiebam; ita fructus ex iis longe maximos me percepturum augurabar. Quid enim iisdem hisce literis ad veram animo percipiendam et ſimplicitatem ſimul, et ſublimitatem efficacius eſſe poteſt? Et vero praeceptoribus utebar, qui ſtudia haec

mea suavissima institutione mirifice alerent. Equidem non ea sum sive vanitate sive impudentia, ut omnem, quem debueram ex iis fructum me percepisse glorier. Sed qualemcunque tandem in me vim habuerit optimorum praeceptorum institutio; hanc certe habuit, ut me magis magisque ad istam sive popularitatem, sive popularitatis aemulationem conformaret.

Et quandoquidem mihi literarum Orientalium docendarum munus, hodierno die, solemni est oratione adeundum: lubet hanc simplicitatem ac popularitatem cum laudare, tum commendare. Quocirca ex hoc ipso argumento dicendi materiam sumens, dicere constitui: DE ADHIBENDA AD DOCENDAS LITERAS ORIENTALES POPULARITATE SOCRATICA. Qua materia tractanda, Auditores! si minus vobis doctus eruditusque videar, talis certe videbor, qualem me esse sentio, arrogantiae vanitatisque contemtor, modestiae simplicitatisque admirator.

In hac autem disquisitione ita versabimur, ut primum de ipsa popularitate paulo accuratius dicamus. Probabimus, veram popularitatem maturi demum esse ingenii humani fructum, et apud Graecos exstitisse, quum ad plenum vigorem et ἀκμὴν suam pervenerant. Tum porro eam commendabimus ad literas orientales rite docendas.

Est haec fere ingenii humani ratio, ut quo magis ad maturitatem accedat, eo magis diligentiorem quandam accuratioremque cogitandi ratiocinandique methodum sequatur. In primo iuventutis vigore exsultat fere, atque luxuriatur, per amoenissima quaeque et iucundissima loca pascitur: volitat per rerum naturam, ubique quaerens et arripiens, quod pulcrum sit ac placeat: undique quasi decerpit rerum imagines, easque metaphoris et gratissimis verbis reddit: omnino poëseos cum rationem sequitur, tum linguam usurpat. Virilis aetas hanc quasi luxuriem comprimere solet: fingendi solertia ratiocinandi diligentiae cedit. Fervor iste modo aestuans, et quasi ebulliens iam sedatur, atque comprimitur. Dubitatur, disquiritur, diiudicatur. Externa species in dubium vocatur. Nil verum existimatur, quod probabile videtur, sed quod certum reperitur. Paucis: ratio dominatur, ingenium quasi habenis compescit, atque in rectam viam ducit.

Sed ingenium ad hanc veluti iudicii subtilitatisque viam adductum, raro hoc iter constanter sequitur: saepe ad devia loca digreditur. Iuvenili ista fingendi cupiditate subinde sollicitatur. Fingit denuo, subtiliter quidem et magno iudi-

Digitized by Google

cio, nec pristina illa poëtica ratione, fed fingit tamen; atque in errorem inducitur. Scilicet est haec fere rerum humanarum conditio, ut ubivis appareant veritatis fimulacra, ipfa autem veritas latet. Ingenia, quamvis magna et fagacia, tamen teneri vix posfunt, quin his fimulacris capiantur. Disquirunt de iis, ratiocinantur, iudicant. Deinde etiam de iisdem disputant atque altercantur. Variae exiftunt fententiae. Suam quisque opinionem tuetur: nec litium harum finis est, donec tandem animadverterit, umbras fe vidisfe et rerum fimulacra, ipfas vero res non item.

Verum enim his aetatibus ipfa philofophandi fuccedit aetas. Haec et poëtica fomnia et falfa philofophiae commenta pari contemtu averfatur: nolit disputare de incertis opinionibus, malit de rebus ipfis cogitare, fimulacra confutare, praeiudicatas opiniones deponere, et, veluti flumen, quod modo de montibus cum impetu proruebat, fibique ipfam viam patefaciebat, iam vero lente leniterque, fed continuo profluit; ita post tantam fingendi temeritatem ac ftatuendi libidinem, placide nunc et fenfim cogitando procedit. Veritatem non continuo apprehendere, fed quaerendo invenire ftudet; omnino, disquirendi philofophandique veram, id est, fimplicem, nativam, popularem rationem fequitur.

Videtis Auditores! quae fit ingenii humani in cogitando ratiocinandoque quafi via et methodus. Videtis etiam popularem disferendi disputandique rationem non vilem esfe quandam et puerilem, fed ex ipfa ingenii maturitate, tanquam praeclarum quendam fructum exfiftere. Quod quo evidentius videatis, operae pretium est, eundem ingenii progresfum in univerfa quadam gente animadvertere. Ita enim fe res habet, ut nil fere in fingulis hominibus deprehendamus, quin idem clarius etiam et distinctius in univerfis populis invenire queamus. Nempe, univerfae gentes earumque historiae funt tanquam fpecula, in quibus ipfam ingenii humani naturam, indolem, rationem quam evidentisfime confpicere posfumus. Ergo huiusmodi quafi fpeculum nobis proponamus, atque in Graecam gentem eiusque historiam paulo attentius veluti intueamur.

In prima Graecorum aetate post pulfam barbariem homines deprehendimus ad magna omnia et fuscipienda et perficienda formatos, fed magis ingenio, quam iudicio infignes. Deprehendimus poëtas, philofophos non item. Sed hos poëtas ipfa veluti natura ad poëfin factitandam natos, cultosque depre-

Digitized by Google

hendimus. Ab aliis gentibus, Aegyptiis inprimis, fabulas, et numero multas, et genere varias acceperunt. Hae partim tenues, partim ridiculae, partim absurdae sunt. Sed easdem qualescunque tandem, ita suaviter exponunt, ita venuste ornant, ita apte accommodateque in rem suam conferunt, ut mirabiliter placeant. Inter ceteros poëtas ob mentem nobis versatur princeps omnium Homerus. Et in hocce poëta summam cernimus mentis humanae felicitatem, solertiam, sagacitatem, summum cernimus inveniendi fingendique acumen, summam omnino poëseos facultatem. Sequentes aetates poëtas item tulerunt, quamquam eiusmodi illos, ut magis iudicii subtilitatem, quam naturalem poëseos rationem sequerentur. Sed eaedem aetates, una cum his poëtis, philosophos etiam, eosque genere diversissimos, nobis proponunt. Primum septem illi exstiterunt accurati iudicii ac liberalis disciplinae viri, quos Graecia semper et habuit et vocavit sapientes. Hos videmus res humanas prudenter considerare, de gentium ac civitatum commodis inquirere, Rerumpublicarum conditionem, leges, instituta investigare, singulorum hominum officia, studia, salutem, felicitatem indagare, atque exponere; ut verbo dicam, ea quaerere et tradere praecepta, quae ad vitam hominum emendandam valeant. Sed hisce finibus diu se continere non potuit horum philosophorum ingenium. Altius evolare studuerunt; rerum naturam interius perspicere tentarunt, ac sensim sensimque philosophicis placitis poeticas fictiones adiunxerunt. A iusta aberrantes via, suum singuli tramitem inibant, atque in devia quaeque loca deveniebant: omnes veritatem quaerebant, sed pro veritate, simulacra sectabantur: alius alia specie movebatur, alius aliam viam intrabat: unusquisque ceteros contemnens, solum se sapere existimabat, atque ita universi magis magisque a iusta via discurrentes in ioculares errores incidebant.

Sed his Graecorum temporibus ea successit aetas, quae vere dici matura potest. Haec aetas spectandum nobis praebet, tanquam ornatum suum praecipuum, Socratem Atheniensem. Hunc cernimus opinionum commenta ad rationis examen revocare, ac nugarum subtilitatem iudicii auctoritate refutare. Is nimirum, ut cum Cicerone loquar, „philosophiam devocavit e coelo, et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit, et coëgit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere." Scilicet, quum aequales suos a iusta quasi via aberrare vidisset, eos et blande compellando, et suaviter confabulando, et leniter monendo ab istis erroribus sensim sensimque revocavit. Hi iustam

Digitized by Google

opinandi viam, praeiudicatis nempe opinionibus occupati et quasi occoecati; cernere nec poterant nec volebant. Igitur in familiaribus sermonibus et oculos illis quasi aperuit, et viam monstravit Socrates. Et dici vix potest, quanta hoc lenitate, quanta simplicitate, quanta omnino popularitate effecerit. Nolebat philosophus videri: nullam prae se ferebat sive doctrinae sive prudentiae speciem. Videri volebat omnium fere rerum ignarus, omnis eruditionis expers; sed idem generis humani fautor, aequalium suorum amicus, veritatis studiosus ac vindex. Ita continuo homines cepit, ita eos et tenuit et sibi devinxit, ita eos ad iustam, certam, veram, sed eandem simplicissimam ac vere popularem philosophandi rationem adduxit. Atque si quidem maximam illam philosophiae tanquam conversionem confecit, qua ab inanibus rebus ac futilibus quaestionibus ad utilissima ac necessaria studia, ad vitae rationem dirigendam, ad mores emendandos, ad virtutem colendam adducta fuit. Nolim quaerere, num ad veram rationem tunc adducta fuerit philosophia. Illud statuo, hanc eius conversionem ad publicam utilitatem efficacissimam fuisse, eandemque nisi hac summa Socratis in philosophando simplicitate, facilitate; popularitate existere nullo modo potuisse.

Sed haec sufficiant de Graecis ac Graecorum historia atque cultu. Equidem non ausim existimare, hoc me argumentum, tam grave, tam late patens, tam tractatu difficile satis accurate distincteque exposuisse. Tamen hoc mihi videor demonstrasse, popularitatem, quam commendo, nullam habere cum tenuitate, nugis, humilitate coniunctionem, contra et maximum quodque ingenium unice decere, et ad philosophiae fructus, ingenii cultum, disciplinarum emendationem, omnium omnino artium progressum, unam maxime aptam esse et accommodatam. Et nunc quidem veluti leni quodam flumine sponte delabor in iucundissima illa loca, quae sua me suavitate incitant ad se et alliciunt. Venio ad praeclara illa Socraticae philosophiae bona, quae ad nostrum usque aevum delata, nobis etiam nunc in deliciis sunt atque amoribus. Scilicet illa Socratis philosophandi facilitas, gratia, popularitas, illos nobis peperit Socraticorum libros, sive dialogos, qui toti ad hanc popularitatem compositi, antiquam nobis venustatem atque urbanitatem prorsus referunt.

At vero hic deprehendo et sentio penitus, quantilla sit in me dicendi vis. Utinam verbis reddere atque interpretari possim, quidquid iam mihi et in animo volvitur et ingenio obversatur! Videor mihi quasi oculis intueri ipsam At-

Digitized by Google

tiae urbanitatis, elegantiae, culturae, venustatis imaginem. Sentio animum mihi totum quasi evehi ad huius imaginis mirabilem praestantiam, ac sublimitatem demirandam. Sed aliis haec describenda relinquo; mihi suffecerit, haec tantae popularitatis bona adumbrasse.

Ergo quos Socrates habuit cum aequalibus suis sermones, tanti pretii tantaeque praestantiae duxerunt eius discipuli, ut eos totos scribendo enarrare atque exponere solerent. Hinc exstitit ille Xenophontis de Socrate liber, sermonum Socraticorum plenus. Hinc item nati sunt quamplurimi Socraticorum dialogi, nunc quidem deperditi, sed ex veterum testimonio omni suavitate atque elegantia perfusi. Et vero hinc etiam, tanquam a prima causa, repetenda est difficillima illa, at una et utilissima et praestantissima dialogorum conscribendorum ars. Hanc artem, ut alii provexisse atque auxisse videntur, ita ad summam perfectionem eduxit Plato. Is enim, quo valebat ingenii acumine, pulcri venustique sensu, animi vigore ac robore, dialogis conscribendis immortalia eloquentiae monumenta reliquit. Et in tota fere antiqua literatura, nil fere reperiamus sublimius, magnificentius, nil suavius, limatius, venustius, nil item simplicius ac popularius unoquoque fere Platonico dialogo. In Platonis imitatoribus atque aemulis praecipuum quendam locum tenet eloquentiae parens Cicero. Huius etiam nunc exstant de philosophia, de oratore et claris oratoribus dialogi; quos certe qui semel lectos non continuo admiretur, et quasi amet, is trunco quam homini est similior. Ipsam enim Socratis popularitatem, cum pari coniunctam prudentia et rerum scientia, referunt plane, et quasi spirant.

Talis est, Auditores! et hanc vim habet, simplex illa et popularis scribendi docendique ratio, quam qualicunque modo mihi adumbrandam sumsi. Fusius egi de Graecis literis; sed quis tandem de popularitate dicat, Socratis immemor et philosophiae Graecae? Imo vero Socratica vocetur, quae vero nomine dicitur popularitas.

Haec vero docendi popularitas, uti in aliis disciplinis tradendis, ita in Orientalium praesertim linguarum institutione, magnopere commendabilis est: cum propter miram harum linguarum simplicitatem, quae, nisi simplicissima docendi ratione, percipi nullo modo potest: tum propter difficultates, quas superare debet, quicumque has literas addiscere studet, nec superare facile poterit, nisi populari usus institutione: tum etiam propter alia multa, de quibus nunc nobis deinceps singulatim dicendum videtur.

Digitized by Google

Haec nimirum est Orientalium linguarum indoles, ut maxima iis sit, eaque, puerorum fere propria, simplicitas; ac talis adeo, ut, si Socrati probe cognita esse potuisset, non dubitem, quin ei admodum placuisset. Quam simplicitatem, age, paucis, quae ad omnium captum comparata sint, exemplis patefaciamus.

Quando pueros audimus, prima loquendi pericula facientes, plerumque eos animadvertimus, nec tempora, nec modos verborum curare. Quid vero est universa, quae dicitur coniugatio linguae Hebraeae, et vicinarum dialectorum Orientalium? Habetne aliquam distinctam temporum ac modorum diversitatem? Habet utique, inquies. A Grammaticis enim memorantur praeteritum, futurum, imperativus, infinitivus. Novi equidem: sed quidni peculiarem habent verbi formam, quae praesens tempus significet? An ideo, quia, si rem serio, qualis est, perpendimus, id, quod praesens tempus vocare solemus, tam est exiguum, tam fere nullum, ut ne computari quidem mereatur? Semper enim nobis elabitur, ac fluctuamur perpetuo inter praeteritum et futurum. Vere omnino et philosophice! At, quam alienum tamen erat a priscorum hominum natura, ut, ad abstrusam illam philosophandi rationem, suum sermonem exigerent! Ita se habet res, Auditores! Tota eorum coniugatio in eo erat polita, ut nomen aliquod verbale, quod vocatur a Grammaticis, cum pronomine personali, vel ab initio, vel ad finem apposito, coniungerent. Hinc ergo exstitere deinceps duae formae, quarum altera quidem potissimum de praeterito, altera potissimum de futuro usurparetur; sed quae revera indefinitae essent, et ad nullum certum tempus adstrictae, ut utraque etiam de praesenti, imo de quocunque alio tempore, adhiberetur. Hinc una eademque est omnium verborum coniugatio. Hinc nulli modi. Qui dicitur imperativus, est nomen verbale, imperandi voce pronunciatum, et secunda adeo persona sola usurpatum. Imo ipse, qui vocatur infinitivus, nihil aliud est, nisi nomen verbale, nominum ceterorum normam sequens. Est autem animadversione dignum, simplicissimam istam, ex puerili humani generis aetate et conditione oriundam indolem, ab Arabibus ipsis hodieque retentam esse, ut, quantumvis suam linguam impense excoluerint, eiusque perficere grammaticam studuerint, primaevam tamen eius naturam penitus intactam reliquerint.

Huic exemplo, cum unum omnium luculentissimum sit, vix opus est, ut alia subiungamus, veluti quod declinationem nominum ignorant Orientales, ea-

Digitized by Google

que qualiscunque declinatio, qualem in ſuam linguam e Graecae cognitione inferre conati ſint Grammatici Arabes, et a vulgo non curari ſolet, et reſpuitur plane in quodam intimo Arabiae tractu, antiquam interioremque linguae indolem nequaquam immutavit. Ne dicam, gradus comparationis, qui appellantur, ab Orientalibus non diverſa terminatione, ſed alio quocunque modo, qui puerorum referat ſimplicitatem, exprimi, ut v. c. in magno affectu, idem nomen repetant, et puerorum inſtar MALUM MALUM dicant pro PESSIMO.

Verum hoc unum, breviter oblata opportunitate non indicare non poſſum, eſſe univerſam dictionem hiſtoricam Orientalium ita comparatam, ut interiori ſermonis indoli plane reſpondeat. Qui ſua lingua pueros referebant loqui incipientes, iidem puerorum more in rebus enarrandis verſantur, ut nativa quadam ſimplicitate teneant, moveant, oblectent: cuius amabilis virtutis cum infinita alibi reperiuntur indicia, tum in eo hiſtoriae Patriarchalis loco, ubi deſcribitur dicam, an ad vivum nativo colore pingitur Eſavi levitas ac petulantia, qua Iacobo vendidit aetatis ſuae praerogativam. „Et edit, inquit Moſes, et bibit, et ſurrexit, et ivit, et ſprevit Eſavus ius primogeniti." (1)

Haec ergo cum ſit Orientalis et ſermonis et dictionis vulgaris indoles, quid ad eam aliis exponendam valeat docendi popularitas Socratica, ipſimet facile cernitis Auditores! Scilicet, ut rite haec attendant adoleſcentes, et iuſta animi oblectatione, primae erunt in eorum mente ſuſcitandae pueritiae notiones. Ad virilia enim omnia ſponte ſua tendunt, ſed revocandi ſunt ad aetatem puerilem. Praeterea non ſufficit, quae ipſi obſervavimus, haec illis tradere; idoneos eos reddere debemus, ut ipſi talia obſervent.

Demonſtrare ſtudui Auditores! Veram popularitatem maturi demum et exercitati eſſe ingenii fructum. Haud dubito, quin ſponte hoc ipſi iam obſervetis in linguis tradendis Orientalibus. Niſi Socratica ratione quis in iuvenum ingenio excitet pueritiae notiones, ſtudia, affectus, haud profecto penitus iis percipiendam praebebit omnem Orientalium literarum vim et ſuavitatem.

Alterum, ad commendandam methodum docendi popularem ac Socraticam, momentum petimus e magna linguarum Orientalium difficultate.

---

(1) Gen. 25: 34.

Quandoquidem enim linguae sunt mentis humanae signa, eaque maximam partem arbitraria, arduum est sane negotium illas percipere linguas, quae non tantum ex usu exciderunt, sed vero etiam ab omnibus linguis recentioribus, imo ab ipsa Latina et Graeca vetustiori, incredibilem in modum diversae sunt. Vivit quidem hodieque, vigetque lingua Arabica, sed ea a nobis ut mortua, et discenda et docenda est; ceterae vero linguae vicinae et ipsa praesertim Hebraea pristinam suam vitam in perpetuum amisere.

Difficile est sane et ingratum linguarum Orientalium studium, sive spectes rudiorem illam ac minus politam characterum in literis formam, eamque in plurimis dialectis primo intuitu tam alienam, tam diversam, ut eam vix omnibus olim aequalem fuisse statueres; sive consideres indivulsum inter dialectos nexum, quo fit, ut una fere haud probe intelligi queat, nisi simul omnes capiantur; sive cogites varias vocalium, accentuumque notas, diversamque earundem pronuntiationem; sive observes monumentorum penuriam, quo factum, ut magna plerarumque linguarum Orientalium pars nobis perierit; sive tandem perpendas, quam arduum sit diversas dialectos Orientales inter se ita conferre, ut unum idemque verbum, significatione saepissime toto coelo diversum, ad unam communem, primamque notionem revocetur, a qua, veluti radice, omnes omnino propullulaverint ceterae significationes.

Has igitur difficultates, quas verbo indicasse satis erit, sin minus plane superabit, certe temperabit minuetque magnopere docendi popularitas, Socraticae illi simillima. Etenim difficillima quaeque facillime solebat Socrates tradere. Evidenter exponebat omnia, ut sponte intelligerentur: popularitate omnino, et hac unice, linguarum etiam difficultates superemus!

Videtur autem hoc maxime agendum, ut lubenter, et cum voluptate discant iuvenes. Literas cognoscere debebunt, et regulas quae dicuntur grammaticae; sed si apponamus iis non nisi Grammaticorum exceptiones, anomalias, interiores disquisitiones, aegerrime sane et magno taedio in haec studia incumbent discipuli. Quantocius commode fieri possit, adducendi videntur ad ipsos legendos auctores; sic simul et grammaticam percipient totam, et placebit illis literarum Orientalium studium.

Et habet sane, quo se commendet studium illud, praesertim si poësin spec-

Digitized by Google

temus; ad quam, et Hebraei (2) et Arabes, (3) ab omni aevo eximie compositi erant. Cuius vero poëseos cum summa est suavitas, quam popularis docendi ratio patefaciat, tum vero etiam permagna difficultas, quam eadem ratio haud parum leniat.

Nemo est qui ignoret, ab ipsa natura Orientales multis et praeclaris opportunitatibus beatos fuisse, quibus sua sponte ad poësin exercendam et colendam adducerentur. (4) Coelum enim plerumque serenum intuebantur omnes. Eorum nonnulli incolebant eiusmodi terrae plagam, in cuius limitibus magna montium series magnificum praebebat spectaculum: ante oculos habebant diversas arbores frugiferas; variaque animalium genera; et, quod maxime notandum, lingua utebantur fere poëtica. Et vero, eos hasce naturae dotes minime frustra accepisse, apud neminem non in confesso est.

Quam efficaciter enim coeli sereni contemplatio poëticam Davidis facultatem inflammaverit, ne alia appellem, patet ex aureo illo hymno, cuius unam alteramve pericopen, secundum Magni Lowthi versionem recitasse, meis auditoribus haud ingratum fore spero. (5) Matutino tempore solis ortum sic celebrat poëta.

Immensi chorus aetheris,
Orbes stelliferi, lucida sidera,
Laudes concelebrant Dei,
Auctorisque canunt artificem manum:
Dulces excipiunt modos
Noctem rite dies, noxque diem premens;
Alternoque volubiles
Concentu variant perpetuum melos.
Et quanquam levibus rotis
Labuntur taciti per liquidum aethera,
Terrarum tamen ultimos
Tractus, alta poli moenia, personat.

(2) Vid. I. Willmeti V. Cl. Oratio de ingenio Hebr. ad poësin inprimis composito. (3) Conf. eiusdem Magni viri Oratio de Arabum meritis in literis Medio Aevo instaurandis pag. 21, 26. (4) Cl. Muntinghe, Geschiedenis der menschheid naar den Bijbel, T. 2, pag. 125, 128, 129. (5) P. 19.

Digitized by Google

Aeterni ſacra vox chori;
Concordi memorans eloquio Deum;
Coelorum in penetralibus
Soli qui poſuit celſa palatia:
Laetos unde ferens gradus
Prodit, ceu thalamo ſponſus ab aureo;
Fidens viribus ut Gigas,
Praeſcriptum ſtadii carpit ovans iter.
Coeli limite ab ultimo
Egreſſus, rediens limitem ad ultimum;
Emenſam relegit viam,
Foecundisque fovet cuncta caloribus.

Quam venuste porro animalium naturam expresſerit, quam ſcienter ad praeſentes uſus ſubinde ſe conformaverit Orientalis poëſis, liquet ex immortali Iacobi hymno, ex Iobi libro, ex Ibn Doreidi et Caabi Ben Zoheir, multisque aliis Hebraeorum et Arabum carminibus. Verbo, quo ulterius quis in literis Orientalibus progresſus fuerit, eo magis et Hebraicae et Arabicae poëſeos vi, pulchritudine, ſublimitate et capietur et tenebitur.

Sed quamvis ſe commendet Orientalis poëſeos ſtudium, maximis tamen premitur et gravisſimis difficultatibus, quae popularem docendi rationem ſuadeant. Difficile enim est, horum carminum argumentum accurate indagare; in remotisſimam, quam ſpirant, aetatem ſe totum transferre, altisſimos ſubinde poëtarum ſpiritus feliciter asſequi, ſelectum imaginum et verborum, eumque et varium et a nostris imaginibus vehementer alienum explicare, et quidem ita, ut moveant legentem Europeum, uti movebantur iis antiquitus ipſi Orientales. Quid autem est tam efficax, tam praepotens, quod tot tantasque difficultates minuere posſit, ut haud amplius poëtam Orientalem legere reformidemus, ſed magna voluptate eum tractemus, et eius lepore capiamur? est hoc tantum Auditores! ſimplex illa veraque Socratica docendi popularitas.

Haec ſcilicet literarum Orientalium ſtudioſis audacisſimas figuras, exquiſitisſimas comparationes, venustisſimas translationes apud poëtas obvias, ſive in laudes Summi Numinis excurrant, ſive Heroicam virtutem celebrent, ſive praecepta morum tradant, ſive laetisſima quaeque praeſagiant, ſive infausta et

Digitized by Google

dira omnia vaticinentur, five quodcunque tandem argumentum colore et impetu poëtico infigne canant; haec, inquam, popularitas Socratica nobis ita ob oculos ponit, ita adumbrat, ita exprimit, ut fummam poëtarum Orientalium in fingendo folertiam, fagacitatem, et fummam omnino in ornando divinamque quafi maiestatem admiremur; verbo, ut nihil in deliciis habeamus magis, quam legere Orientalium poëtarum carmina.

Postremo, quandoquidem nemini literarum Orientalium ftudiofo licet, ut in antiquisfima Iudaeorum historia five civili, five facra, five domestica hospes fit atque peregrinus, lubet quoque in hoc disciplinae Orientalis genere tractando quam maxime commendare Socraticam docendi methodum.

Hoc fcilicet ftudium quamvis necesfarium, quamvis praeclarum, quamvis iucundum, adeo multis, iisque graviesfimis involutum habetur difficultatibus, ut fummus Ravius vir Cl. qui in cathedra Orientali confenuit, publice profiteatur (6) nihil esfe ferme magis fpinofum, nihil magis arduum, nil expeditum minus, nihil, quod interpreti et ruspatori etiamnunc plus negotii facesfat, quam ftudium antiquitatum Iudaicarum. Praeterea idem hocce difficillimum ftudium, fin minus inutile, certe ita aridum et ieiunum fit nimia auctorum, nominum aut fabularum Rabbinicarum allegatione, ut nihil eo displiceat magis.

Iam vero quicunque ante omnia in difficultates, quibus premitur antiquitatis ftudium, vellet inquirere, easque expeditas et faciles reddere, a iusta profecto aberraret via, tenebras denfisfimas amare, atque fectari videretur prae luce, initium faceret, ubi potius finiendum erat.

En, hoe zoude ik den aandrang van mijn hart kunnen wederſtaan, om bij deze gelegenheid, hulde te doen aan hem, wiens vroegen dood, alle die waardig waren hem gekend te hebben, als het gevoeligſte verlies betreurden; wiens naam mijne lippen, nimmer zonder eerbied zullen uitſpreken; op wiens bijzondere vriendſchap ik ſteeds grootsch zijn zal, als op de hoogſte eere, die mij immer van menſchen, zoo lang ik leve, kan wedervaren. PIETER NIEUWLAND, was een wijsgeer van den verhevenſten en beminnelijkſten aard. Voor de wiskundige wetenſchappen was hij geſchapen. En de Nederlandſche Letterkunde, verheft zich te gelijk op hem, als een harer grootſte ſieraden. Zijne *Schets van het Scheikundige Leerſtelſel van* LAVOISIER, en zijne verhandeling over *de gevoeligheid van hart*, (6) zijn onder anderen overtuigende bewijzen, hoe zeer hij de kunst verſtond, om zijne moedertaal, tot eene gelukkige voordragt van Natuurkundige en Zedelijke wijsgeerte te bezigen. Hij zelf was het alleen, die op de vruchten van zijnen Dichtgeest, eenen geringen prijs ſtelde. Van ons zullen zij, als eene kostbare nalatenſchap, als kleinooden van de edelſte ſoort, altijd gewaardeerd blijven. En ook dan, wanneer hij alleen de zanger van *Orion* geweest ware, zoude zijn naam, in den tempel onzer Zanggodinnen, met onverdoofbaren glans pralen.

Maar, zoude ook de beoefening der Nederlandſche Letterkunde, die der

---

(6) Nieuw Algemeen Magazijn van Wetenſchap, Konst en ſmaak 1 D. Bl. 389 en 2 D. Bl. 519.

Digitized by Google

Griekſche en *Romeinſche* in den weg ſtaan; en het derhalve den genen, die het verre brengen wil in de laatſte, niet aanteraden wezen, om zich te bemoeijen met de eerſte? Maar het is eene allergegrondſte aanmerking, dat onze beste Schrijvers, door de Schriften der Ouden zijn gevormd. En dit juist, ſtrekt zoo wel der Nederlandſche als der Griekſche en Romeinſche Letterkunde tot groote eere; kan onder de beoefening der eerſte, de geestdrift des te ſterker doen gloeijen voor de laatſte. Dat de eene in geene vijandſchap ſtaat met de andere, is door allesafdoende voorbeelden bewezen. Een DANIEL HEINSIUS, een CASPARUS BARLAEUS, een PETRUS FRANCIUS, en een JANUS BROUKHUSIUS, wisten zoo wel de Nederlandſche, als de Latijnſche lier te beſpelen. Een JERONIMO DE BOSCH, is de opgetogene bewonderaar, en waardige lofredenaar van onzen HOOFT en VONDEL geweest. (7) En onze HOEUFFT'S, WASSENBERGHEN, BOSSCHA'S en VAN LENNEP'S, kunnen de beminnelijke en naauwe verwantſchap tusſchen de roemrijke beoefening der Oude en die der Vaderlandſche Letterkunde, boven allen twijfel verheffen.

Zulk eene groote verpligting hebben dan alle *Geleerde* ſtanden van ons Vaderland aan de Nederlandſche Letterkunde. Doch haar nut bepaalt zich niet tot dezen, maar ſtrekt zich uit tot *alle Nederlanders.*

Noch het nut, noch de roeping van alle Nederlanders brengt mede, dat zij zich aan de opzettelijke beoefening der Nederlandſche Letterkunde overgeven. Maar daar voor liefde te gevoelen, daar in ſmaak te hebben, dit kan van alle Nederlanders, die zich van het gemeen wenſchen te onderſcheiden, billijk worden verwacht; en, hoe algemeener die liefde en die ſmaak zijn, hoe voordeeliger voor het algemeen belang. Zucht voor eigene taal en eigene Letterkunde, kenmerkte oude en nieuwe volken, die eigene waarde gevoelden en eigene waarde bezaten. Niet te verwonderen is het daarom, dat, getuige onze eigene ondervinding, vreemde overheerſchers op deze zucht zoo gram zijn: want tusſchen dezelve, en het behoud, of de herleving van de eer en het beſtaan eens volks, is een allernaauwst verband. Juist in die dagen, toen deze zucht de ſchoonſte vruchten van den menſchelijken geest op den Nederland-

(7) Algemeen Magazijn van Wetenſchap, Konst en Smaak. 1 D. Bl. 305 en Bl. 495.

Digitized by Google

schen bodem voortbragt; was het ook dat de volksgeest zich op het krachtigste en heerlijkste vertoonde; dat liefde tot Vaderland en vrijheid allen en alles, met haren Goddelijken adem bezielde; dat onze helden te lande en ter zee wonderen deden; dat de naam van Nederlander, een eertitel was geworden in de oogen van geheel Europa. Onder de middelen nu, om dien aloeden volksgeest en alouden volksroem, zoo veel mogelijk is, te rug te roepen, behoort vooral de meer algemeene beoefening van onze Nederlandsche Letterkunde. Een echt Nederlandsch hoofd, en een echt Nederlandsch hart, worden het best verkregen door de schriften van echt Nederlandsche mannen te lezen; bijzonder door het lezen dier schriften, waar in de eeuw van de verhevenste worsteling onzer Vaderen tegen het uitheemsch geweld, door de seldzaamste zege bekroond, naar waarde is beschreven. „Zamelpenningen uit „het diepst der borze gewilligh opgebraght, ter liefde van 't landt en de vry- „heit. Brandt van yver tot Godsvrucht en goede werken. Verlaaten van huis „en hof, om het voor best gekooren verstandt. De doodt, en wat in al- „ler pynen maght was, standtvastelyk geleeden." (8) O! deze en andere trekken in het tafereel der vaderlijke grootheid, kunnen niet nalaten, op dat ik de taal van den grooten Drossaard overneme „eene ziel, waar in slechts van „eedelzinnigheit een geinster glimt, te ontsteeken met een' gloedt van graa- „tigheit om hen, in weldoen 't achterhaalen, oft' verby te streeven." (9)

Billijk mogen derhalve alle Geleerde standen in ons Vaderland, ja alle Nederlanders zich verheugen, dat de Nederlandsche Letterkunde, onder ons, in hare groote waarde meer en meer erkend en geacht wordt; dat zij in Nederlands geëerbiedigden en geliefden Koning haren begunstiger vindt; dat, daar zij te voren geenen enkelen Leerstoel had voor het openbaar onderwijs in dezelve verordend, zij thans reeds onderscheidene kan tellen.

Edele Achtbare Heeren, Regeerders dezer Stad, en Gijlieden in 't bijzonder, aan welke de zorg voor het Hooger Onderwijs is aanbevolen! Ik bedanke U, uit naam van deze Doorluchtige Schole, dat Gij aan dezelve eenen

---

(8) Hooft Nederl. Histor. Bl. 2. (9) Hooft's Opdragt zijner Nederl. Histor. aan Z. H. Frederik Henrik.

Digitized by Google

Leerstoel in de Nederlandsche Letterkunde hebt geschonken. En, offchoon zij weinig reden moge hebben om zich zelve met den eersten bekleeder van dezen Leerstoel geluk te wenschen, mag zij zich echter vleijen, dat door mijne aanstelling, de grond gelegd zij, dat dezelve eens zal gegeven worden aan eenen man, die daar aan zich geheel en alleen zal kunnen toewijden. Het gene ik intusschen doen kan, om U over mijne aanstelling geen berouw te doen gevoelen, zal ik met warmen ijver, en met inspanning van al mijne krachten doen. De bewustheid van eenen nooit bezweken en niet geheel vruchteloozen wil, om in mijne openbare ambtsbetrekkingen alhier, nuttig te wezen, geeft mij moed, rigt mij het hart en het hoofd op. Die bewustheid is mij dierbaar. Ik schatte haar hooger dan goud of eere. En ik bidde den Hemel, dat Hij mij deze bewustheid, zoo lange mijne aardsche loopbane duurt, late behouden, en Ulieden de streelende zelfvoldoening schenke van voor het heil dezer Stad en van hare Doorluchtige Schole, zegenrijk en roemrijk te leven!

Hoog Geleerde Heeren, zeer Geëerde Ambtgenooten! Buiten twijfel, verblijdt Gij U met mij over de oprigting van eenen Leerstoel voor die Letterkunde, aan welke Gij allen zijt toegedaan, en welke aan geene dier wetenschappen waar in Gij onderwijs geeft, vreemd is. Aangenaam is mij de gelegenheid, welke deze Redevoering mij verschaft, om U openlijk en plegtig te begroeten. Dan ik kan mijne oogen op Uwen achtbaren kring niet vestigen, zonder beroernis van weemoedigheid. Van al de Hoogleeraren, aan welke ik, achttien jaren geleden, werd toegevoegd, zie ik geen' enkelen meer overig. Hen, die naar elders zijn vertrokken, om in ruimer' en luisterijker' werkkring te arbeiden, blijf ik steeds met mijn dankbaar aandenken en beste wenschen vergezellen. Ik wijde der assche van TERPSTRA en van CHERNAC, dien eerbied toe, welken hunne groote verdiensten zoo heilig vorderen. Ik gevoele de wonden van mijn hart over mijnen SLUITER, bij aanhoudendheid bloeden; en de gemeenschappelijke vriend, met welken ik om hem kon treuren, de mij altijd onvergetelijke DE BRUEIJS, is van mij gescheiden!

Ik vinde de verzachting van mijne smart in het behoud van U, vereerenswaardige VERBURG! wiens vriendentrouw mij beproefd is, en in de aanstelling van U, mijne nieuwe ambtgenooten! in welke ik waardige opvolgers van uwe uitmuntende voorgangers aanschouwe; en ik houde mij verzekerd,

Digitized by Google

dat alles, wat toetebrengen is, om mij, op de hoogte van mijne jaren, het verlies van oude vrienden te vergoeden, door U kan en zal geſchieden.

Kweekelingen van het Deventerſche Athenaeum! Het verſtrekt mij tot geen gering genoegen, dat Gij meest allen, mijne lesſen over de Nederlandſche Letterkunde bijwoont. Boven alle beſchrijving, zal ik mijnen arbeid beloond rekenen, indien ik eenen gloed van liefde voor dezelve, en tegelijk voor alle Vaderlandſche deugden, aan welker opwekking derzelver beoefening zoo gunſtig is, in Ualler boezem moge ontſteken. Maakt, naar uwen onderſcheiden' aanleg, en uwe onderſcheidene verordening, van de hulpmiddelen, U ter wetenſchappelijke beſchaving, alhier verleend, een getrouw gebruik. Maar vergeet nimmer, dat door den Nederlandſchen grond, nooit eenig groot man in zijn vak is voortgebragt, die de Nederlandſche Letterkunde verſmaadde. God geve, dat Gij allen eens Nederlanders moogt worden, hoedanige onze groote Vaderen waren; dat Gij de eere moogt ophouden van eene Stad, aan welke ERASMUS het licht ontſtak, waar mede hij Europa heeft beſchenen; en dat Gij den zoo wel gevestigden roem van eene harer kostelijkſte bezittingen, dien van hare Doorluchtige Schole, door uw toedoen, moogt overbrengen tot de laatſte nakomelingſchap!

Digitized by Google

MONITUM.

Orationes inaugurales in Academia Groningana, et Athenaeis, quae Franequerae ac Daventriae florent, habitae, in volumine primo annalium huius Universitatis non exstant; ne scilicet aliquid fieri videatur contra Art. 228. Decreti 2 Aug. 1815. Senatus Academicus operis perfectioni ita haud parum deesse intelligebat. Quare virum excellentissimum, qui rerum Academicarum curam supremam gerebat, ea de re adiit. Placuit autem viro spectatissimo, ut, consentientibus tamen oratoribus, in posterum annalibus inseri possent non tantum, verum etiam ut, quae inde a rebus Academicis ad novam illam legem compositis habitae fuerant in his, qui nunc prodeunt annalibus typis excudi queant. Huic placito sequentibus paginis satisfactum est.

Digitized by Google

Digitized by Google

TAMMONIS ADRIANI TEN BERGE

CURATORUM UNIVERSITATIS GRONINGANAE PRAESIDIS

ALLOCUTIO AD PROFESSORES,

ET

HERMANNI MUNTINGHE

RECTORIS EIUSDEM UNIVERSITATIS MAGNIFICI

ORATIO,

habitae die VI Novembr. CIↃ IↃ CCC XV,

CUM

E DECRETO REGIO

INSTAURATA UNIVERSITAS GRONINGANA SOLLEMNITER INAUGURARETUR, NOVAQUE INSTITUTIONIS ACADEMICAE RATIO INITIUM CAPERET.

Digitized by Google

Digitized by Google

HOOG-EERWAARDIGE, WEL-EDELE,
HOOG-GELEERDE HEEREN!

Wij herinneren ons met het levendigst gevoel van vreugde, en genoegen dien dag, waarop wij in het jongst afgeloopen jaar het tweede eeuwfeest van het aanzijn der Hoogeſchool in deze Stad vierden: waarop onze verbeelding ons dien ſtatigen rei van geleerde mannen voor oogen ſtelde, die gedurende den afloop van twee eeuwen in onderſcheidene tijdvakken het Hoogleeraarambt aan deze Hoogeſchool bekleed, en zich eenen onvergankelijken roem verkregen hebben, zelfs bij het laatſte nageſlacht: waarop wij ons voor den geest bragten die ontelbare ſchaar van mannen, dewelke aan deze Hoogeſchool onderwezen zijnde, ten gevolge van dit onderwijs, de Kerk, het Staatsbeſtuur, de Regtbank, de Pleitzaal, en de Maatſchappij, ieder in zijne bijzondere betrekking, tot luister geſtrekt hebben, en voor een gedeelte als nog ſtrekken: dien dag, waarop wij onzen geliefden Vorst, verzeld van Hoogstdeszelfs Koninklijke Gemalin hier ter ſtede aanſchouwden, waardoor Hoogstdezelve toonde even als Zijne doorluchtige Voorvaderen een voorſtander, en begunstiger der wetenſchappen te zijn, na dat Hoogstdezelve zich reeds eenen roem verworven had, verre te boven gaande dien van veroverde vestingen, en gewonnene veldſlagen, daardoor, dat Hoogstdezelve den onzaligen geest der partijſchap, die onder leden van éénzelfde huisgezin helaas! voorheen zoo lang gewoed had, door Zijne komst, en wijze maatregelen op eenmaal van den Vaderlandſchen grond voor altoos heeft verdreven, zoo dat zij als 't ware tot broeders zijn herſchapen.

Digitized by Google

Op dien dag vleiden wij ons met de zoete hoop; dat wij eerlang het ſtelſel van onderwijs, zoo als het in het Franſche Keizerrijk was ingevoerd, zouden zien vervangen door een ſtelſel, veel meer overeenkomende met onze behoeften, en met onze zeden.

Hoe zeer moeten wij dan niet door vreugde vervoerd, en door erkentenis jegens Zijne Majeſteit, onzen geëerbiedigden Koning, bezield worden, nu wij werkelijk dit zoo vurig verlangd zamenſtel van verordeningen op het hooger onderwijs door eene Wet zien vastgeſteld!

Hierbij wordt de ruimſte gelegenheid gegeven om in allerlei wetenſchappen te worden onderwezen, zoo door de aanſtelling van een toereikend getal Hoogleeraren, waarvan ieder zijn bijzonder vak van onderwijs heeft, als door het daarſtellen van alle die onderſcheidene middelen, dewelke tot de beoefening eener wetenſchap volſtrekt noodzakelijk zijn.

Hierbij wordt aan de geleerdheid, die zulk eenen weldadigen invloed op de Maatſchappij heeft, hare regte waarde toegekend.

De Hoogleeraren bekomen eene met hunne moeijelijke werkzaamheden overeenkomſtige belooning: met eene gelatene kalmte van geest kunnen zij denken aan dat tijdſtip, waarop de last der jaren eenen nadeeligen invloed op hunne geestvermogens zoude kunnen hebben: derzelver weduwen, en weezen ondervinden door eene heilzame inrigting de gevolgen van den prijs, die op de verdienſten van hunne waardige overledene echtgenooten, en vaders geſteld werd.

Er wordt gezorgd, dat de jongelingen niet, dan genoegzaam toegerust, tot de lesſen der Hoogeſchool worden toegelaten: er wordt zorg gedragen, dat het hooger onderwijs in de wetenſchappen, dewelke met elkanderen in een naauw verband ſtaan, geregeld afloope, terwijl de onnutte vermenigvuldiging van graden wordt afgeſchaft.

Er wordt gezorgd, dat de naijver tusſchen de Studenten worde opgewekt door buitengewóne belooningen: er wordt gewaakt, dat deze niet aan onwaardige worden uitgereikt: zij, die door de omſtandigheden, waarin zij verkeeren, anders te rug zouden gehouden worden van gebruik te maken van het hooger onderwijs, doch door de Voorzienigheid met eenen goeden aanleg tot de wetenſchappen zijn begaafd, erlangen de gunstigſte gelegenheid om even als het pad der deugd, ook dat der wijsheid te kunnen betreden: er

Digitized by Google

wordt gezord, dat van die schoone inrigting geen misbruik worde gemaakt.

Niet alleen is deze Wet, deze, en andere heilzame verordeningen bevattende, daargesteld, maar onze Stad- en Landgenooten beschouwen met den glans van blijdschap op het gelaat met ons, die tot Curatoren dezer Hoogeschool zijn benoemd, en de bloeijende Akademiejeugd in Ulieden, Hoog-Geleerde Heeren! een groot aantal van door verdiensten uitmuntende mannen, met den ouden deftigen zwarten tabbaard bekleed, als Hoogleeraren bevestigd, of tot Hoogleeraren aan deze Hoogeschool nieuwlings benoemd.

Wij allen zien aan Ulieder hoofd als Rector Magnificus geplaatst, dien beroemden man, die met zoo veel beleid, en voorzigtigheid de Hoogeschool in de moeijelijkste tijden heeft bestuurd, en van wien wij dus met allen grond kunnen vertrouwen, dat hij ook nu in zijne gewigtige betrekking de belangen der Hoogeschool met den meesten ijver zal bevorderlijk zijn. De meeste Uwer hebben, bij den gevestigden roem van geleerdheid, reeds door hun onderwijs de uitstekendste proeven aan den dag gelegd, hoe zeer zij genegen en geschikt zijn, om de jongelingen tot leidslieden in de wetenschappen te strekken: terwijl een ieder van de overige uit hoofde van derzelver schriften, of bekende talenten de grootste verwachting heeft, dat zij aan deze bestemming op eene uitnemende wijze zullen voldoen.

Welk een schoon vooruitzigt voor het toekomende doet zich dan niet aan onzen geest op!

Hoe vereërend is dan niet de taak, die aan ons, benoemde Curatoren, en ook bijzonder aan mij, weleer een kweekeling dezer Hoogeschool, als thans de plaats van voorzittend Curator bekleedende, is te beurt gevallen om deze Hoogeschool in te wijden, en Ulieden, Hoog-Geleerde mannen! in dezen tempel der wijsheid als het ware binnen te leiden!

Uit den grond van mijn voor de wetenschappen kloppend hart wensch ik Ulieden geluk, met Uwe bevestiging, of benoeming. Ulieden de pligten voortehouden, die Uwe bestemming Ulieden oplegt, zoude zeer onvoegzaam zijn: Gijlieden kent dezelve.

Gewigtig is de post, die door U, benoemde Rector Magnificus! bekleed zal worden: maar de werkzaamheden daartoe behoorende zijn U niet ongewoon, en de Wet waarborgt U eenen genoegzamen bijstand. Moeijelijk is de baan,

Digitized by Google

waarop Gijlieden alle zult voortgaan, of welke gij voor het eerst zult betreden: dan veel is er, dat Ulieden daarop zal ondersteunen. Het vertrouwen door Zijne Majesteit, onzen geëerbiedigden Koning, in Ulieden gesteld: het gevoel van het grootsche, en edele van Uwe bestemming: de streelende gedachte aan het heil, dat door Ulieden voor de Maatschappij zal gesticht worden: het voorbeeld van die uitmuntende mannen, dewelke vóór Ulieden de leerstoelen aan deze Hoogeschool bekleed hebben: de zoo gewenschte gevolgen, die zij, die van Ulieden reeds aan eene Hoogeschool onderwezen hebben, van hunne werkzaamheden hebben mogen zien: het voorbeeldig gedrag van onze Akademiejeugd, hetwelk wij ons veilig durven voorspellen: en eindelijk die verrukkende, en voor een gevoelig hart zoo vleijende gedachte, dat de roem, die zij, die door Ulieden tot nuttige leden der maatschappij zullen gevormd zijn, te eeniger tijd zullen verkrijgen, voor een zeer groot gedeelte aan Ulieder wijze lessen zal moeten worden toegeschreven.

Wij Curatoren wenschen niets vuriger, dan met Ulieder aller vertrouwen, en vriendschap te worden vereerd: inzonderheid ook van U, Hooggeleerde Heer! dien wij als benoemden Rector Magnificus mogen begroeten, en tot denwelken wij zulk eene naauwe betrekking hebben. Het zal ons steeds tot bijzonder genoegen strekken, wanneer wij in staat zullen zijn, Uwe posten in eenigen opzigte te kunnen veraangenamen.

Bewandelt dan rustig, en blijmoedig den weg, die voor Ulieden ligt: zoo zult gij onder de gunstige bestiering des Allerhoogsten de wetenschappen eenen nieuwen luister bijzetten, Uwen roem steeds vermeerderen, den bloei der Hoogeschool bij uitnemendheid bevorderen, en aan de Maatschappij een duurzaam heil toebrengen.

De God der wijsheid doe de vereënigde pogingen van Ulieden, Rector Magnificus, en Professoren! en van ons Curatoren tot welzijn dezer Hoogeschool wel gelukken!

Ik ga over tot het plegtig werk van dezen dag.



Digitized by Google

HERMANNI MUNTINGHE,

RECTORIS ACADEMIAE GRONINGANAE

MAGNIFICI,

ORATIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMI ACADEMIAE GRONINGANAE CURATORES, BONARUM LITERARUM STATORES AC VINDICES EGREGII,

QUI CURATORUM COLLEGIO AB ACTIS ES, VIR SPECTATISSIME.

OMNIS ERUDITIONIS LAUDE CUMULATISSIMI PROFESSORES, COLLEGAE CONIUNCTISSIMI.

QUOTQUOT PRAESENTIAE VESTRAE HONORE SOLLEMNITATEM HANC CONDECORARE DIGNAMINI, VIRI, AUCTORITATE PUBLICA, NATALIUM SPLENDORE, MUNERUMQUE DIGNITATE AESTIMABILES, REPUBLICA ADMINISTRANDA, MAGISTRATU GERENDO, IUDICIIS CONSILIISQUE MODERANDIS HABENDISQUE, VEL QUACUNQUE ALIA DIGNITATE DE BONO COMMUNI OPTIME MERENTES.

REVERENDI SACRORUM QUARUMCUNQUE RELIGIONIS FORMARUM ANTISTITES.

QUARUMVIS ARTIUM AC SCIENTIARUM DOCTORES ERUDITISSIMI, ACUTISSIMI, EXPERTISSIMI.

LECTISSIMA IUVENTUTIS ACADEMICAE CORONA, PATRIAE, ECCLESIAE, SOCIETATISQUE HUMANAE SPES, NOSTER AMOR, NOSTRA CURA.

QUOTQUOT DENIQUE AD HANC AUGUSTAM SOLLEMNITATEM CELEBRANDAM CONFLUXISTIS, OMNIS ORDINIS AC DIGNITATIS AUDITORES EXOPTATISSIMI.



Vix annus praeteriit, cum CELSISSIMUM ARAUSIONIS ET NASSAVIAE PRINCIPEM, quem iam AUGUSTISSIMUM BELGARUM REGEM colimus, ſua praeſentia, una cum REGIA CONIUGE, Academiam nostram illustrisſimo praeſentiae ſuae honore condecorantem, coram venerati ſumus. Salutavimus Eum isto tempore tamquam „univerſae eruditionis patronum liberalisſimum,

Digitized by Google

„a quo literae nostrae et otium, quo dissensiones ac bella eas privassent, et „praesidia, quae Gallica dominatio, et comitantia illam mala ab iis abstulis„ sent, partim reddita sibi gloriarentur, partim reddenda secure exspectarent."

Et tunc, et postea AUGUSTISSIMI REGIS benevolentia abundantissime quod exspectaveramus explevit. Omnibus vero Regiis in civitatem nostram literariam impensis beneficiis cumulum addit haec, quam hodie celebramus, universae per patriam nostram eruditionis, Academiaeque etiam nostrae ad novam quasi vitam resuscitatio.

Neque enim dubito A. A. H. H. quin vos universi, siquidem de eruditionis praestantia et in bonum publicum valore rite iudicare potestis, nihil esse posse mecum existimaturi sitis, e quo REGIS nostri laus, iam sic multorum aliorum Regum Principumque laudibus longissime antecellens, luculentius capiat incrementum, quam inde, quod nullam suam iudicet maiestatem, nisi et eam literarum studiis, non tantum conservandis, verum et ad maiorem perfectionem evehendis servire faciat: quamquam enim et bellicam gloriam consecutus sit REX noster eximiam; habet tamen ea, quam nunc praedicamus, haud parum, quod bellicae gloriae infinitum quantum antecellat; uti enim bellica virtus nunquam comparatur, nisi fautricis fortunae, coniunctaeque cum ea militum operae adiumento, insuperque nunquam fere nisi facultatum vitaeque quamplurimorum naturae nostrae sociorum damno acquiritur; ita, quae e literarum cultu ac patrocinio ad Reges Principesque derivatur, sola sua est ipsorum, quippe ex una interna animorum bonitate ac magnitudine, nulli in quibuscunque aliis rebus dominantis fortunae imperio subiecta, profluens, nullo cuiusquam sanguine infecta, neminisque damno infamis, verum contra felicitatem habens comitem, per universam rempublicam, sive civilem, sive religiosam, quam latissime diffusam.

Immo vero nulla re maiorem curatae amplificataeque felicitatis publicae gloriam adipisci potuisse REGEM nostrum, hoc quidem et ipsa res ac ratio clarissime docet, et omnis aevi experientia luculentissime confirmat.

Fingite modo vobis rempublicam A. A. ubi ingeniorum cultus negligitur, nullusque utilium rerum notitiis, sive docendis, sive discendis, honos habetur; quid ibi regnare potest praeter horridam barbariem, crassam, veraeque animi humani, sola virtute censendae, praestantiae ignorantiam, ac supinam virtutis mentisque, ad eam excolendae, ex ignorantia illa prognatam negligentiam,

Digitized by Google

effrenos in omnia humanitatem honestatemque dedecorantia vitia impetus, superstitionem, animos anilibus nugis aut terroribus imbuentem, vel et horrida saevitia in corpora, immo ipsas aliorum opiniones conscientiasque imperitantem, et si quae sint huius generis alia, felicitati humanae inimicissima.

Contra imaginem vobis sistite reipublicae, ubi literae coluntur, ubi habentur, qui et ipsi ingenia animosque vera eruditione limare, et alios doctrinae artiumque ornatu pro cuiusvis captu expolire allaborent; quam diversa illic reperiatur rerum facies? dispulsis quippe ignorantiae tenebris, orta scientiarum artiumque lux radios quaquaversum dispergit, in ipsos penetrans hominum animos, eos rerum, ad vitae felicitatem, eamque talem, quae homine digna sit, necessariarum, notitia collustrat, verae virtuti ad mentem, recta praestantiae suae intelligentia collustratam, aditum quasi parat, animos moresque ad quamvis humanitatem apte componit, religionemque, superstitionis sordibus depurgatam, exhibet generi humano, validam pravarum libidinum frenatricem, acrem ad genuinam virtutem adhortatricem, certamque omnis solatii omnisque verae felicitatis conciliatricem.

Vultis hoc exemplis probatum? in memoriam revocate eos, qui antiquissimos terrae incolas ex inculta barbarie ad morum comtiorum culturam reformare tentarunt: nonne divinae praesertim poëseos tunc efficacia morum feritatem emollivit, prima pietatis erga Deum semina sparsit, parentes colere iussit, animos, perpetuis litibus bellisque dissociatos, conciliavit, coniugiorum fidem stabilivit, uno verbo, non sivit genus humanum esse ferum?

Vultisne aliud exemplum? respicite medii, quod dici solet, aevi historiam; quam tristis se menti vestrae offeret rerum facies? inculta barbaries, crassa inscitia, infausta simul rerumpublicarum conditio, numquam quiescens armorum crepitus, bella continuo e bellis sata, discordiae, numquam, rarissime saltem, pace interruptae, affines, propinquos, amicos perpetuo dissociantes, et ad mutuas saepe pugnas caedesque provocantes, mores feri et inhumani, nobilissimos aeque ac vilissimos hominum ordines deturpantes, lascivia et impudicitia, quae et Regum augusta palatia, et sanctos Praesulum Ecclesiasticorum Clericorumque recessus in spurcissima haud raro commutaret lupanaria, religio, ex uno ineptorum Clericorum arbitrio pendens, soli eorum avaritiae et dominandi cupidini explendae comparata, vanarum superstitionum ineptiis oppleta, immo

Digitized by Google

et, ne plura addam, ſincerae doctrinae Euangelicae turpisſima depravatione largisſimum vitiis pabulum ſubminiſtrans.

Comparate ſpisſam hanc barbarae aetatis caliginem cum luce illa literarum, quae maxime inde a ſaeculo XV oriri coepta, univerſam fere Europam colluſtravit; quam laetam inde exortam conſpicitis omnium rerum converſionem: haec enim religionem ſuperſtitionis et hierarchiae iugo exſolvit, doctrinarum pomoeria e Graecia et Italia ad quamplurimas alias Europae partes protulit, mores ad quamcunque humanitatem honestatemque expolivit, homines naturae ſuae dignitatem eique accommodatam virtutis praeſtantiam iusto aeſtimare docuit pretio: imo huic, ut uno omnia verbo complectar, nostra aetas quidquid habet pulchri bonique in ſolidum debet.

Neminem itaque vestrum fore confido, A. A. qui non mecum conſentiat, eos demum Reges Principesque publicae felicitati conſulere cenſendos esſe, qui doctrinarum utilium ſtudia adiuvare, earumque notitiam civibus faciliorem parabilioremque efficere conantur. Ivit hac de cauſſa in ſaecula laus CAESARIS AUGUSTI, CAROLI MAGNI, PRINCIPUM MEDICAEORUM, FRANCISCI I Galliae, HENRICI VIII, et EDUARDI VI Angliae Regum, MAXIMILIANI I et IOSEPHI II, Imperatorum Germanicorum, FRIDERICI III, Borusſiae Regis, PRINCIPUM ARAUSIONENSIUM omnium, et aliorum gentium ac regionum Gubernatorum, qui literarum ſtudia vel ſuae eruditionis exemplo commendarunt, vel auctoritate ſua ſtabiliverunt, vel opibus ſuis adiuvarunt, vel denique Scholarum et Academiarum inſtitutione emendationeve perfecerunt.

Et vos igitur A. A. H. H. non meae tantum, verum et omnium bonorum indicio vestram adſcribitis ſententiam, REGEM nostrum nullo luculentiore probare potuisſe argumento, populi ſui felicitatem ſummam ſibi esſe legem, quam hoc, quod omnis boni communis fulcrum ac fundamentum poſuit ingeniorum animorumque cultum; utpote absque quo quidquid felicitatis publicae nomine venditetur, aedificii inſtar est, externi quidem ſplendoris ornatu omnium ad ſe oculos attrahentis, ſed, cum absque fundamento creverit, in ruinam proni. Immo vero eo praeſtantius, eoque perennius iudicabimus hoc ſapientiae prudentiaeque REGIS nostri molimen, quo accuratius, quam egregium conſilioque ſuo ſaluberrimo accommodatum illud ſit, penſitemus.

Primum quippe hoc laudem, quam ſibi latis inſtitutionis eruditioris legibus

Digitized by Google

paravit AUGUSTISSIMUS REX noster, quam maxime amplificat, quod non ipsum tantum Academicorum studiorum curriculum aptis regulis gubernari, verum et Scholasticam institutionem arctissimo cum studiis Academicis vinculo coniungi voluit: valde enim exiliter de vestra perspicacia iudicarem, nisi hoc vobis aeque ac mihi certissimum esse sumerem, pueriles animos non ad omnem tantum eruditionis Academicae encyclopaediam, verum et ad vitiorum, quae iuniorum molles et in utramque partem flexiles mentes facile in devia abducunt, fugam, virtutis cuiuscunque amorem, et quamvis morum honestatem comitatemque eo felicius fingi atque componi, quo altius eos generosis religionis virtutisque sensibus imbuerit, quo ardentiorem liberalioris doctrinae amorem iis inspiraverit, et quo firmiora solidioraque fundamenta eorum, quae in Academiis discenda sunt, in illorum ingeniis iecerit accurata prudensque Praeceptorum Scholasticorum diligentia.

Saluberrima igitur non ad ipsorum tantum studiorum literariorum, verum et ad universae felicitatis publicae emolumentum haec REGIS nostri est voluntas, quae et institutionem eruditiorem Scholasticam, dirissimis, quae patriam nostram per plures annos conquassarunt, calamitatibus miserum in modum labefactatam, non tantum ad pristinum splendorem restituere, verum et ad maiorem, quam antea, perfectionem educere decrevit, eique hunc in finem haud pauca necessaria, quibus huc usque vel minus liberaliter instructa, vel prorsus destituta fuerat, subministravit subsidia, docentium et discentium utilitati egregie accommodata.

Neminem praeterea inter vos esse arbitror, Auditores cultissimi! qui non CICERONI adstipuletur, asseveranti, *omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habere quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se contineri;* adeo ut non tantum una alteram quodammodo adiuvet, una ad alterius intelligentiam viam muniat planiorem expeditioremque, verum et omnes ita se mutua plerumque ope sustentent, ut, si unius cognitio desit, ne prima quidem alterius elementa intelligi possint.

Perspexit hoc iam maiorum nostrorum sapientia, utpote quae hanc ob caussam omnium, quae humanitatem decent exornantque, artium ac scientiarum ambitum, in quantum ille singulis aetatibus doctorum hominum ingeniis patefactus erat, Academica institutione comprehendi voluit; perspexerunt hoc quotquot deinceps diligentem et accuratam Academiarum curam gesserunt, qui iden-

Digitized by Google

tidem campum, Academicis institutionibus emetiendum, eo amplius dilatarunt, quo longius, labente tempore, prolata fuere artium scientiarumque pomoeria. Si vero semper summae laudis praeconio dignos se praestiterunt qui bonarum artium scientiarumque studia ad maiorem latiusque se continuo protendentem utilitatem in tantum convertere allaborarunt, in quantum illae et ambitu et perfectione creverunt; quis non ultro agnoscit, quantum et hoc Regii, de quo nobis sermo est, decreti praestantiae conferat augmentum, quod non tantum ea, quae veneranda maiorum sapientia docenda ac discenda constituerat, nimium eheu saepe neglecta, immo et impudenter aliquando contemta, nova denuo sanxit auctoritate, verum etiam quod, accommodate ad beatiorem, qua iam florent, artium scientiarumque studia, fortunam, ea quoque docendorum discendorumque catalogo inseruit, quorum utilitas maiorum aciem fugerat, immo quae et nostra demum, proximeque nostram antecedente aetate, vel detecta vel clariore in luce collocata fuerunt, in quibus exempli loco nominare sufficiat singularum artium scientiarumque encyclopaediam et methodologiam, oeconomiam ruralem, literaturae et eloquentiae Belgicae studium. Haec et similia cum e Regii decreti mandato partem iam efficiant institutionis Academicae, non cuiusvis docentis discentisque arbitrio, commissam, sed lege, docentes discentesque obligante, constitutam; omnium quasi oculis expositus est latissimus Academici curriculi in posterum ambitus: fontesque artium ac scientiarum, omnibus nobili earum ardore sitientibus multo nunc, quam antea, latius apertos esse, neminem latere potest.

At erunt forte, qui, quando, inspecto Regio decreto, vident, quot et quanta cuilibet, ad quamcunque se applicare velit artem scientiamque, discenda sint, metuant, ne discendorum copia nimium obruantur iuvenilia ingenia.

Metus illius et ego me palam profiterer consortem, nisi eum penitus excuteret ordinis, artium literarumque studiis praescripti, concinnitas, quae novum praeclarae decreti Regii sapientiae praebet argumentum. Nemo quidem facile inficias iverit, ingeniorum diversitati vix convenire leges, quibus studiorum ratio et ordo gubernetur, nisi paucas, easdemque maxime generales, legumque, eandem omnibus discendarum artium scientiarumque viam praescribentium, effectum necessario hunc esse, ut iuvenum, ad liberales animi sensus educatorum et porro fingendorum, ingenia retardentur, magis quam proficiant, iudicii acies obtundatur, potius quam exacuatur, laboris patientia langues-

Digitized by Google

cat magis, quam novo identidem vigore reficiatur, quin' et serviles potius, quam liberales animis sensus ingenerentur.

At etiam sic aeque periculosum fore oppositum errorem certum est, exlegem in decurrendo studiorum literariorum stadio libertatem, seu potius licentiam, concedentem iuvenibus, quid sibi vere prosit, quid minus, nondum perspicientibus, neque tali adhuc cognationis illius, quae omnes artes scientiasque constringit, notitia instructis, quae eo opus est, ut intelligant, quem quaeque, ut ita dicam, affinitatis gradum teneant, qua ratione una ad alterius intelligentiam viam muniat, et quo pacto una ad alterius emolumentum adhibenda sit. Hos, si soli suo ingenio relicti, nullum viae, inventu imperitis saepe difficillimae, ac per varios se haud raro diversarum artium scientiarumque anfractus obliquantis, habeant praemonstratorem, qui cursum dirigat ac gubernet, facillime a veri rectique tramite ad devia aberrandi adire periculum, uti ipsa res ac ratio luculentissime docet, ita et omnium temporum certissime confirmat experientia; utpote quae multa eademque omni dubio maiora exhibet documenta, clarissime testantia, caussarum, propter quas diligentissimus etiam quorumdam iuvenum Academicorum labor parum profecerit, vel alii immaturos in Ecclesiam, vitamque, sive civilem, sive socialem studiorum literariorum fructus intulerint, vel et haud paucos laboris, literarum studiis magna ad initium cum industriae contentione impensi, nimis repente taedium ceperit, haud minimam fuisse hanc, quod, nulla habita ordinis ratione, crebo consociabant, quae dissocianda, dissociabant, quae consocianda, praeponebant, quae postponenda, postponebant, quae praeponenda essent; immo et saepe e serie eorum, in quae incumberent, ea expungebant, quibus demtis universa, pulcherrime revincta, eruditionis catena rumpi necesse est.

Sed sustulit decreti regii sapientia hanc studiorum Academicorum ἀταξίαν, quae, quo magis quotidie invaluit, eo certiorem et multorum opinione longe breviorem ad barbariem, ac teterrima, cum barbarie coniuncta vitia viam aperire ineluctabileque, e vitiis illis nexum virtuti, religioni, civitati, societati universae exitium parare coepit: lege enim regia iam cuilibet, Academicae institutioni se formandum dare cupienti, vetitum est in interiora Theologiae, Iurisprudentiae, vel Medicinae studia impudenti ausu involare, absque positis rite in Philosophia, Historia, caeterisque elegantioribus literis eorum fundamentis; iisque, et aequis, et liberalibus legibus universi curriculi Academici via ac

Digitized by Google

ratio est descripta, ut facillimo negotio videre possint liberalioris solidiorisque eruditionis avidi iuvenes, maxime si doctum adhibeant ducem ac monitorem, quonam, et iucundissimo et certissimo, ad eam, summamque, quae eam comitatur, laudem, itinere sit incedendum.

Diffiteri nihilominus nemo potest, quo etiam cunque modo studiorum difficultates, si illa ad certas ordinis leges pertractentur, minuantur; multa tamen etiam sic remanere impedimenta, si ea desint studiorum subsidia, quorum ope quae docentur ac discuntur vel clarius exponantur, vel ad usum exercitationemque admoveantur; utpote quibus disciplinarum doctor, aeque ac discipulus haud minus eget, quam suis, arti exercendae idoneis, artifex instrumentis.

Omni itaque laudis praeconio maior est REGIS nostri erga artium ac literarum studia benevolentia, quae bibliothecas, nosocomia, musea, laboratoria, praeparātorum, quae dicuntur, varii generis instrumentorum, rerumque naturalium repositoria, uno verbo quaecunque singulis disciplinis usui esse queant, vel primum Academiis adiungere, vel latius amplificare, vel elegantius exornare, et ad maiorem perfectionem educere decrevit.

Quicunque quae REX noster de his disciplinarum adiumentis et subsidiis decrevit vel levi oculo inspexerit meae sine dubio suam adscribet sententiam, tutius esse hanc REGIS munificentiam venerabundo involvere silentio, quam pauca dicendo aliquid tentare, quod infra veram eius magnitudinem nimis alte subsidat.

Quicunque praeterea, et ipsa rei natura et omnis aevi experientia edoctus, secum reputaverit, quae sit studii honoris, iuste gubernati, efficacia, quantamque honesta illa, quae omnem invidiam arcet, aemulatio vim habeat ad generosos animis sensus instillandos, profectusque, ut ait QUINCTILIANUS, firmiores in literis alendos, is neque ab eodem eximio naturae humanae observatore dissentiet, iudicante, incipientibus condiscipulorum quam praeceptorum, hoc ipso quod facilior sit, iucundiorem esse imitationem; utpote vitium similibus, quae arboribus applicitae, inferiores prius apprehendendo ramos, in cacumina evadunt.

Quis igitur, hoc attente considerans, non summis ad coelum laudibus tollit novam Academiarum nostrarum institutionem, quae studiosae iuventuti non tantum ipsam Praeceptorum doctrinam in exemplum ponit, ad quod aliquando imitatione exprimendum summa laboris contentione adspirent, verum et, pro-

Digitized by Google

pofitis luculentis victori praemiis, ipfam iuventutem Academicam ad mutua, huc usque in patria nostra ignota certamina literaria provocat?

Ad hanc vero horum certaminum mentionem vultus vestros, Iuvenes Academici! nefcio qua laetitiae luce exhilaratos videre mihi videor. Immo vero haud me fallet hoc bonae mentis vestrae, ex ista frontium vestrarum ferenitate captum omen: iam enim video vos, nobili ardore incitatos, de victoria certantes: mente iam praefentio fervidam, qua, his honoris ftimulis incitati, alter alteri in literarum ftadio palmam praeripere conabimini, laboris contentionem: neque quemquam inter vos inveniri credo, qui non praecipiat ineffabilem illum animi, non gaudio tantum elati, verum et ad maiorem in literarum ftudiis induftriam collocandam exftimulati fenfum, quem reportata tam illustris de caeteris commilitonibus victoria inflammabit.

Ad has itaque nobilisfimas concertationes, optimi Adolefcentes! eo acrius vos exhortor, quo certius est, earum gloriam quidem ad victores, utilitatem autem non ad folos victores, fed ad victos etiam pertinere: uti enim, quemadmodum idem ille, quem modo commemoravi, eximius ingeniorum iudex QUINCTILIANUS inquit, nec fuperior fuccesfu curam remittet, ita et dolor victum ad depellendam ignominiam concitabit, At vero quid de victi ignominia loqueris, QUINCTILIANE? ipfos etiam victos, tam generofa pugna decertantes, non quidem victoriae, verumtamen induftriae, eaque eximia, laus confequetur: quippe et hi conando oftendent, quo loco haberi velint, et ad quod folidae laudis fastigium adfpirent: neque etiam vos, qui certamine inferiores eritis, fruftraneum fore laborem vestrum existimate: quippe, dummodo induftria vestra non languefcet, forte paullo tardius, at nihilo fecius haud minus certo, quam victores, idem illud pulcherrimae gloriae decus, quo doctrinarum ftudia, probis moribus exornata, cultores fuos condecorant, aliquando adipiscemini.

Uti vero, honoris adhibitis ftimulis, egregie iuvenum Academicorum pectora verae eruditionis amore inflammare conatur REGIS nostri prudentia; ita et impedimentorum illius haud minimo, paupertati, eam attulit medelam illius munificentia, quae Principem decet, qui fummo iure *optimus* cognominari meretur.

Prolixa infuper REGIS erga literas literatosque homines benevolentia quam luculenter confpiciatur in auctis Doctorum Academicorum ftipendiis, et in liberalisfima erga eorum viduas parentibusque orbatos liberos cura, uti procul du-

Digitized by Google


bio mecum omnes in universis Patriae nostrae Academiis muneris Professorii socii gratissima mente agnoscent; ita equidem publice eam laudare detrecto; ut animi, plus iusto lucri faciendi studio intenti, nostri imprimis ordinis homines parum decentis, suspicionem a me amoliar universam. Hoc unum, ut, quam accommodate ad ipsa literarum studia adiuvanda collocetur Regia haec munificentia, appareat, indictum praetermittere nequeo, non tantum ea eximie augeri facilitatem acquirendae, caro saepe pretio constantis, eruditae supellectilis, cuius sibi comparandae e nummorum penuria orta difficultas docta eruditorum conamina haud parum aliquando retardavit, verum et ipsam historiam multis, quae omnes fere aetates larga copia exhibent, exemplis luculentissime testari, bonarum literarum fortunam cum beneficiis privilegiisque, quibus earum cultores cohonestarentur, semper adaequatam fuisse.

Haec itaque tot et tanta cum sint Tua, AUGUSTISSIME, non oculis quidem nostris, at mentibus tamen praesens BELGARUM REX, in doctrinarum studia, in patriae iuventutis institutionem, in Academiam denique nostram merita; quam lubenter, omnem, quem et Academia nostra, et universa patria tibi debet, grati animi affectum exprimere vellem!

Hoc vero cum meam quidem superet mediocritatem; illud tamen unum tacito pectore premere vetat, qui omnium animos regit ac concitat, religionis sensus, nos in TE ipsam adorare DIVINITATEM, utpote quae hanc TIBI tam liberalem, et ad suae ipsius benignitatis imaginem compositam, indidit mentem, TEQUE selegit, exquisitissimi sui erga nos literasque nostras favoris administrum.

TU autem, quo ad agendas TIBI verbis gratias nos, quicunque Academiae huius saluti et emolumento operamur, vides imparatiores, eo nos ad reddendas universa vitae, saluberrimis tuis consiliis ac legibus accommodatae, conformatione semper reperies promptiores paratioresque; quod dum sanctissime TIBI spondemus, TE, Tuam Gentem, Tuum regimen, Tuaque omnia DEO commendamus, Tuaeque erga literas benevolentiae laudem praedicandam committimus gratae posteritati, quae, ipsa re expertura, quam copiose per omnes, se mutuo excepturas, generationes permeënt Tuorum in conservandis, stabiliendis, immo et ad maius meliusque provehendis literarum studiis beneficiorum effectus, veram hanc et solidam nominis Tui gloriam numquam senescente memoria custodiet, tuebitur, immo et perpetuo amplificabit.

Digitized by Google



Hac autem occaſione ea quoque recordatus, quae, cum Academia nostra Univerſitati Gallicae ſuberat, contigerunt, non quidem memoriam retractabo eorum, quae tunc dura ac tristia acciderunt; utpote quorum commemoratio ab huius diei laetitia, omnia, quae ſoporatos ſuſcitent dolores, procul esſe iubente, alienisſima foret: at postulat nihilominus viva officii mei conſcientia, ut publicam grati animi testificationem edam iis, qui mihi, tempore isto Academiae regimen ſuſtinenti, auxilio ac benevolentia ſua praeſto adfuerunt.

Tibi itaque, amicisſime VAN SWINDEREN! cui una cum amplisſimo CAMPERO, praeclare de nostra Academia merito, ſed quem palam gratulari iam non licet, concredita fuit, Inſpectio, quae a Gallis dicebatur, Academiae Groninganae, Vobis inſuper, VIRI CLARISSIMI, qui e Profesſorum ordinibus conſilii Academici mecum collegae fuistis, Tibi denique, AMPLISSIME SYPKENS! qui Academiae ab actis fuisti! Vobis inquam omnibus ſi vellem ſignificare, quanta fuerint vestra, aerumnoſa ista temporis periodo, erga Academiam nostram merita, et quam prompte difficillimum, quod humeris meis impoſitum erat, onus ſublevaveritis, vererer, ne modestiae vestrae gravis esſem: neque, ut verum fateor, habeo, quo vestra merita, vestramque mihi praeſtitam amicitiam pro dignitate concelebrare posſim.

Meritae ergo laudis vice accipite nudam animi, erga Vos gratisſimi, ſignificationem, de pectore profectam, et, cuius ſinceritatem, quod ſanctisſima Vobis fide ſpondeo, re ac factis ſemper Vobis probare allaborabo. Vos interim et me amicitia vestra complecti pergite, et felices vivite.



Ut vero ad ea pedem promoveam, quae arctius cum huius diei ſollemnitate coniuncta ſunt, principe loco Vos mihi compellandi estis, VIRI AMPLISSIMI, UNIVERSITATIS GRONINGANAE CURATORES! quos utinam omnes praeſentes conſpicerem! ſed quae cum nos non beët fortuna; praeſentibus abſentes comprehendere liceat.

Gratulor Vobis, VIRI AMPLISSIMI, gratulatur Vobis mecum univerſa haec civitas literaria hunc honorem, Regia in Vos collatum benevolentia. Laeta

Digitized by Google

Vobis asſurgit Academia Groningana, ſui curam delatam conſpiciens Vobis, quos, tamquam ipſos literarum ſtudiis rite initiatos, vel eo ſolo nomine ceu genuinae eruditionis vindices ac ſtatores pie veneratur, ac quem erga ſe ſtudium numquam remisſurum et ille, qui Vos omnes incendit, literarum colendarum adiuvandarumque ardor, et antea eiusdem muneris a plerisque Veſtrum magna cum laude geſti memoria ipſi perſuadet luculentisſime.

Neque igitur ego illam adeo veſtro amori veſtraeque curae commendo, quam potius hanc meam, certisſimis argumentis nixam, fiduciam et Vobis, et huic coetui, dictis meis procul dubio asſentienti, exponere audeo, Vos, nullo etiam uſos ſuaſore, niſi ipſo hoc veſtro in literarum bonum intento animo, ad Academiae gloriam propagandam Academicaeque inſtitutionis ſalubritatem conſervandam, immo et augendam perficiendamque, traditam Vobis provinciam non fide tantum expleturos, verum et ſplendidisſime exornaturos esſe. Macti igitur eſtote hoc veſtro honore, VIRI ILLUSTRISSIMI! et, patrocinante Vobis Veſtrisque benignisſimo NUMINE, felices agite!

Hoc tandem certisſime perſuaſum Vobis ſit, VIRI AMPLISSIMI! et me, huius Univerſitatis regimini benevolentisſimo REGIS arbitrio admotum, et omnes meos in hac Univerſitate Collegas, divino, quod enixisſime imploramus, auxilio ſuſtentatos, nihil antiquius habituros, quam, ut officia nobis impoſita accurate impleamus, et ut honori, quem Vobis, veſtrae dignitati, veſtrisque meritis debemus, numquam deſimus.

Te quoque inſalutatum praetermittere nefas ducerem, VIR NOBILISSIME, qui Univerſitatis Curatoribus ab actis es! Tibi etiam munus hoc, quo Tua te peritia egregiaque et longa experientia probata dexteritas dignisſimum efficiunt, ex animo gratulor, idque ut ita geras, ut, quas Tibi iam comparasti, laudes novis, inde ad te redituris laudibus luculentisſime cumulentur, ardentisſime opto.

Porro ad vos mea dirigatur oratio, DIVINARUM HUMANARUMQUE ARTIUM AC SCIENTIARUM PROFESSORES, Collegae coniunctisſimi! in quibus vero me fruſtra quaerere RUARDIUM noſtrum, virum optimum ac de Academia noſtra aeque ac de re literaria univerſa praeclare meritum, ingenti cum doloris affectu ſentio, quem vero, quamquam caeteroquin iuſtisſime ei indulgerem, nunc huius diei laetitia comprimere iubet.

Eſt, quod Vobis, qui iam antea hanc Muſarum ſedem eruditionis veſtrae

lumine collustrastis, aeque ac mihi laborum vestrorum focio, impenfe gratuler de munere Profesforio, diu in hac Academia gesto, nobis denuo renovato: non vero est, quod Vos exhorter, ut, Regia hac benevolentia, quam omnes mecum gratisfimo animo agnofcitis, dignos vos praeftetis, eodem, quo antea foluiftis, modo, doctrinae vestrae falubritate virtutisque vestrae exemplo, Academiae nostrae utilitatem omni laboris contentione adiuvando: neque enim mihi tantum iuris fumo et auctoritatis, ut Vobis me monitorem praeberem adhortatoremque, neque Vobis, qui huc usque tanta cum laude ftadium hoc decurristis, calcaria addere opus est.

Salvete porro Vos VIRI CLARISSIMI! quos primum publice Collegas appellare mihi contingit.

Gaudet mecum impenfe univerfus noster ordo, in horum numero Te confpiciens, CLARISSIME STRATINGH! ad munus Profesforis ordinarii meritisfimo iure promotum, Te itidem, CLARISSIME TEN BRINK! praeclarum nuper Academiae Hardervicenae decus, nostraeque, ut certisfime perfuadet nobis meritorum tuorum fama, infigne decus futurum, Te porro, CLARISSIME UILKENS! e cuius eximia Phyfices aeque ac rerum naturalium peritia, fuavisfimae facundiae flore convestita, plaeclara quaevis fibi auguratur civitas nostra literaria, ac Te, cognationis amicitiaeque vinculo mihi dilectisfime LULOFS! quem omnes eo magis iam ordini nostro infertum gaudemus, quo recentior nobis est memoria egregiae laudis, quam, huius Academiae alumnus, Tibi comparasti, et quo certiorem ad fpem nos erigit acerrima Tua, elegantisfimo ingenio adiuta, ardentisfimoque verae eruditionis amore perpetuo vivax diligentia, fore, ut Tu et in hac Academia linguae eloquentiaeque patriae gloriam mafcule tuendo ac propagando tuam quoque ipfius famam continuo latius ac latius extendas.

Valde tandem doleo, me coram alloqui non posfe GUYOTUM, virum, multis nominibus valde praeclarum fummeque venerandum; utpote morbo, e quo eum brevi ad vegetam fanitatem reducat Deus! domi detentum. Hoc interim certo fcio, neminem esfe, qui non fumma cum animi voluptate virum optimum, fupra omnem laudem de genere humano meritum, hoc honoris testimonio, quod eum ordini Profesforio adiungit, ab AUGUSTISSIMO REGE ornatum confpiciat, eique fausta quaevis adprecetur.

Vos itaque omnes, qui nunc collegio nostro, quod utinam brevi compleat

Digitized by Google

Deze jonge Vorst had tot leermeester in de Oude Talen enz., van 1693 tot 1700, *Joh. Lemonon*, Waalsche Predikant en Prof. in de Fransche Taal aan deze Akademie.

In den jare 1700 kwam Z. H. deszelfs studiën aan deze Hoogeschool voortzetten.

Den 1 Maart gaf de Princesse Moeder daarvan berigt bij de volgende missive:

(16 en 17) Telkens hebben Commissiën uit den Senaat de toepasselijke betuigingen van leed of blijdschap plegtig afgelegd.

Digitized by Google

EERWAERDE EERNTVESTE ENDE HOOG-GELEERDE HEEREN, BEZONDERS GOEDE VRIENDEN!

Naardien wy hebben goedgevonden op aanſtaande Diensdach, s' morgens ten negen uuren, vast te ſtellen het vertrek van den Prince onzen Soone naar Franequer, om aldaar, onder het wyze opzicht van U Eerwaerdens en Hoog-Gels. te continueeren ſyne ſtudien ende andere Princelyke Exercitien, gerequireerd om naar deſen het Vaderland in t' gemeen en deeze Provincie in het byzonder goede dienſten te doen ende t' aanſienlyke ambt aan hem gedefereerd waardiglyk te bekleeden; ſoo hebben wy niet willen naalaten U Eerw. en Hoog-Gel. daarvan by deezen kenniſſe te geven ende met eenen welgem. Prince onſen Soone derzelver voorſorge ten besten te recommandeeren; het welke Hij ten allen tyden en by alle voorvallende gelegenheden dankbaarlyk ſall trachten t' erkennen ende te verſchuldigen.

Hiermede

Eerwaerdige Eerentveste ende Hoog-Geleerde Heeren, beſonders goede Vrienden, beveelen wy deſelve in Godts heylige protectie. *Leeuwarden* den 1 Maart 1700.

U Eerw. en Hooch-Gel. Dienstwillige
A. Fürsten zu Naſſau. (18)

Bij den aankomst is de Prins door den vollen Senaat ontvangen.

Eene plegtige redevoering is op den 6 Maart ter verwelkoming in de Akademiekerk gehouden, door Prof. *Coetier*, en vervolgens is de Prins door den Senaat ter maaltijd ontvangen.

Zijne Hoogheid teekende eigenhandig in het *Album* der Akademie op den 27 Mei 1700, en te gelijk *Carolus Cotzell* armiger, equitis aurati filius, Ceremoniarum magister apud Potentiſſimum Magnae Brittanniae Regem.

(18) Op deze misſive is onmiddelijk beſloten op de beleefdſte wijze te antwoorden en is de brie door eenen Pedel beſteld geworden.

Digitized by Google

Gedurende anderhalf jaren is de Prins aan deze Akademie gebleven en heeft in het bijzonder de lessen bijgewoond van *B. Fullenius*, in de Wiskunde, en van *W. Coetier*, in de Geschiedenissen, die ook de Commentarii van *Caesar* aan hem verklaarde.

Ook vereerde Zijne Hoogheid met deszelfs tegenwoordigheid, in Mei 1700, de lijkrede van *Z. Huber* op *S. Schelkens*; in Januarij 1701, die van *Roëll* op den dood van *Phil. Matthaeus*, en vervolgens de inwijdings-redevoering van *R. Andala*, over de voortreffelijkheid der Natuurkunde.

In het najaar van 1701 begaf zich de Prins naar *Utrecht*, ten einde aldaar de lessen van *Graevius* aan te hooren, geschiedende zulks op begeerte van Prins *Willem de* III, Koning van Engeland, zijnen Voogd (19).

Anno 1707 de Stadhouderlijke waardigheid hebbende aanvaard, werd Hoogstdezelve door eene Commissie van Rector en Assessoren op den 28 November plegtig geluk gewenscht.

In het volgend jaar werd Zijne Hoogheid bij besluit der Staten van den 6 Maart benoemd tot Curator Magnificentissimus Primarius et Honorarius.

De Vorst A°. 1709 op den 25 April in het huwelijk zijnde getreden met *Maria Louisa*, Landgravinne van *Hessen-Cassel*, werd na de aankomst van het Vorstelijk paar, eene Commissie uit Rector en Assessoren benoemd op den 7 Januarij 1710.

Den 21 Januarij 1711 is door Zijne Doorl. Hoogheid ten geschenke aan de Boekerij aangeboden een prachtig exemplaar van den Atlas Coelestis, van *Andreas Cellarius*, bij *Janssoon* en van den Atlas Major of Geographia, van *Blau*, te zamen twaalf Boekdeelen, waarop de R. M. *Gurthlerus* en de Quaestor *Andala*, ter plegtige dankbetuiging gecommitteerd, door den Vorst zeer minzaam zijn ontvangen, zijne blijdschap betuigende dat het geschenk aangenaam was geweest.

Weinig maanden hierna gaf de Vorstinne Douariere, bij eigene missive van den 20 Julij 1711, aan den Senaat kennis van het treurig overlijden des Prinsen. Dit geschiedde nader bij missive van H. H. Gedeputeerde Staten van den 27 Julij, met bepaling der openbare rouwbewijzen, enz.

---

(19) De Professor *Arn. Drakenborch* heeft zulks uitdrukkelijk getuigd in zijne lofrede ter gelegenheid van het Eeuwfeest der Utrechtsche Akademie uitgesproken, bladz. 48.

Digitized by Google

Bij eigene misfive der Princesse Douariere van den 3 Sept. 1811, ontvingen Rector en Senaat vervolgens berigt van de gelukkige bevalling en geboorte van Prins *Willem Karel Henrik Friso.*

Rector en Assesforen ter gelukwensching zijnde afgezonden, is de Commissie, door drie Edellieden van het Hof, beneden aan den trap ontvangen en na de audientie op gelijke wijze weder uitgeleid.

Den 12 Febr. 1712 ontving de Senaat eene misfive van de Princesse Douariere *Maria Louisa*, waarbij de lijkstaatsie werd vastgesteld op den 25 dier maand, met gedienstvriendelijk verzoek dezelve te vereeren met de tegenwoordigheid van Heeren Gecommitteerden, waartoe zijn benoemd de R. Magnif. en Assesforen van den Senaat Judicieel, benevens de Prof. *Coetier*, bestemd om de lijkrede te houden.

Ook heeft weder bij deze plegtigheid de Akademie, bij eene decisie der Staten van den 24 Febr., den rang behouden voor het Nassausch krijgsgerigt.

7°. *Onder Willem Karel Henrik Friso.*

Ook deze jonge Vorst, door eene voortreffelijke opvoeding voorbereid, werd na het voorbeeld zijns Doorluchtigen Vaders en Grootvaders de edele voedsterling der Vriesche Hoogeschool in den jare 1726.

Op den 19 Januarij van de aanstaande komst des Vorsten verwittigd, is de Prof. *Wesseling* benoemd om Z. D. Hoogheid met eene plegtige redevoering te verwelkomen, hetgene is geschied den 3 Mei, zijnde de Senaat op den 25 April, door eene beleefde misfive van de Vorstinne Moeder, verwittigd van den dag zijner komst.

Den 10 Mei teekende de Vorst zijnen naam in het Album, met bijvoeging zijner Spreuk: *Vires dabit aemula virtus.*

Gedurende deszelfs verblijf heeft Z. H. de lessen van *Wesseling*, over de Geschiedenis der Volkeren; van *Hemsterhuis*, over die des Vaderlands; van *Muis*, over de Wiskundige Wetenschappen; van *Heineccius*, over de Regten; en van *Melchior*, over den Godsdienst bijgewoond.

In het volgend jaar begaf zich de Vorst, ter verdere voortzetting zijner studiën, naar *Utrecht*, ter voldoening aan de begeerte van zijnen Moederlijken

Digitized by Google

Grootvader *Carel*, Landgrave van *Hessen*, wiens Zoonen aldaar ook voormaals hadden gestudeerd.

Bij Hoogstdeszelfs benoeming tot *Curator Magnificentissimus Primarius et Honorarius* in 1731, als ook A°. 1734, toen Z. H. in Mei met Zijne Koninglijke Gemalinne in Vriesland was aangekomen, zijn telkens door den Rector en Senaat commissiën ter gelukwensching op het minzaamst ontvangen.

De Akademie heeft ook na dien tijd, en bij aanhoudendheid, in de zorgen en oplettendheid van dien Vorst gedeeld, terwijl de Hoogleeraars met bijzondere blijken van deszelfs gunst en onderscheiding werden bejegend; — Zijne Hoogheid vereerde de meeste plegtige redevoeringen met Hoogstdeszelfs tegenwoordigheid en vondt een groot genoegen in den omgang met Hoogleeraren. Deszelfs vriendschappelijke verkeering, ter beoefening der Wis- en Krijgsbouwkunde, met den Prof. *Loré*, die Z. H. sedert 1736 steeds vergezelde, is ten vollen bekend, ook in deze vriendschappelijke omgang heeft de Hoogleeraar *N. Ypey* gedeeld na den jare 1741.

In 1743 en 1746 ontving weder de Senaat kennis van het bevallen van Hare Koninglijke Hoogheid, waarop ook weder Commissiën hare gelukwenschingen hebben afgelegd.

In 1746 kwam de Prins *Willem Lodewijk van Baden Durlach*, tweede Zoon van wijlen *Frederik*, Erfprins van Baden Durlach, en *Anna Charlotta Aemilia*, Princesse van Oranje, Zuster van Z. H. *Willem Karel Henrik Friso*, ter voortzetting zijner studiën aan deze Akademie.

Na gewoonte is ook deze Prins, door den Rector, plegtig verwelkomd, en heeft op den 26 October deszelfs naam in het Album geteekend.

Dan A°. 1747, de zetel van het Vorstelijk Huis naar *den Haag* zijnde overgebragt, is deze Akademie van de gelukkige nabijheid van Hare Doorluchtige beschermers en begunstigers beroofd.

Bij de terugkomst der Vorsten in 1747, gelijk mede in 1748, en, ten laatsten, in 1749, heeft de Akademie telkens de eer gehad zijne hulde aan Zijne Doorl. Hoogheid te bewijzen, en werd steeds met de gewone minzaamheid ontvangen.

Ook na 's Vorsten ontijdig overlijden heeft de Hoogleeraar *Schrader* dezen ramp in eene Lijkrede in rijm, op den 4 Februarij des volgenden jaars 1752, uitgesproken.

Digitized by Google

Omtrent het voorgevallene gedurende het Beftuur der Koninglijke Princesfe *Anna*, leveren de Acten van den Senaat geene bijzonderheden van aanbelang.

A°. 1765, na het overlijden van de oude en zoo beminde Vorstinne Douariere *Maria Louifa*, binnen *Leeuwarden*, heeft de Senaat den gewonen rouw aangenomen, en de Lijkrede is den 17 Junij door denzelfden Profesfor *Schrader* gehouden.

8°. *Onder den Prins Willem den Vijfden.*

De gelukkige dag bepaald tot 's Vorsten meerderjarigheid, is ook hier op den 8 Maart 1766, door eene plegtige Oratie gevierd, onder den titel van: *Carmen Panegyricum Gulielmo* V. *Principi Auriaco, Patrios in Belgio honores Capesfenti.*

Den 19 Maart is eene Lofrede uitgefproken door den Student *Tenkink*, in de Akademiekerk.

A°. 1767 is het huwelijk des Prinfen met de Koninglijke Princesfe van Pruisfen, door de Akademie, met luister gevierd.

A°. 1773, bij de eerfte komst des Vorsten op den Vriefchen bodem, genoot de Akademie de eer van één bezoek, wanneer Z. Doorl. Hoogh. door den Senaat en eene Commisfie uit de Studenten is gecomplimenteerd. Bij welke gelegenheid de Prof. *Schrader* een Lofrede in Latijnfche verfen heeft uitgefproken.

Kort daarop behaagde het Zijne Hoogheid, den kruidtuin te befchenken met eene zeer oude en groote *Aloë*, ftaande in Hoogstdeszelfs tuin te *Leeuwarden.*

In 1777 heeft de Senaat andermaal de eer gehad, bij de komst des Vorsten met deszelfs Koninglijke Gemalinne, zijne hulde aan het Stadhouderlijk Huis te betuigen.

A°. 1785, bij de viering van het tweede Eeuwfeest der Akademie, terwijl Z. Doorl. Hoogheid, door eene afwezigheid naar *Breda*, verhinderd werd die plegtigheid bij te woonen, genoot deze Akademie de bijzondere eer Hare Koningl. Hoogheid Mevrouwe de Princesfe van Oranje-Nasfau, met de Vorstelijke telgen aan het feest te zien deel nemen, en zijn Hoogstdezelve zoo wel bij de redevoeringen van de H. H. Profesforen *Manger* en *van Kooten* tegenwoordig geweest, als bij de prachtige maaltijd, op den 22 September, door de Heeren Staten gegeven.

Digitized by Google

Dan Zijne Doorl. Hoogheid op den 10 October te *Leeuwarden* zijnde begroet door eene Commisfie uit den Senaat, betuigde zijn leedwezen het Jubilé niet te hebben kunnen bijwoonen.

Den 10 November behaagde het Z. H. een nieuw bewijs van Hoogstdeszelfs weldadige gunst te doen blijken, door het fchenken van een zeer fraai groot *Orrerij* aan de Akademie, waarvoor door eene plegtige Commisfie zijnde bedankt, tevens de belangen der Hoogefchool op nieuw aan de zorgen van Zijne Doorluchtige Hoogheid zijn aanbevolen.

In den jare 1791, bij de laatfte komst des vereeuwigden Vorsten in dit Gewest, is ook de Akademie met een bezoek vereerd geworden, bij welke gelegenheid Zijne Hoogheid door eene aanfpraak van den tijdelijken Rector *van Voorst* verwelkomd, in den Senaatkamer is ontvangen; vervolgens den Tuin- Bibliotheek- en verdere verzamelingen van Natuurkundige Werktuigen, enz. wel heeft gelieven te bezigtigen.

Ook deze laatfte gelukkige tegenwoordigheid des Prinfen werd door weldadige befluiten veraangenaamd, zijnde de tractementen van onderfcheidene Hoogleeraars vermeerderd en eenige andere fchikkingen tot verbetering getroffen.

Eindelijk is de viering der 25e verjaring van het Stadhouderfchap op den 8 Maart, de laatfte gelukkige plegtigheid der Akademie geweest.

Digitized by Google

TWEEDE BIJVOEGSEL.

Wij bieden hiernevens aan eene lijst van de Hoogleeraren in Vriesland geboren, welke van de stichting der Akademie, in 1585 tot den jare 1811 van derzelver vernietiging hebben onderwezen.

GODGELEERDHEID.

Namen.	Geboorteplaats.	Jaar van aanvaard.
J. Acronius.	Akkrum.	1617.
M. Schotanus.	Franeker.	1629.
S. Menaldum,	Menaldum.	1635.
J. Bogerman, van Vriesche Ouders, doch geboren te Oplewert in Oost-Vriesland.		1635.
C. Schotanus.	Schingen.	1639.
J. a Marck.	Sneek.	1676.
C. Vitringa, de vader.	Leeuwarden.	1680.
R. Andala.	Burgwerd.	1701.
C. Vitringa, de zoon.	Franeker.	1717.
P. Conradi.	Leeuwarden.	1735.
E. Tinga.	Leeuwarden.	1799.

REGTEN.

Namen.	Geboorteplaats.	Jaar van aanvaard.
H. Schotanus.	Oldeschoot.	1585.
J. a Beijma.	Doccum.	1596.

Digitized by Google

Namen.	Geboorteplaats.	Jaar van aanvaard.
Lijcklama a Nijeholt.	onzeker.	1604.
naderhand Grietman van Stellingwerf, Oost-Einde.		
T. Faber.	Leeuwarden.	1607.
H. Rhala.	Leeuwarden.	1618.
H. Bouricius.	Leeuwarden.	1620.
B. Schotanus.	Franeker.	1624.
M. Wijbinga.	Harlingen.	1632.
U. Huber.	Doccum.	1657.
T. a Glins.	onder Dronrijp.	1667.
Z. Huber.	Franeker.	1694.
D. Balk.	Leeuwarden.	1709
J. Voorda.	Harlingen.	1723.
G. Darnaud.	Franeker.	1735.
B. Voorda.	Franeker.	1755
E. Wigeri.	Wolvega.	1755
Johannes Valckenaar.	Franeker.	1781.
J. H. Voorda.	Franeker.	1797.

HEEL- GENEES- EN ONTLEEDKUND'

Namen.	Geboorteplaats.	Jaar van aanvaard
A. Auletius.	Leeuw. of Doccum	1589.
R. Clingbijl.	Rinsumageest.	1603.
A. J. Adama.	Franeker.	1608.
M. Winſemius.	Winſum.	1616.
J. Hemsterhuis.	Leeuwarden	1704.
T. Lambergen.	Reitzum.	1749.
Adolphus Ypey.	Franeker.	1776.
G. Coopmans.	Franeker.	1773.
J. Mulder.	Franeker	1797.
Sicco Ens.	Ureterp	1809.

Digitized by Google

WIS- EN NATUURKUNDE, BESPIEGELENDE WIJSBEGEERTE, enz.

Namen.	Geboorteplaats.	Jaar van aanvaard.
B. Fullenius, de vader.	Leeuwarden.	1629.
A. de Grau.	Wanswerd.	1659.
B. Fullenius, de zoon.	Franeker.	1684.
W. Loré.	Leeuwarden.	1707.
N. Ypey.	Bergûm.	1743.
J. P. Tholen.	Leeuwarden.	1788.
H. de Veno, of *van der Veen.*	Leeuwarden.	1602.
L. Adama.	Franeker.	1685.
J. Greidanus.	Franeker	1660.
A. Steindam.	Leeuw. of Hallum.	1664.
J. Schotanus.	Franeker.	1678.
A. Roorda.	bij Grouw.	1611.
J. Hachtingius.	Leeuwarden.	1622.
D. van Dam.	Witmarſum.	1651.
Joh. Phocyl. Holwerda.	Holwert.	1639.
Ch. Munsterus.	Leeuwarden.	1651.
A. Kaldenbach, Lector.	Franeker.	1675.
A. Brugmans.	Hantum.	1755.
S. I. Brugmans.	Franeker	1786.
Cornelis Ekama.	Paeſens.	1807.

LETTEREN.

GRIEKSCHE TAAL.

Namen.	Geboorteplaats.	Jaar van aanvaard.
P. Tiara.	Worcum.	1585.
S. Arcerius.	Franeker.	1605.
P. Moll.	Sneek.	1647.
J. Sibranda.	Witmarſum.	1696.

Digitized by Google

Namen.	Geboorteplaats.	Jaar van aanvaard.
L. Bos.	Worcum.	1697.
G. Koen.	Harlingen.	1766.
J. D. v. Lennep.	Vriesland.	1767.
E. Wassenberg.	Lekkum.	1770.

LATIJNSCHE TAAL, WELSPREKENDHEID, GESCHIEDENIS.

Namen.	Geboorteplaats.	Jaar van aanvaard.
El. Reinalda.	onzeker.	1588.
naderhand Grietman van Donijawerstal en Curator.		
Th. Leontius, of *van Leeuwen.*	Sloten.	1615.
P. Winsemius.	Leeuwarden.	1636.
Acronius a Bouma.	Franeker.	1646.
L. C. Valckenaar.	Leeuwarden.	1741.
J. Schrader.	Ternaard.	1744.
Th. van Kooten.	Leeuwarden.	1784.
J. A. Nodell.	Leeuwarden.	1788.

HEBREEUWSCHE TAAL.

Namen.	Geboorteplaats.	Jaar van aanvaard.
Sixt Amama.	Franeker.	1616.
J. G. Terentius.	Teerns.	1651.

LECTOR IN DE TEKEN- EN SCHILDERKONST.

Namen.	Geboorteplaats.	Jaar van aanvaard.
W. B. van der Kooi.	Augustinusga.	1798.

Digitized by Google

DERDE BIJVOEGSEL.

Wij leveren nog ten slotte een aanhangsel van eenige vermaarde Geleerden; die in hunne jeugd op de Vriesche Hoogeschool zijn gevormd.

Wij zullen hier geene melding maken van Staatsmannen, Predikanten, Regtsgeleerden, Genees- of Heelkundigen, alleen ons bepalende bij dezulken, die de Leerstoelen en aanzienlijke Schoolen van ons Vaderland hebben doen bloeijen.

Als geboren Vriezen uit de laatst verlopen Eeuw, mag men in de Godgeleerdheid opnoemen:

Theod. Scheltinga, Professor te Harderwijk; *H. Mensonides*, Prof. te Lingen; *J. Heringa*, Prof. te Utrecht; *E. Tinga*, te Groningen; *L. Suringar*, thans te Leiden, en *Annaeus Ypey*, te Groningen.

Als Regtsgeleerden:

Jac. Voorda, *Gerlacus Scheltinga*, *G. d'Arnaud*, *S. Gratama*, nog Prof. te Groningen.

Als Geneeskundigen:

F. Snip, te Amsterdam; *G. Coopmans*, *Adolphus Ypey*, thans te Leiden; *Joh. Mulder*, te Groningen overleden.

Voor de Wis- en Natuurkunde:

Ant. Brugmans, *W. Loré*, *N. Ypey*, *Pybe Stinstra*, *H. Aeneae*, *J. P. Tholen*, *C. Ekama*.

Digitized by Google

Voor de Letterkunde:

H. van der Sloot (*a*), *L. C. Valckenaar*, *J. Schrader*, *J. D. v. Lennep*; *Everwinus Wassenberg*, *Jo. Pierson*, *Jac. Terpstra*, Prof. te Deventer; *Jo. Ruardi*, te Groningen; *E. W. Higt*, *H. Bosscha*, *S. Wijngaard*, *R. v. Ommeren*, *J. A. Nodell*, *G. T. Suringar*, Prof. te Lingen; *H. Waardenburg*; *E. Epkema*, en *H. Frieseman*.

Geleerden, schoon geene Vriesen, op de Akademie te Franeker gevormd, zijn de volgende:

Jo. Alberti (*b*), *H. Venema*; de vermaarde *C. van Bynckershoek*, ook alhier gepromoveerd; *Godfried Bidloo*, beroemd Genees- en Ontleedkundige; *Joh. Ortw. Westenberg*, *Petrus Wesseling*, *Isacus Valckenaar*, *Jo. Arntzenius*, *Jo. Th. Rossyn*, *A. Chaudoir*, *Jakobus v. Vaasen*, *B. Schonk*, *Hendrik Verbeek*, *P. Dreux*, enz.

Ook de beroemde Instrumentmakers *Jan Pauw*, te Leiden, en *Canzius onder de Wijngaard*, te Delft, hebben hier gestudeerd.

(*a*) Zeer bekend in het Oostersch, heeft te Leiden privaat onderwijs gegeven, en heeft het Arabisch Gedicht *Togray* uitgegeven.

(*b*) De vaderlijke vriend van *Rhunkenius*, uitgever van den *Hesychius*, discipel van *Lambert. Bos*, en Professor Theol. te Leijden.

Digitized by Google

WESSELII ALBERTI VAN HENGEL

ORATIO

DE

ELEMENTIS DISCIPLINAE THEOLOGICAE BENE AC DILIGENTER PERTRACTANDIS.

PUBLICE HABITA

die XXVIII Decembris MDCCCXV.

CUM

ORDINARIAM THEOLOGIAE IN ATHENAEO FRISIACO PROFESSIONEM SOLENNI RITU AUSPICARETUR.

Digitized by Google

Digitized by Google

GUBERNATOR FRISIAE ILLUSTRISSIME!

ATHENAEI FRISIACI CURATORES NOBILISSIMI!

QUI EX ORDINUM DEPUTATIS AD HAEC NOSTRA SOLENNIA CONCELEBRANDA DELEGATI ESTIS, VIRI AMPLISSIMI!

RECTOR MAGNIFICE, PROFESSOR HONORARIE, CETERIQUE QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

URBIS FRANEQUERANAE MAGISTRATUS, VIRI SPECTATISSIMI!

SACRARUM LITERARUM INTERPRETES HONORATISSIMI!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI!

QUOTQUOT ADESTIS, CIVES, HOSPITES, SUO QUIQUE LOCO ET DIGNITATE CONSPICUI!

PRAESTANTISSIMI DENIQUE IUVENES, PATRIAE SPES, ATHENAEI ORNAMENTUM, NOSTER AMOR ATQUE DELICIAE!

Quod Veteres pariter ac recentiores tradunt Philosophi, nulla esse in his terrarum regionibus divini numinis dona, quae nos mortales ab omni parte beatos efficiant, id ego quoque hisce diebus perspicue intellexi. Allato enim mihi nuncio, me Regis augustissimi benevolentia Theologiae Professorem in hoc Athenaeo designatum esse; meam quidem gratulabar fortunam, gaudioque, supra quam dici potest, perfundebar; suborta vero mox novi prorsus et ardui, quem mihi imponi sentiebam, laboris cogitatio animum tantopere exercuit ac vexavit, ut abesset parum, quin me honorum mihi praestitorum poeniteret.

Digitized by Google

Nec quidquam tamen me magis ſollicitavit, quam cura orationis, brevi habendae, quae ſi ſpem auditorum et exſpectationem omnino falleret, ſuscepti muneris triste foret atque infaustum omen. Nempe dicendum erat de ſuggestu, quem maximorum ab aevo virorum eloquentia immortalitati conſecraverat. Dicendum erat adſtante doctisſimorum hominum corona, nec modo adſtante, ſed patres quoque avosque, tanquam e mortuis, testes excitante. Pro tali autem concione dicturus eram ego, quem per duodecim, et quod excurreret, annos ab literarum cultoribus fere ſemotum, una rusticorum hominum inſtitutio occupasſet. Et id mihi proponere debebam dicendi argumentum, non quod in triviis vulgatum esſet, aut unis Theologis cognitum atque auditum, ſed quod, et meam quidem ingenii haudquaquam ſuperaret exiguitatem, et perſona tamen mea ac munere ſatis dignum iudicatum iri praeviderem. In tales igitur tantasque compulſus angustias, quo tandem modo me expedirem, dubius utique haerebam: ſed erat aliquid amplectendum, nec interponenda mora. Dicere igitur conſtitui *de Elementis disciplinae Theologicae bene ac diligenter pertractandis*. Quod quum hodie aggrediar; utinam id vobis auditoribus ita peragam, ut intelligenti vestro iudicio non omnino videar cauſa cecidisſe! Aequis, obſecro, vos ac placidis favete auribus! Vultu vos oculisque annuite, vos, ſi vel plauſum ferre mihi non contingat, tenuitati tamen meae humanitate veſtra veniam esſe daturos.

Elementa Disciplinae Theologicae quaenam ſint, post doctrinarum ſcholas ſapienti Regis conſilio inſtauratas, non attinet disputare. Tria igitur ſumimus nostrae Disciplinae Elementa: *Hermeneuticam ſacram*, *Historiam Eccleſiasticam*, *Theologiam Naturalem*. Haec autem ab unoquoque, qui ad eruditionis theologicae laudem adſpirare velit, bene ac diligenter pertractanda esſe, nemo intelligentium negare ſustineat. At ſunt tamen haud pauci, qui, placentes ſcilicet vulgo, vel ignaviam ſuam pro rerum trutina habentes, in alias partes vergant. Pars igitur contendunt, religionis doctori levem horum Elementorum ſcientiam ſufficere; ſystematis modo, quod dicunt, theologici decreta memoria comprehendat, atque aliqua inſuper Oratiuncularum ſacrarum conſcribendarum potius ſit facultate. Multo peius alii, accurata doctrinarum ſtudia tristibus, ut aiunt, ludimagistris relinquentes, in iis unice rebus curam ponunt ac diligentiam, quas ſplendido nomine *Populares* vocant. Haec nimirum, haec est huius aevi, clari ceteroquin atque illustris, perverſitas et pene dementia,

Digitized by Google

omnibus bonis detestanda, ut ii, quibus ad antiquam eruditionis laudem pateat aditus, a regia tamen studiorum via deflectentes, per diverticula oberrare ament, ac tralatitia rerum cognitione puerorum more gloriari. Serpit, A. A. serpit hocce malum, non per Galliam solum et Germaniam, ubi haud pauca opinionum monstra gigni videmus, sed per nostram, eheu! Patriam, perfectae olim doctrinae matrem atque nutricem. Serpit utique viperarum astu, per domos, per scholas, per sanctas Musarum sedes; iuvenum plurimorum pectora corrumpens, neque eos, qui ad augustissimae religionis patrocinium accinguntur, vanitatis et segnitiei veneno inficere formidans. Vestrum, Iuvenes! ne id inficiat, adeoque perdat animum, averruncet Optimum, Maximum Dei numen! At vos tamen A. A. monitorem me ferte et medicum, aliquam malo, sicubi lateat, curationem admoventem. Diligentem trium Disciplinae theologicae elementorum pertractationem his potissimum de caussis commendabo: Primum, *quod eorum singula utilem per se ac iucundam homini suppeditant exercitationem:* Deinde, *quod sedulo unius Elementi studio cetera insigniter illustrantur:* denique, *quod accurata eorum omnium cognitio ad altiores doctrinas bene addiscendas quasi manu ducit.*

Primo igitur *utilem per se et iucundam praebet exercitationem Hermeneutica sacra.* Hermeneuticam dicimus, auctore ERNESTIO, eam disciplinam, quae rationem tradit sententiae quorumque verborum subtiliter et inveniendae et explicandae. (*a*) Quemadmodum autem hac unice duce intelligi possunt veterum ac recentiorum libri, sic etiam utriusque Foederis sacri volumina: utpote humanum opus, sub Dei quidem auspicio, sed vulgari tamen hominum sermone scriptum atque compositum. Fateor, antequam in disciplinae formam redacta erat Hermeneutica, boni exstitere sacrae scripturae Interpretes; sed haud magno illi numero, nec cum Posterorum plurimis comparandi: ORIGENEM dico, HIERONYMUM, CHRYSOSTOMUM, paucos alios: qui vero, si vel posteritati palmam praeripuissent interpretando; Hermeneutices tamen utilitatem exemplo suo non magis infregissent, quam faceret ad Rhetoricen aut Poëticen spernendam HOMERI laus et DEMOSTHENIS. (*b*) Nostro inprimis tempore, quisquis sacrae scripturae sensum recte intelligere cupiat, hanc disciplinam non primoribus gustare labris, sed penitus imbibere, inque succum debet et sanguinem convertere. Iubet hanc studii diligentiam adhibere nonnullorum, KANTII placita mentientium, levitas. (*c*) Iubent aliorum proterva adversus sacrae

66

Digitized by Google

ſcripturae divinitatem molimina. Labor autem, in eluendam hanc errorum contagionem inſumtus, neutiquam ingratus est. Ingratum dico? — Immo iucundiſſima est ea Hermeneutices tractatio, qua tantum abest, ut non niſi ſcholarum praecepta memoriae infigantur, ut ipſi illa ſanctiſſimi Veteris Novique Foederis libri aſſidue illustrentur. Illustratur igitur ſententioſum illud Orientalium et ſublime dicendi genus, cuius veneres lectori nunquam ſatietatem creant. Diſcutiuntur tenebrae codicis illius longe antiquiſſimi, qui omnium unus religionem homine dignam patefecit. Iis familiares reddimur viris, qui, cum foedis ſuperſtitionibus obſtrictae erant, et Graecia, et Roma, et cunctae terrarum gentes, quamquam obſcuro loco nati, rectum tamen ad astra iter mortalibus monſtrarunt. Hos igitur, quae mandaverat Deus, emortua lingua loquentes audimus. Cum hisce per deſerta loca, per varios regionum tractus peregrinamur, principesque videmus ac reges eorum oracula contrementes. Horum novo gaudemus et etiamnum commovemur cantu, qui feros olim et ſaxa in homines commutavit. (*d*) Dulce profecto est cum HOMERO vivere; at multo dulcius divinorum vatum familiaritate frui. Evanuiſſe tunc videtur ſequioris aevi labes, vetustorumque Dei cultorum non memoria ſervata, ſed probitas et fides restituta.

Eundem uſum ac iucunditatem habet Historiae Eccleſiasticae exercitium. Videlicet orditur ea ab humanarum rerum incunabulis, tanquam ab aquarum fonte, unde fluvii ingentes ſexcentique rivi rivulique enascuntur. Hinc progrediens, ſpectatori monſtrat, quae per quadraginta circiter ſecula tum Patriarchae, tum Israëlitae geſſerunt, quaeque iis acciderunt fauſta atque infauſta. Animadverti potiſſimum iubet admirabilem divini cultus emendationem, ſenſim ſenſimque monitore Deo factam: Iudaeos tamen identidem notans, utpote a maiorum religione et virtute magis magisque degenerantes. Tum vero natum docet, non unius gentis, ſed generis humani Servatorem: atque animo iam renovato nova miracula narrat. Mox Christo cruci affixo, vastatisque Hieroſolymis, ſcena decedunt Iudaei. Prodit altera coelorum progenies, Christiani; quorum et pietatem miramur ac virtutem, nec non foecundiſſimam propagationem. Laudamus igitur Deum, tam ſanctae beataeque ſtirpis patrem. At paulatim in varias eos videmus divelli familias. Hinc lites, hinc vexationes mutuae, hinc, post Romani imperii interitum, validiore ſecta ceteras perpetuo opprimente, corruptisque identidem Christianorum moribus, teterrima tandem barbaries orbi illata. Hanc, Deum immortalem! quis non acerbe deploret? At ſtatim

Digitized by Google

ſubvenit Historia, ſacrorumque proponens inſtaurationem, lacrymas abſtergit. Namque et ingeniorum cultus quam proſpere inde provenerit, accurate refert, et flectendis oculis ad laetisſimam, qua nostra tempora patriis ſaltem in regionibus gaudent, rerum faciem, omnes bonos mirum in modum delectat. Talia ac tanta, quae Historia Ecclesiastica late tradit, parvulą quaſi tabella deſcripſi, ut ſtudium eius tam utile eſſe, quam iucundum, vos A. A. ipſi videretis. Qua de re tamen ſi vobis nondum perſuaſum ſit, cavete, ne me, incultae huius deſcriptionis auctorem, mittentes, ipſam illam Historiam culpetis. Etenim laudem, qua univerſalis ab aevo ornatur Historia, haec quoque, eodem, dicam, an maiori? iure ſibi vindicat. Haec mentem coelesti lumine ultra fabuloſa illa transfert tempora, quae cuncti terrarum orbis populi ſomniarunt. Huius ſtudium, quo ſanctius et auguſtius eius est argumentum, eo acriores nobis admovet ſtimulos, ut vitam moresque bene dirigamus. Quisquis autem ſectarum Christianarum, earum maxime, quae nobiscum vivant, cognoſcere cupiat origines, ad hanc quoque magistram discipulus accedat: hanc praeeuntem ſequens ad antiquitatis ſecreta penetrare annitatur: opinionum ibi natales, incrementa, procreationes exploret ſummamque ſibi capiat inde voluptatem.

Atque eiusmodi *voluptas quam arcte ſit in Theologiae etiam Naturalis exercitatione cum utilitate coniuncta*, neſcio ſane, quomodo pro re dicam. Est Theologia Naturalis doctrinarum complexio, quas ſolius rationis ope ex rerum creatarum conſideratione posſumus colligere. Simul atque enim, ſive hunc adſpectabilem contemplemur mundum, ſive aetheream animorum vim ac vigorem meditemur; ſtatim ſeſe nobis ſapientisſimi Numinis ita manifestat providentia, ut, quotquot de meliori luto facti ſimus, ad religionem nobis informandam ſponte ducamur. Atque haec est, ut iam veteres animadvertisſe reperimus (e), non praecipua alicuius gentis aut ſocietatis fortuna, ſed cunctis mortalibus communis ac veluti innata pietas, cuius usque quaque apparent vestigia, quam primum ſeriis ii de rebus incipiant cogitare. Quam eximios autem Naturalis Theologiae exercitium, ad ſcholae leges rite compoſitum, quamque uberes homini afferat fructus, ex eo abunde colligi potest, quod, quidquid est religionis, hac Theologia tanquam fundamento nititur. Haec porro Phyſicen, Astronomiam, aliasque doctrinas ſibi in auxilium vocans, ad earum quoque disquiſitionem ſolertiores impellit. Pars igitur abdita Naturae miracula ſcrutantur: pars coeli metiuntur ſidera: nonnulli, nunc quid inter corpus noſtrum et animum

interſit, nunc quae ſit malorum ac miſeriarum cauſa et origo, vel alia huius generis expendunt: omnes autem ingenti eruditionis copia inſtruuntur. Mores vero quam egregie pia hac naturae contemplatione emolliantur, quam penitus vitiorum ſordibus purgetur animus, Deum ſibi perpetuo praeſentem ſiſtens, res ipſa loquitur. Factum quidem est hoc ſtudium difficilius aliquanto et moleſtius, quod Philoſophi novas in dies excogitabant disputandi formulas. Et plurimum negotii facesſit Germaniae illa celebratisſima ſchola, quae primas in Philoſophia partes, non excultae rationi, ſed meris animi ſenſibus defert (*f*). At vero, quas prima ſpecie ſpinas esſe putaveris, potius ea laboris, ſummam cum utilitate iucunditatem afferentis, incitamenta ſunt. Fallor enim A. A., aut in Graecorum Romanorumque disciplinis opinionum, quas multi hodie novitatis titulo inſigniunt, principia habentur et fontes (*f**). At hos ibi quaerere, ibique investigare, non aliter potest, quin unicuique ingenii liberalioris homini in deliciis ſit. Translatus autem is ad veteres Philoſophiae ſtatores, his maxime adhaeret, horum ab ore pendet, temporisque ſui lutulentum ſermonem facile obliviſcitur. Iam cum SOCRATE, morti proximo, animorum immortalitatem tuetur. Iam PLATONEM audit de univerſo hoc, quem adſpicimus, mundo, deque aeternis rerum exemplaribus ſubtiliter disputantem. Iam aureum illum legit CICERONIS *de Deorum Natura* librum, atque ſeſe ex huius terrae anguſtiis evolasſe credit, ſuperasque attigisſe ſedes. Athenis, in Tusculano, Romae, ad Siciliae fretum, cum excellentisſimi ingenii viris vivit habitatque. Ab his autem ad ſublimiora evectus, ipſe ſummum in rerum natura rectorem veſtigat, asſequitur, admiratur: religionisque argumenta et officiorum cauſas undecunque colligit. O hominem terque, quaterque beatum! Magna et accurata excolitur doctrina: animo emendatur: virtutis amore perfunditur: coeleſtium iam his in terris videtur gaudio cumulari.

Suppeditant igitur, ſi dicendo quid effecerim, Disciplinae Theologicae Elementa tam utilem per ſe et iucundam exercitationem, ut bene ea ac diligenter pertractanda esſe, negare posſit nemo. Ex eo autem, quod altera nunc orationis parte probare conabor, *ſedulo nempe unius Elementi ſtudio cetera inſigniter illuſtrari*, non minor iis fortasſe accedet commendatio.

Et *ſedulum primo Historiae Eccleſiaſticae ſtudium Naturalis Disciplinam Theologiae haud parum illuſtrat.* Multos enim illa nobis oſtendit, eosque praeſtantis nonnunquam ingenii viros, qui, quoniam in Naturalis Theologiae princi-

Digitized by Google

piis haesitabant, idcirco nec dubitandi modum repererunt, neque errandi finem. Mirari hinc desinimus HELVETII, VOLTARII, plurimorum nobis aequalium putidissima de Christiana religione commenta, iidemque excitamur, ut sanae rationi, inanibus verborum captationibus seclusis, quam firmissime adhaereamus. Atque hoc haud temere. Placeat nempe sibi et applaudat id disputatorum genus, quod, ut ait PLATO, prae sua scilicet sapientia, omnia commiscet, pietatisque fundamenta penitus evertit (*g*). Ceteris omnibus id sese iactet melius et prudentius. Sit quoque in novitatis specie dulcedinis aliquid, quod incautos iuvenum animos alliciat, transversosque agat. Ast Ecclesiae Historia mutatis docet actoribus eandem plane ludi tragoediam, quae Antiquis iam plus semel lacrymas excussit. Iis autem, qui potissima religionis Naturalis capita sugillare non erubescunt, MOSÈN, DAVIDEM, IESAIAM opponit, cunctosque Dei vates, quorum sunt oracula Servatoris nostri auctoritate probata, posteaque ab optimo quoque ac sapientissimo plena animi persuasione accepta. *Nec minora haec Historia Hermeneuticae sacrae praestat officia.* Videlicet Israëlitarum docet, aliarumque gentium facta, opiniones, mores, vitae genus, ut breviter dicam, docet omnia, quae ad Interpretem, ut aiunt, Historicum informandum requiruntur. Ac Graecorum quidem et Romanorum scriptorum quoniam historicum esse Interpretem, necesse est; talis quoque esse debet, qui Sacrae Scripturae explicationem aggrediatur. Sed nolo multus esse in argumento, quod clarissimi nuper Viri satis superque expenderunt (*h*). Paucis hoc addo, Historiam Ecclesiasticam, quatenus Interpretationis etiam fata referat, Sacram Hermeneuticam maximopere iuvare. Exponit enim, quam horrenda opinionum monstra, quam turpes morum depravationes, quam tristia et nefanda rei Christianae damna, per longam seculorum seriëm, una pepererit, et etiamnum passim pariat germanae Interpretationis negligentia. Absit vero longissime, ut non nisi surdis, quemadmodum in proverbio est, fabulam narret. Audiunt eam, audiunt hoc nostro tempore plurimi, qui rectum sequi cupiunt. Atque hi constanter Allegoricas horrent Mysticasque nugas, ac, per omnem vitam in Interpretatione Grammatico-Historica diligentes, de sanctissima religione bene merentur.

Hermeneutices porro sacrae studium magno est usui tam Theologiae Naturali, quam Historiae Ecclesiasticae. At mirum fortasse hoc vobis est A. A. Vestrum fortasse non nemo nescit, quid sibi boni de Hermeneutices ope Theologia possit augurare Naturalis. Tune ergo, inquit, in divino illo codice idem

plane contineri putas, quod ratione duce intelligatur? Tune igitur, pro huius aevi calliditate, Christianum simulans, Christi tamen doctrinam spernis, eique curtam tuam substituis supellectilem? Ne nimis, quaeso, indignemini A. A! Sacrae Scripturae argumentum duabus partibus absolvitur, primum doctrinis, quibus revelandis nobis gratum fecit Deus; deinde rationis humanae decretis, quae sacri scriptores non invito Deo proposuerunt, explicuerunt, confirmaverunt, adversus ea, quae obiiciebantur, defenderunt. Atque haec rationis decreta quam scite isti et eleganter lectoribus suis exhibuerint, cum quisque vel me tacente videat; apparet quoque, quanti sit, horum virorum mentem bene intelligere; qualesque propterea Hermeneuticae ad Theologiam Naturalem illustrandam tribui debeant partes. Multo minus Hermeneutices huius auxilio carere potest Historia Ecclesiastica. Ad hanc enim Historiam conscribendam Patrum, uti dicuntur, Ecclesiasticorum scripta materiae copiam praebent. Haec vero sunt similia silvae, ubi licet flores legere, perque arborum tractus hilare obambulare; sed ubi caute tamen et considerate versandum est, ne per ignotos calles inopinate ad avia deducaris, ferarum latibula, nec sine vitae discrimine effugienda. Talibus in locis quanti pretii peregrinatoribus dux est, diligenter cavens, ne a consueto hi deflectant tramite, tanti profecto nobis est in Patrum lectione Hermeneutica sacra. Hac nempe duce, quemadmodum CICERONIS verba ex PLATONE, sic ex Veteri Novoque Foedere multa Patrum explicantur dicta, quae vel iisdem, vel mutatis vocibus ab Auctoribus sacris sunt mutuati. Eadem duce, quod ab hisce Patribus bene perspectum atque enodatum, adeoque haud dubitanter amplectendum est, a crebris eorum erroribus satis perspicue distinguere docemur. Quo autem quis sit Hermeneutices peritior, eo certius errorum reperiet caussas, eoque magis ad eos refellendos paratus erit atque instructus. Docuit hoc suo exemplo illud Patriae decus, HUGO GROTIUS. Hoc nuper comprobavere ERNESTIUS, SEMLERUS, MORUS, iisque pares eruditione viri, qui, liberali Sacrae Scripturae Interpretatione a Patrum argutiis revocanda, monimentum sibi posuerunt aere perennius (*i*).

De luce, quae ex Theologiae Naturalis studio Historiae Ecclesiasticae et Hermeneuticae Sacrae oritur, age nunc A. A. vestra pace nonnulla adiiciam. Et primo ad Historiae Ecclesiasticae intelligentiam utilissimum est, Theologiam Naturalem bene perspectam habere: quippe quae non solum acuit ingenium, sed et animum praeparat ad res gestas, remota omni praeiudicata opinione, religi-

Digitized by Google

esse investigandas. Praeterea, hac instructi scientia, de Conciliorum statutis subtilius iudicabimus: et crebro accidet ut, quod damnaverit Monachorum inscitia, nos probemus: contra vero longissime saepe reiiciamus, quae omnium olim plausu accepta sint. Singularis porro in tractandis libris eorum Ecclesiae Patrum, qui ad suae Philosophiae placita religionis doctrinam torserunt, Theologiae Naturalis usus est: ne scilicet illorum exemplo luxuriantis ingenii commenta cum sanae rationis veritate confundamus. Quam insigne autem in accurata huius Theologiae cognitione Hermeneutices studio positum sit adiumentum, nescio plane, quomodo pro rei dignitate dicam. Quibuscunque enim de divina Naturalis Theologiae origine certo persuasum est, nullam ii Interpretationis patiuntur legem, rationi repugnantem. At simul, quo magis Rationem suo momento ponderant, quo maioris eos Sacram aestimare Scripturam, quoque eius divinitatem modestius venerari, necesse est. Sicuti ergo in puerorum scholis, si quis magistri munere rite fungitur, discipuli eum assidue amant, in oculis ferunt, eiusque tanquam ab ore pendent; sic prudentes isti rerum existimatores Sacri Codicis disciplinae sese ultro tradunt, eiusque auctoritatem studiose sequuntur. Hinc Doctrinae Christianae argumentum exhibituri, ad hunc Codicem continuo concurrunt: hunc unum rogant: huic uni credunt: neque illos audiunt, qui, rationis suae praestantia superbientes, si quid eam superare videatur, audacter id et praecise negant. Hinc quoties ad Hermeneutices instructionem pervenitur, locum quidem admonendi, quid caveri oporteat, Theologiae dant Naturali; sed interpretandi leges ab una Sacra Scriptura accipiunt. Talis autem tantaque magistra nec fallit eos, neque a veritate abducit, sed brevissimam eo monstrat viam. Hanc igitur ingressi, magis magisque recta religionis intelligentia ornantur, moribus emendantur, virtute denique ac pietate augentur. Miserandam vero lugent illorum sortem, qui, coelestis magistrae opem aspernati, inextricabilibus sese errorum ac flagitiorum labyrinthis implicuerunt.

Et hoc igitur probare conati sumus, sedulo unius Elementi studio fieri, ut cetera insigniter illustrentur. Tertia, cuius supra mentionem fecimus, causa, cur Elementa ista bene ac diligenter pertractanda sint, in eo posita est, quod *accurata eorum omnium cognitio ad altiores doctrinas bene addiscendas quasi manu ducit.* Quam rem cum postrema nunc orationis nostrae parte demon-

Digitized by Google

ſtrare aggrediamur; eandem A. A. a vobis petimus humanitatem; cuius dicentibus nobis egregium hactenus indicium dedistis.

Altiores doctrinas memorans, eas volo, quarum Inſtitutionem ſcholarum leges Academiis attribuunt, *Theologiam* nempe *Christianam*, *Disciplinam Moralem*, *Scientiam Pastoralem et Homileticam.*

Principio igitur tres illae, *Historia Eccleſiastica*, *Hermeneutica Sacra*, *Theologia Naturalis* occurrunt nobis, *Christianae Theologiae officia praeſtantes.* Occurrunt vero, ut hoc utar ſimili, non tristi Parcarum vultu horrorem incutientes, ſed Charitum comitate et gratia amorem ſui ac deſiderium cuivis excitantes. Neque enim ſunt illae Theologorum placitis tam obnoxiae, ut cum ſervis comparari queant, atrocis herae imperio adſtrictis; ſed, ſi paulo disiunctiora componere licet, regalis potius virginis, in qua ſit omnium ſpes defixa, blandas referunt ac voluntarias educatrices. Quemadmodum autem tales ſingulae ſuum habent, quod exſequantur, munus; ſic doctrinarum illarum alii aliud negotium mandatum est. Et primum quidem, qualis conſtitui debeat Theologia Christiana, Hermeneutica Sacra docet. Nam non ſolum oſtendit, qua ratione ex Sacro Codice colligamus, quidquid ad religionem omnino pertineat, ſed etiam quomodo hoc ab iis, quae divini Auctores, minus ex mente ſua, quam pro aevi ſui ingenio locuti ſint, prudenter distinguatur. Nec praecipere negligit unquam de purganda Theologia ab omnibus ineptiis, quas male ſeduli homines, depravatis ſanctorum virorum verbis, in eam importarunt. Atque his, ſimilibusque praeceptis, a nemine adhuc impune ſpretis, cum abundet Hermeneutica; Historia Eccleſiastica eorum praeſtantiam exponit, eorumque pondus auget. Affirmat igitur haec, haud pauca, quae olim Religionis ornamenta viderentur, puerilia esse *Scotistarum* aut *Thomistarum* (*k*) crepundia, hac ſane aetate ridenda et abiicienda. Quod dum iubet, revocata mox vetustisſimorum Christianorum memoria, quam integra ab initio et ſimplex fuerit Theologia, patefacit. Subinde vero eam ab adverſariis haud infeliciter defendit, manifesta quippe Dei facta, divinam eius originem declarantia, perque multas aetates continuata, vanae homunculorum ſuſpicioni opponens. Ceterum Theologia Christiana nec pauca Theologiae etiam Naturali debet nec vulgaria. Cum enim ſic comparata ſit Sacra Scriptura, ut plurima, ad religionem pertinentia, vel obiter modo attingat, vel ſilentio prorſus praetereat; Theologia Christiana

Digitized by Google

manca exifteret et imperfecta; nifi haberet, unde confummaretur. Ista autem Theologia ei praebet Naturalis. Huic fuae quoque funt opes: haec thefauris abundat, quibus Theologiam ornet et amplificet Christianam, eamque ad integritatem et perfectionem perducere conetur. Quod ut Hermeneuticae Sacrae et Historiae Ecclefiasticae auxilio adiuta, tandem aliquando affequatur, Deum Optimum Maximum oramus et obtestamur.

Disciplina porro Moralis ut bene intelligatur, Elementorum ftudium eam praecedat, neceffe est. Fac enim te, quisquis fis, ab hoc ftudio imparatum, ad locos venire Morales, haud inepte compareris cum naufrago, in infulam eiecto incognitam et inauditam. Translatum te vides ad ftudium, tibi oppido novum, teque, quod miferrimum est, adminiculorum, quibus eius rationem cognofcas, penitus egentem. Multarum infuper eges rerum notitia, quae tibi, hoc in ftudio qualicunque tandem modo verfanti, utilius id ac iucundius facere potuisfet. Et quoniam omnes Moralis Disciplinae doctores, in quoslibet forte fortuna incideris, pro rectae viae habes indicibus; cum infciis faepe nunc huc vagaris, nunc aliorfum: neque est fere, ubi errandi finem reperias. At vero quisquis, antequam ad Disciplinam Moralem accedit, Elementis fefe exercuit Theologicis; transgreditur is veluti e patria in contiguam regionem, ubi post breve tempus, nec locorum erit ignarus, neque expers praemiorum, quae illic induftriam et laborem manent. Una nimirum nos conformat Hermeneutica ad congerendam ex Sacro Codice univerfam materiem, ex qua Disciplina Moralis conftruatur. Nec fegnius id curat, ut, quae fancti viri fuis dixerint locis, aetatibus, hominibus; a divinis illis discernamus agendi legibus, quae nunquam debeant antiquari, fed perpetuo fervari. Quandoquidem autem hae leges in Sacra Scriptura fub gnomarum faepe latent et proverbiorum involucris; magni haec distinctio ponderis est: estque longe fane maioris in re Morali, quam in Theologia Christiana. Theologia autem Naturalis qualia fuppeditet et quanta ad Disciplinam Moralem amplificandam, limandam, confirmandam, unus fuo exemplo declaravit REINHARDUS, Germaniae illud ornamentum, quod ex oculis nuper fublatum quaerimus (*l*). Historiam denique quod attinet Ecclefiasticam, non folum ea frequenti docet rerum eventu, quam arcte cum falute focietatis recta morum Disciplina copulata fit, fed quemque, in huius Disciplinae ftudio verfantem, ad prudentiam excitat et cautionem. Patrum enim proponens crebros in locis moralibus errores, ftudiofos fui adhortatur, ut, quod LA-

Digitized by Google

VIUS *foedum* appellat *inceptu*, *foedum*que *exitu*, prudenter vitent (*m*). Atque hinc BARBEYRACII (*n*), similiumque virorum exiſtunt aemulatores, ſuperſtitioni ſemper adverſantes, at veritatis et virtutis vindices acerrimi.

Ad finem vergit Oratio. Quemadmodum univerſa Theologorum Disciplina, ſi res recte reputetur, hoc habet conſilium, ut boni informentur Chriſtianorum Doctores; quemadmodum igitur omnia tandem *in ſcientiam* quaſi confluunt *Pastoralem et Homileticam*; *ſic et eo tendit Elementorum Inſtitutio*. Hiſtoria igitur Eccleſiaſtica tantum abſit, ut nuda nobis enumeret Orthodoxorum, qui vocantur, et Haereticorum nomina aut fata, ut potius eorum facta articulatim exponat, cumque factorum memoria, ut modo ſignificavimus, cauſarum atque effectuum relationem ſapienter coniungat. Fit igitur eius ſtudium, quod appellant, *Pragmaticum*, quodque omnis Hiſtoriae ſtudium fieri, POLYBIUS, CICERO aliique iuſti rerum iudices voluerunt (*o*). Hanc proinde ſibi Magiſtram ſumant ingenui Iuvenes, qui, ubi poſthac erunt ad ſacrorum Oratorum numerum adſcripti, vulgo nolint inflammare animos, ſed irarum flammas exſtinguere. Ad hanc accedat, qui in monendo olim et caſtigando non vage verſari cupiat, ſed hoc officio ita fungi, ut nec deſit ſpes peccantes corrigendi, neque haec facile fruſtretur. Hermeneuticae autem ſacrae praeceptis ſi qui Theologiae ſtudioſi obſequuntur; non ii docendis rebus, quae vetuſtiori erant aevo accommodatae, turbabunt auditores; neque, orationes ſuas obſcurioribus Orientalium dictis onerantes, canoras nugas pro elegantia venditabunt; neque in explicandis denique ſanctorum virorum effatis ridiculos pro concione agent ſyllabarum aucupes; ſed docti atque diſerti Sacrae Scripturae Interpretes, et dicentur, et dici merebuntur. Ac licet alii, pro mirabili ſua inſcitia et cupiditate, doctoris Chriſtiani munus antiquo Israëlitarum aſſimilantes ſacerdotio, huius quoque ſibi iura arrogent, ſeſeque erga univerſam hominum ſocietatem ſtolide ſatis et inſolenter gerant; hi tamen, muneri ſuo ſuum ſtatuentes pretium, tum probos ſe ſemper praeſtabunt homines et cives, tum vero modeſtiſſimos Religionis patronos. Ceterum Theologia etiam Naturalis Doctoribus Chriſtianis, quo delirantium mentes ad ſanitatem reducant, haud pauca indicat remedia, ſacriſque eorum orationibus inſignem rerum praebet copiam. Quid dico? Locos ea oratori aeque atque auditoribus aperit vere amoeniſſimos. Hic ſunt quaſi prata, uberrimo rore virentia. Hic fontes caſtiſſimae voluptatis aeternum manant. Hic ducitur mens humana ad auguſtiſſimum illud naturae

ſpectaculum; ubi gaudet, exſultat, tripudiat, quidquid vitae luce fruitur. Adeſte huc, quotquot orationibus veſtris, ut et vobis, et aliis quam utilisſimae ſint, vim ac lumen exoptatis! Hic vos excurrite! Hic exſpatientur omnes, qui veſtrae curae commisſi ſunt! Videant, quae hic ubique proſtant, veſtigia Dei! Audiant Dei laudes, quae cunctorum celebrantur ore! Tanto Dei amore incendantur, ut tendant ad id, quo mortales ſumme beatos fieri, inclytus Dei filius verbis factisque fidem dedit, ut diſcant igitur, Deum imitari.

Atque ſic peracto conſilio hinc deſcenderem, niſi aliud moneret festus hicce dies, meoque mihi natali dulcior. Et primum quidem monet, ut vos ſalutem, Nobilisſimi Viri, huius Athenaei Curatores! Quam grata autem temporis, meam erga vos obſervantiam testificandi, mihi accidat opportunitas, vix ac ne vix quidem dicere posſum. Nimirum quamvis Regis munificentia, quae me ad hunc amplisſimum Profesſorum ordinem vocabat, haud mediocri me affecit gaudio; id tamen, ſimul atque ad me perlatum erat, vos, tam clari nominis viros, huius Athenaei esſe curatores deſignatos, maximopere auctum est. Utique vero vos iam ſatis ſuperque ſignificaſtis, quam vehementer ſibi hoc Athenaeum de veſtro in ſe ſtudio gratulari debeat, quantaque ego de veſtro favore mihi audeam ſperare. Qua propter hoc mihi concedite, Viri Nobilisſimi! ut me meosque data hac occaſione ac ſumma cum reverentia vobis commendem. Quidquid in me ſit ingenii aut doctrinae, nihil equidem antiquius ducam, quam ut conferam illud ad munus, mihi delatum, religioſe exſequendum. Ingenii autem mei et doctrinae exiguitatem, quam non ſimulate, ſed ex animo profiteor, laboris certe et exercitii asſiduitate pro viribus meis compenſare conabor. Vobis vero, Nobilisſimi Viri! quod ad huius Athenaei gloriam, publicamque ſalutem augendam ſuſcipiatis, ratum id omne fauſtumque faciat Deus; isque beneficiorum copia, tum in vos, tum in veſtros omnes collatorum, virtutem veſtram remuneretur!

Vos, ut ſilentio praetermittam, Clarisſimi Viri, quarumvis Doctrinarum Profesſores! nec fert mos maiorum, nec veſtra dignitas, neque animi grati conſcientia. Tanta profecto me tenuit veſtri nominis reverentia, ut me fere puderet, me, novum quippe hominem, huic ſplendidisſimo ordini adſcriptum esſe. At veſtrum plurimi, ſimulatque eos nuper, vel Amſtelodami, vel hac in urbe inviſebam, comitate me complexi ſunt plane ſingulari. Hospitio me, et tunc, et nunc iterum excepit ſenex aetate, virtute, meritis maxime venerandus, WASSENBERGHIUS. Vos vero, quorum in viſum adſpectumque hiſce demum venio

Digitized by Google

diebus, id omnino mihi praestatis benevolentiae, quod, si vos antea invisere mihi licuisset, iam tunc mihi haud dubie praestitissetis. Hoc recreavit animum. Hoc sollicitudinem in laetissimam vestrae familiaritatis spem commutavit. Ad hanc igitur spem erectus, et apud vos habitatum veni, et vestrae hodie humanitati ab hoc suggestu me committo. Me vestrum, Viri Clarissimi! accipite socium, amicum, eundemque haud raro discipulum. Meis favete studiis: et, si quid erravero, placide corrigite! Omnibus ego contendam nervis, ut vobis gratum faciam, utque memet vestra amicitia non prorsus exhibeam indignum. Faxit Deus, vos, Viri Clarissimi! mihi ita viam ad altiora praeeatis, ego autem vestra vestigia tam continenter premam, ut consociatis viribus, et multos disciplinae nostrae alumnos ad praeclaram rarae eruditionis ac virtutis laudem perducamus, et, magnam huic Athenaeo gloriam comparantes, veterem illam Academiam Franequeranam ex ruinis suis restituisse videamur!

Talis ardens tantaeque gloriae cupiditate, ad vos venio, vos compello, Praestantissimi Iuvenes, qui, ut literis exerceremini, ad hoc Athenaeum convenistis! Eadem honestissimae gloriae vos velim omnes cupiditate inflammare. Vobis autem, quotquot vestrum sese meam in disciplinam tradituri sunt, me offero praeceptorem, commodis vestris toto deditum animo atque devotum. Talem me accipite, meisque curis omnia vestra studia committite. Negligentia quidem et ignavia severum me habebit censorem; quippe qui ipse laborem, quo et alumnis meis et publicae rei prosim, nulla de causa subterfugiam: at strenuis et impigris, ut vel desint ingenii vires, facilis semper ero comisque dux et adiutor. Nec generosis illis animis, qui, nihil sibi arduum putantes, ad verae eruditionis fastigium adspirant, magistrum me exhibebo, muneris dignitate superiorem, sed blandum me praestabo viae comitem, sed amicorum nomine complectar eos et fovebo. Vos mihi igitur, Praestantissimi Iuvenes! meisque, quaeso! praeceptis morem gerite! Vos vota solvite, Deo, patriae, parentibus facta! Vos denique societatis Christianae spem, in vobis collocatam, explete et superate!

Digitized by Google

ANNOTATIO.

Hanc meam Orationem in lucem edenti, visum mihi est, aliquot ei, in Tironum maxime gratiam, adiicere annotatiunculas: quod lectorum neminem aegre laturum, spero atque confido.

(*a*) Vide summi viri *Instit. Interp. N. T. p.* 11. *ed. IV. Amm.* Brevius Hermeneuticen *artem sacros libros interpretandi* dixit BECK. in *Monogramm. Hermeneut. libr. N. T. Part. I. p.* 1. Quocum cf. JAHN. *Enchirid. Hermeneut. Gener. Tab. V. et N. T. p.* 11. Adde, si tanti videtur, quae diximus non ita pridem in Horreo, cui titulus: *Bijdragen tot de Beoefening en geschiedenis der Godgeleerde Wetenschappen.* Tom. I. p. 146. s. s.

(*b*) ERASMUM etiam, DRUSIUM, GROTIUM laudare potuissem, aliosque, qui, quamvis Hermeneutices disciplinam neutiquam ad scholae legem edocti erant, boni tamen exstiterunt librorum divinorum interpretes. Sed norunt omnes, magnos hosce viros a diligenti Graecorum, Romanorumque scriptorum lectione ad sacram scripturam explicandam promptos et paratos accessisse. Et si vel accessissent imparati, quis tamen ad praeclara ista ingenia, quae omnia *sibi* deberent, nostros aequiparet tirones, tardos haud raro et mente imbecillos? Sed ne plura! Legatur PLANCKII liber utilissimus: *Einleitung in die Theologische Wissenschaften.* Tom. II. p. 94. s. s. Mitto alios.

(*c*) Inprudentibus illis, qui *Moralem* quandam sacrae scripturae *Interpretationem* in locum *Interpretationis Grammatico-Historicae* supponi voluerunt, quosque post alios confutavit NOESSELT. in *Exercit. ad S. S. Interp.* p. 275. s. s., temere annumeratur KANTIUS. Vide eius librum, haud omnino spernendum: *die Religion innerhalb der Grenzen der blossen vernunft.* Ed. 2. p. 47, 157, al. cf. et MELLIN. *Encyclopädisches Wörterbuch der kritischen Philosophie.* Tom. I. Part. 1. pag. 423. s. s.

(*d*) CLEM. *Alex. Admon. ad Gent.* p. 4. Ed. Par. 1641. ὅρα τὸ ᾆσμα τὸ καινὸν, ὅσον ἴσχυσεν· ἀνθρώπους ἐκ λίθων καὶ ἀνθρώπους ἐκ θηρίων πεποίηκεν. cf. HORATIUS *de Art. Poët.* v. 391—396 ubi *Orphei* et *Amphionis* fabulae narrantur.

(*e*) Cf. CICER. *de Nat. Deor.* Lib. I. 16. II. 4, 16, aliique, quos inter praecipue MAXIMUS TYRIUS, Dissert. XVII. Cap. 5. p. 195. Ed. DAV. Quem locum etiam laudatum video ab H.

Digitized by Google

WITSIO *in Exerc. ſacr. in Symb. Apost. et Orat. Dom.* p. 46. Et hac de re recte CLEM. *Alex.* l. c. p. 45: πᾶσιν ἀνθρώποις ἐνέςακταί τις ἀπόῤῥοια θεϊκή.

(*f*) Non ignorabunt Viri docti, me SCHELLINGII maxime ſcholam ſignificare voluiſſe, cuius Philoſophi de religione ſententiam, tum alibi, tum in libro: *Philoſophie und Religion*, proditam, post alios examinarunt VOGEL. in GABLERI Diario: *Journal für auserleſene Theologiſche Literatur*. Tom. V. p. 1. s. s., et SÜSKIND. in Horreo ſuo: *Magazin für christliche Dogmatik und Moral.* Fasc. XVII. p. 1. s. s. Huic quidem SCHELLINGIUS ſeſe reſponſurum eſſe, promiſit in Muſeo ſuo, cui titulum fecit: *Allgemeine Zeitſchrift von Deutſchen für Deutſche.* Tom. I. Part. 1. p. 98: at fidem, quantum ſcio, nondum liberavit.

(*f**) Sic v. c. SCHELLINGIUM non ſolum ex SPINOSAE Disciplina, ſed ex placitis *Neo-Platonicorum* quam plurima petiiſſe, veterum lectio aperte docet. Idem est iudicium STÄUDLINI in *Lehrbuch der Dogmatik uud Dogmengeſchichte* Ed. 3. pag. 34 et 172.

(*g*) PLATO *Opp. T. I. p.* 101. E. ed. SERR. ἱκανοὶ γὰρ, ὑπὸ σοφίας ὁμοῦ πάντα κυκῶντες, ὅμως δύνασθαι αὐτοὶ αὑτοῖς ἀρέσκειν.

(*h*) Legantur V. V. D. D., quos laudavi in Diſſertatione *de recta Novi Foederis Interpretandi Ratione*, quae inſerta est *Opp. Societ Teyler. Theol.* Tom. XXVII. p. 80. s. s. Addatur in primis KEILII Disputatio in libro, quem coniunctim edit cum TZSCHIRNERO: *Analekten für das ſtudium der exegetiſchen und Systematiſchen Theologie.* Tom. I. Part. 1. p. 47. s. s. Cf. tamen, quae oppoſuit STÄUDLIN. in Diario, quod vulgant AMMON et BERTHOLDT ſub titulo: *Kritiſches Journal der neueſten theologiſchen Litteratur.* T. I. Part. 4. p. 321. s. s. T. II. Part 1. p. 1. s. s. et Part. 2. p. 113. s. s.

(*i*) Quanto iure verba HORATII *Carm. Lib. III. Od.* 30. hos in viros tranſtulerim, docent NOESSELTI *Narratio de* SEMLERO *eiusque ingenio inprimis et meritis in Interpretationem S. S.*; BECKII *Recitatio de* S. F. N. MORO; et VOORSTII, Praeceptoris mei aeſtimatisſimi *Oratio de* JOANNE AUGUSTO ERNESTIO, *optimo post* HUGONEM GROTIUM, *Duce et Magiſtro Interpretum Novi Foederis.* De GROTII meritis legatur praeter alios SEGARII *Oratio de* HUGONE GROTIO, *illuſtri humanorum et divinorum Novi Foederis ſcriptorum Interprete.*

(*k*) De Sectis hiſce, quarum haec THOMAE *Aquinatis*, illa vero JOANNIS DUNS *ſcoti*, habet nomen, legantur Historiae Eccleſiasticae ſcriptores, ut v. c. MOSHEMIUS, *Inſtitution. Hist. Eccleſ.* p. 594. VENEMA, *Histor. Eccleſ. Christ.* Tom. VI. p. 336. s. s. SCHRÖCKIUS *Christliche Kirchengeſchichte.* Tom. XXIX. Alii.

(*l*) Meam in rem verti iterum HORATII verba, *Carm. Lib.* III. *Od.* 24. Nec levi putem de cauſa. Nam quantum Disciplina Moralis REINHARDO debeat, testatum est omnibus, qui praeclarum eius opus: *System der Christliche Moral*, cuius nuperrime exire coepit quinta editio, tritum habent et uſitatum.

Digitized by Google

(*m*) Egregie LIVIUS, *Hist. Praef.* Tom. I. p. 4. ed. ERN. *Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuaeque reipublicae, quod imitere, capias: inde, foedum inceptu, foedum exitu, quod vites.*

(*n*) Huius eximii viri maxime significavi librum, cui titulus est: *Traité de la Morale des Péres de l'Eglise*, et quem omnibus, ad veram eruditionis laudem adspirantibus, admodum commendatum velim.

(*o*) Hac de re POLYBIUS saepius egit. v. c. *Histor.* Lib. III. p. 186. A. ed CAS: *ἱϛορίας γὰρ ἐὰν ἀφέλῃ τὶς τὸ διὰ τί, καὶ πῶς, καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πραχθὲν πότερα εὔλογον ἔσχε τὸ τέλος, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς, ἀγώνισμα μὲν, μάθημα δὲ ού γίγνεται.* Videatur GOUDOEVERI *disputatio Philologica de Historicis* POLYBII *laudibus.* Nobilis est locus CICERONIS *de Orat.* Lib. II. cap. 15, ubi haec ANTONIUS: *Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem: vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus exspectantur, et de consiliis significari, quid scriptor probet, et in rebus gestis declarari non solum, quid actum, aut dictum sit, sed etiam quomodo: et cum de eventu dicatur, ut causae explicentur omnes, vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis: hominumque ipsorum non solum res gestae, sed etiam, qui fama ac nomine excellant, de cuiusque vita atque natura.* Sed legatur omnino BORGERI *disputatio de officiis historici in patefaciendis opinionibus* &c., quae reperitur in *Letter- en Oudheidkundige Verhandelingen van de Hollandsche Maatschappij van Wetenschappen te Haarlem* Tom. I. p. 167. s. s.

Digitized by Google

Digitized by Google

HENRICI ARENTII HAMAKER

ORATIO

DE

GRAECIS LATINISQUE HISTORICIS MEDII AEVI
EX ORIENTALIUM FONTIBUS ILLUSTRANDIS,

PUBLICE HABITA

die XXVIII Decembris A. MDCCCXV.

CUM

LITERARUM ORIENTALIUM PROFESSIONEM
ORDINARIAM IN ATHENAEO FRISIACO
SOLENNI RITU AUSPICARETUR.

68

Digitized by Google

Digitized by Google

GUBERNATOR FRISIAE ILLUSTRISSIME!

ATHENAEI FRISIACI CURATORES NOBILISSIMI!

QUI EX ORDINUM DEPUTATIS AD HAEC NOSTRA SOLENNIA CONCELEBRANDA DELEGATI ESTIS, VIRI AMPLISSIMI!

RECTOR MAGNIFICE, PROFESSOR HONORARIE, CETERIQUE QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

URBIS FRANEQUERANAE MAGISTRATUS, VIRI SPECTATISSIMI!

SACRARUM LITERARUM INTERPRETES HONORATISSIMI!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI!

QUOTQUOT ADESTIS, CIVES, HOSPITES, SUO QUIQUE LOCO ET DIGNITATE CONSPICUI!

PRAESTANTISSIMI DENIQUE IUVENES, PATRIAE SPES, ATHENAEI ORNAMENTUM, NOSTER AMOR ATQUE DELICIAE!

Praeclara et eruditisſimorum virorum laudibus celebratisſima est ſententia Oratoris Romani, omnes artes, quae ad humanitatem pertineant, habere quoddam commune vinculum, et quaſi cognatione quadam inter ſe contineri. Cuius praecepti vim et efficaciam in excellentibus ingeniis ad omnem doctrinae cultum inſtituendis, veteres illi, quorum ſapientiam admiramur, et experientia cognoverunt, et exemplo ſuo ad aeternam posteritatis memoriam commendarunt. His enim ita perſuaſum erat, neminem, qui ſtudium affectaret immortalis laudis et gloriae, propoſitum ſibi finem asſequi poſse, niſi ad ſingularem

Digitized by Google

animi magnitudinem et elegantiam a natura formatus, totum disciplinarum ambitum et adumbratam imaginem mente complecteretur. Quam profecto sententiam sic intelligi nolim, quasi omnibus artibus parem operam a singulis navandam esse putarint. Quis enim, quae per tot seculorum decursum universi generis humani diligentia aut invenit aut perfecit, se unum rara ingenii felicitate consecuturum speret? Hoc igitur veteres mihi potius spectasse videntur, suae singulos artis modum et rationem melius intellecturos, si reliquarum quoque orbem attentius perlustrassent; ut et lucem inde et ornamentum suae disciplinae peterent. Quae res plurimis et luculentissimis quidem exemplis confirmari et explicari potest. Num, ut hoc utar, perfecti oratores facti essent aut CICERO aut DEMOSTHENES; nisi uterque facultatem suam in Academiae spatiis excoluisset et Musarum suavitate exornasset? Num gravis idem et sublimis et oratori similis EURIPIDES, nisi sapientiae vocem et eloquentiae in scenam transtulisset? Et princeps denique Philosophorum PLATO, num illud fuisset consecutus, ut et subtiliter cogitasse, et quae cogitasset, ornate et distincte explicasse putaretur, nisi pariter studuisset et elegantiae literarum et severitati Philosophiae? Equidem plures proferre possem veteris memoriae viros, ARISTOTELEM, PLUTARCHUM, PLINIUM, VARRONEM, ut mentis infinita magnitudine, ita eruditionis admirabili varietate commendabiles: sed eo potius animum convertam, quo mea me iam vocat oratio. Neque enim illa sunt ignota vobis, A. A. H. H.! nec argumentorum copia et numero, sed vi et pondere rerum momenta existimantur. Quod igitur illi in doctrinarum universitate, et docuerunt praeceptis, et diligentia praestiterunt, id in singulis etiam uniuscuiusque disciplinae partibus maiorem vim habere censendum est. Quae res ut luculentius appareat, (utar enim exemplo, quod et huius temporis et muneris a me suscepti ratio postulare videtur); proponite vobis ante oculos Historiam: non vulgarem dico, quae angustis annalium finibus continetur, sed graviorem illam, caussarum et effectuum indagatricem, vitae ducem, generis humani magistram. Huius probabilem scientiam quis est, qui adsequi possit, nisi abditos remotissimosque literarum recessus, quorum partem obtinet Historia, attentis oculis perquisierit? nisi variorum populorum ingenium, linguam, instituta, leges, religiones, Reipublicae denique formam diligenter investigaverit? nisi diversarum gentium scriptores et accurate inter se contulerit, et subtilissime diiudicaverit? Tali subsidio instructus, qui ad Historiam accedat, is nec in caus-

Digitized by Google

fis rerum et antecesſionibus inveniendis laborabit; nec in effectibus asſignandis haerere poterit. Qua in re merito gratulandum est noſtrorum temporum feli-citati, cum plures magni nominis viros protulerint, qui et philoſophicam Hi-ſtoriae tractandae rationem invenirent, et in eadem exponenda ſagacisſime ver-ſarentur: (1) in cauſſis nempe labentis Romanorum imperii GIBBONUM, in Indiae rebus RAYNALLIUM, in iisdem et CAROLI Quinti historia ROBERT-SONUM. Idem in ſacris expeditionibus cruce ſignatorum, ſummo ingenio, ſumma doctrina praeſtiterunt HEERENIUS, et huius quondam Academiae lu-men, REGENBOGIUS. Hi tamen, cum ex ſolis noſtris, non ex Arabum hi-ſtoricis ſuam ſcriptionem contexuerint, non est profecto dubitandum, quin mul-ta aliorum induſtriae inveſtiganda reliquerint. Nam Orientalium ſcripta quan-tum lucis et adiumenti afferant, ad belli ſacri nec non univerſam Medii Aevi historiam accuratius intelligendam, incredibile dictu est. Quod ut variis ar-gumentis et exemplis vobis diſtinctius exponam et patefaciam, res mihi, cum mea commentatione, tum veſtra attentione, digna eſſe videtur. Dicam igitur A. A. H. H! *de Graecis Latinisque historicis Medii Aevi ex Orientalium fontibus illuſtrandis.* Vos autem omnes, qui audiendi mei gratia huc conveni-ſtis, oro atque obteſtor, ut, ſi mea oratio nec veſtrae exſpectationi nec rerum dignitati ſatis fecerit, id non argumenti vitio tribuendum, ſed meae potius in-fantiae condonandum putetis. Quantopere autem mihi dicenti veſtra ſit opus indulgentia et favore, facile ſentio. Neque enim exſpectari potest a iuvene ſex et viginti annorum, ut viros doctrina et aetate provectos augeat rerum ſcientia; nec ab eo, qui numquam in dicendo ſe exercuit, ut eruditis auribus placeat. Adeste igitur animis, A. A.! meque, in coetu veſtro verba facien-tem, ea, qua par est, humanitate proſequimini! Caeterum cauſſae illius, quam tractandam agendamque ſuscepi, indoles et natura postulat, ut bifariam mea diſtribuatur Oratio. Nam *generatim* est inquirendum, qui privus et ſin-gularis, in rerum ab exteris et alienis geſtarum narratione, ſcriptoribus Medii Aevi fuerit errandi modus, quibusque de fontibus repeti debeat; tum *peculi-ariter* demonſtrandum, qualis et quanta ſit Orientalium historicorum his in re-bus illuſtrandis utilitas et praeſtantia.

Si quis res ab exteris geſtas, quae apud historicos uniuscuiusque gentis aut falſo aut confuſe et imperfecte traduntur, diligentius ſecum conſideraverit, er-rorum originem ex duplici cauſſa praecipue fluxiſſe animadvertet. Nam vel

Digitized by Google

malignitate peccatum est vel ignorantia. Quod malignitatis est, in eo univerfis omnium temporum fcriptoribus eadem est ratio atque communis; quod ignorantiae, id veteribus potius, quam noftris et recentioribus, tribuendum esfe exiftimo. Alterum enim a fcribentis ingenio pendet, alterum a gentis temporumque, quibus natus est et educatus, ftudiis et doctrina. Quae profecto fententia non fic est interpretanda, quafi antiquorum historicorum contemtor aut esfe aut haberi velim. Hos, dictionis elegantia, narrandi fimplicitate, vividis rerum imaginibus, a nemine umquam fuperatos esfe, haud gravate fatemur: at vel fic tamen, recentiores in accurata et critica Historiae cognitione magnos fecisfe progresfus, nemo negaverit. Noftrae enim literae, non unius alteriusve linguae finibus, exiguis fane, continentur; fed per omnium populorum ditionem longe lateque vagantur: at veteres Graeci et Romani fua tantum probabant, aliasque gentes, ut incultas et barbaras, prae fe contemnebant et negligebant. (2) Hinc apud eos historiae Perfarum, Aegyptiorum, Iudaeorum, Phoenicum, Carthaginenfium, aliorumque obfcura faepe et parum explicata fcientia, non ex idonea teftium fide, fed ex incertis traditionum rivulis petita; hinc exterarum gentium origines turbatae atque confufae; hinc morum legumque, non ad auctorum fuorum, fed ad Graecorum mentem, faepius accommodata interpretatio. Quodfi illarum quoque gentium fcripta nobis temporum iniuria non eripuisfet, profecto melius perfpiceremus, quantum detrimenti illa veterum negligentia intulerit Historiae: nunc, in aliorum monumentorum ftrage, ex Hebraearum literarum reliquiis illa res optime exiftimari potest. Nam, quo potisfimum tempore, facros Iudaeorum libros ad eruditorum hominum notitiam produxerat IOSEPHUS; (3) TACITUS, accuratisfimus rerum fcriptor, abfurdisfima quaeque de illorum origine, geftis, inftitutisque commentus est. Huic fi credas, Iudaei ex Aethiopibus, Aegyptiisve oriundi funt, vel ex Idaeis Dactylis, Cretae infulae incolis, genus nomenque duxerunt, et, ob foedam tabem Aegypto pulfi, in Arabiae defertis, afinorum agreftium ope, fontes invenerunt, feptimoque die, exactis cultoribus, Palaeftinae fedes obtinuere. Hinc fuem averfantur, in morbi fui memoriam, cui id animal obnoxium; hinc afinum colunt, veteris beneficii gratia; hinc illis feptimum quemque diem otio tranfigere placuit; quod is finem laborum attulisfet. Vereor fane, ne tam vana et infulfa fabularum congerie, veftris auribus moleftiam fecerim, A. A. H. H! Sed pace veftra hoc commemorandum fuit; ut luculentisfimo notisfimoque exemplo

vobis ostenderem, quam incerta sit fides prudentissimi cuiusque veterum, in explicanda peregrinarum gentium origine, institutis et legibus. Verum enimvero, si, in ipsa doctrinarum luce, talem Historiae tractandae modum et viam fuisse, et vetustissimorum populorum ingenium docet, et exempla demonstrant; nonne eiusdem disciplinae, Medio Aevo, multo peiorem conditionem fuisse, exspectari convenit? Antiqua enim aetate, viri domi militiaeve principes, aut literis et philosophia clari, res gestas, quibus ipsi interfuerant, quasque a testibus fide dignis acceperant, memoriae prodiderunt: at Medio Aevo, ex castrorum strepitu, et senatus consiliis, et aulae splendore, ad monasteriorum tenebras confugerat, et in cellas monachorum se abdiderat Historia. His, omnem liberalem sensum, omnem animi magnitudinem, omnem morum elegantiam, omnem pulcri verique amorem, ipsa illa detraxerat vivendi, quam profitebantur, ratio. His igitur nulla erat, aut esse poterat, scriptionis venustas et lepor, nulla caussarum effectuumque intelligentia; nec fere quidquam aliud pensi habuisse videntur, nisi quod cum superstitionibus suis et religione coniunctum esset. De tot tantisque donis ac virtutibus, quae in veteres Graecos atque Romanos liberali manu effuderat Natura, nulla fere vestigia supererant. Posteri sola maiorum vitia imitabantur; fingendi licentiam, sui amorem, alieni contemtum, fastum et superbiam, non, ut olim, meritis quaesitam, sed ignorantiae, vanitatis, insolentiae filiam. Horumne igitur testimonio in rebus Orientalium credi par est, quibus ne sua quidem historia satis cognita fuisse videtur? quibus a doctrinarum amore, a vita communi, a Republica remotissimis, discendi tam studium quam occasio defuit? qui notissima quaeque, sibique bene perspecta, aut silentio suo obliterarunt, aut maligne interpretati sunt; ut Arabum, infestissimorum hostium, officerent gloriae, suam autem magnificis verbis praedicarent, aut, si res ita ferret, dedecus etiam et infamiam minuerent?

Miserabilis, ut videtis, et horrida facies futura erat historiae Medii Aevi, A. A. H. H. si eiusmodi hominum testimonio standum foret. At vero literis nobisque bene consuluit fortuna; quibus Orientalium auxilio eas tenebras dispellere liceat, quas suis aliarumque gentium annalibus offudit Graecorum Latinorumque vel malignitas vel ignorantia. Cum enim aut foeda barbaries, aut atrocia et identidem renovata bella, universam Europam occupassent, artes et disciplinae, quibus olim Graecia floruerat, omnes, veteri relicta sede, Bagdadum concessisse videbantur: nec in peregrino quamvis, at foecundo tamen fer-

Digitized by Google

tilique folo, fuus fplendor illis, aut nativa gratia periit. (4) Quippe nova femina doctrinarum fic fovit, aluit, produxit Abbafidarum liberalitas et munificentia, ut intra breve tempus ad aulam Chalifae, veluti ad Mufarum facrarium, ingens eruditorum concurfus fieret. Horum autem ingenia, licet maximam partem in medicina occupata esfent, aut geometria, aliisque artibus, quae ad Philofophiam pertinent; literas tamen, fuis uberrimis fructibus laetisfimoque proventu, minime caruisfe conftat. Nam, ut poetarum omittam fuavisfima carmina, et doctisfimas oratorum voces, quibus et Chalifarum regia, et elegantium hominum circuli et conciliabula, quotidie perfonabant; in rerum a fummis fortisfimisque viris praeclare feliciterque geftarum defcriptionem, tanto ardore ferebantur; ut illos non magis imperii amplificandi, quam famae fuae, (5) ad memoriam posteritatemque prodendae, ftudiofos fuisfe appareat. Ab eo nempe initio, et tum et poftea, ingens et paene incredibilis numerus exftitit eorum, qui vel univerfam Moslemorum historiam, a MOHAMMEDE ad fua usque tempora, perfequerentur; vel res geftas unius alteriusve gentis aut familiae, quae per Afiam Africamve regnasfet, literis configuarent. Horum etfi plerique, in Orientis recesfu et bibliothecarum fcriniis latent, ex editis tamen libris et verfionibus fatis fuperque coniici et exiftimari potest, quantum lucis, ad Graecos Latinosque fcriptores illuftrandos, reliquorum allatura fit cognitio. Quo in genere (ne (6) ABULFARAGIUM, ELMACINUM, EUTYCHIUMVE commemorem,) quis ignoret aut illaudata praetereat eximia (7) ABULFEDAE, et Principis, et literati viri, merita? in cuius operibus, utrum magis admirer, nefcio; fimplicem et minime fucatam narrandi elegantiam, an iucundam rerum varietatem et ubertatem: hoc fcio, neminem ex omni numero esfe Graecorum, illius aevi et proxime fuperioris, qui eruditione et diligentia cum eo ulla ex parte comparari posfit. Hic MOHAMMEDIS vitam, ingenium, confilia, turpisfimis onerata et involuta fabulis, unus patefecit et retexit: hic Islamismi initia et progresfus perfpicue et ordinate tractavit: (8) bella autem Moslemos inter et Imperatores Byzantinos, per Syriam Afiamque Minorem, octavo et nono feculo decimoque gefta, fic expofuit, ut, quae (9) CEDRENUS, SCYLITZA, CONTINUATOR CONSTANTINIANUS, SYMEON *Logotheta*, aliique Graeci, perquam exiliter et obfcure tradiderunt, eadem, nifi in clarisfima, at clariore faltem in luce, collocata esfe videantur. (10) Siciliae etiam infulae quis iisdem temporibus ftatus, quae conditio fuerit, non tam ex Latinis, quam ex pu-

Digitized by Google

rissimis ABULFEDAE fontibus, intelligi et explicari potest. Ad belli Sacri memoriam denique si descendimus, quod unum post homines natos maximum crudelissimumque fuit; quid illo auctore perfectius invenias aut limatius? qui Orientalium principum bella et discordias, tum regni conversionem et SALADINI initia, et sensim crescentem potentiam, tam accurate commemoravit; ut caussas, tam surgentis et florentis, quam labentis imperii Hierosolymitani, ex illius historia melius, quam ex omnium Christianorum libris intelligas. Nam Graecorum, (11) qui numquam aut raro his bellis interfuerunt, cum nulla hic fides sit, aut certe perexigua; Latinorum autem tanta fuerit barbaries et superstitio, ut secundam suam fortunam pietati, adversam peccatis flagitiisque suis adscriberent; rerum Orientalium scriptores, et ABULFEDA maxime, illud nobis tradiderunt, quod in Sacris expeditionibus, et admiratione dignum est imprimis, et explicatu difficillimum: torporem Saracenorum dico et negligentiam, in illis locis tuendis et conservandis, (12) quae, post Meccam Medinamque, sanctissima illis et religiosissima esse dicuntur. Nempe ex illis annalibus unice haurienda est bellorum historia, quibus magna pars Orientis dilacerata fuit et distracta; (13) cum, fractis et paene deletis Abbasidarum viribus, (14) Turcae Selgjucidae universam fere Asiam armis occupassent: (15) cum provinciae non unius parerent imperio; sed, gentis illius more et ritu, singulae urbes, singula oppida, Syriae imprimis et Mesopotamiae, suos reges, suos praefectos haberent: quibus, nec inter se, (16) nec cum Aegyptiis, Chalifisque Fathimidis, nec cum Turcarum Sultano, suoque domino, ulla satis firma intercederet necessitudinis et observantiae gratia. Quod igitur Christiani (17) prodigiis coelestibus et divini Numinis auxilio acceptum retulerunt; id iam, quibus caussis adscribendum sit, apparet. Neque enim amplius mirum videri debet, Turcarum principes, perpetuis discordiis civilibus agitatos, facilem victoriam Francis dedisse; cum, si de communi consilio agere voluissent, satis superque illis virium fuisset, ad delendos et profligandos universos Christianorum exercitus. Quod postea eventu cognitum est, cum (18) SALADINUS, (19) NOUREDDINI vestigiis insistens, et Syria, Aegypto Mesopotamiaque potitus, non solum Hierosolymas expugnavit, sed PHILIPPO item et RICHARDO, bellicosissimis maximisque Europae regibus, opibus et potentia par fuit. Nulla facile pars est historiae Medii Aevi, A. A. H. H.! quae magis, ut principum virorum et rerum gestarum magnitudine, ita scriptorum, tam nostrorum, quam Orientalium, studio

Digitized by Google

et certamine nobilitata ſit. At vel ſic tamen, in tanta Historicorum copia et numero, qui ad publicam notitiam pervenerunt, nemo reperitur, qui ABULFEDAE aut (20) BOHADDINO palmam praeripuerit: quorum alter, oriundus ex ipſius SALADINI fratre AL-MALEKO AL-ADILO, Magni Principis, gentilisque ſui, fortunam et fata accuratisſime est perſecutus: alter, eidem SALADINO domi militiaeque comes asſiduus, narrationis venuſtate, ſublimitate, ubertate, omnes omnium partium ſcriptores immenſo intervallo ſuperavit, in deſcriptione dirisſimi gravisſimique belli, quo, ut olim ad Troiam, totius fere Europae Aſiaeque viribus, (21) ad unius oppidi moenia concurſum est. Hic, licet in eo praecipue verſetur, ut Principem ornet, religionis autem ſuae laudes et amorem, Christianae vituperium odiumque profiteatur, nec ſuorum tamen clades disſimulat, nec hoſtium victorias. Mores vero et interiorem vitam SALADINI, foedera etiam et pugnarum vices, tam accurate depingit; ut haec non aliorum testimonio didicisſe, ſed ipſe rebus interfuisſe videatur. Quem ſi quis contulerit cum Latinis eiusdem argumenti auctoribus, memorabili exemplo intelliget et perſpiciet, quam utilis et iucunda ſit illa comparatio: tum ad inveſtiganda diverſarum gentium de iisdem rebus iudicia, tum ad percipiendum cognitionis et doctrinae fructum uberrimum.

Ex editis igitur Orientalium ſcriptis, quantum et univerſam Medii Aevi et bellorum Sacrorum historiam explicare et illuſtrare liceat, iam pro eruditionis meae mediocritate declaratum et patefactum videtis, A. A. H. H.! Ad ineditos autem ſi oculos animosque convertimus, latisſimus et paene immenſus rerum orbis aperitur; in quo noſtrae vires ſe exerceant, quique magis coniectura aeſtimari, quam certa et explorata ſcientia deſcribi et definiri posſit. Quippe ex tanto Historicorum numero, plurimorum vix ulla notitia ad nos pervenit; et quae pasſim ex nonnullis excerpta protulerunt, excellentisſimi in hoc doctrinarum genere Viri, HOTTINGERUS, HERBELOTIUS, POCOCKIUS, SACKIUS, WILKENIUS, magis ad ſitim excitandam, quam reſtinguendam comparata ſunt. Nempe horum opera et labore hoc maxime didicimus, editorum codicum auctoritatem, ſi quando meliores illi amplioresque libri ex bibliothecarum latebris protrahantur, aut parvam aut plane nullam fore. Nihil hic dicam de (22) IBN AL-ATHIRO, cuius, tribus et viginti voluminibus omnium temporum memoriam complexi, ipſius ABULFEDAE liber nonniſi breve compendium est: nihil de (23) MIRKHONDO, Perſarum LIVIO, qui ex immenſa mole volumi-

Digitized by Google

num, Historiam, tam literariam quam civilem, in ſeptem libros redegit: nihil de (24) IBN CHALICANO, qui, PLUTARCHI aemulus et NEPOTIS, virorum illuſtrium vitas contexuit: ſed ad eos me referam, qui ſcriptionis argumento cum noſtra oratione magis coniuncti esſe videntur: AL-WAKIDIUM, KEMALEDDINUM, NUWEIRIUM. In his antiquitate plerisque ſuperior, rerum, quas tractat, pondere et momento nemine inferior cenſendus est (25) AL-WAKIDIUS; qui octavo nonove ſeculo, historiam Syriae, a primis Mohammedis ſucceſsoribus imperio ſuo legibusque ſubiectae, poſteritati tradidit. Hunc, ne ineditam (26) LA CRUCII verſionem commemorem, quam ſervat Bibliotheca Pariſina, Anglice aut excerpſit, aut interpretatus est eruditisſimus Linguarum Orientalium Profesſor SIMON OCKLEIUS, hoc beneficio de literis noſtris immortaliter meritus. In ſummo quippe (27) THEOPHANIS aliorumque Chronographorum ſtupore et negligentia, qui, ingruentibus undique Moslemorum armis, (28) ipſamque Conſtantinopolim circumſonantibus, non de totius paene imperii clade et ruina, de internecione exercituum, de provinciis amisſis, ſed de Theologicis disputationibus cogitabant: quis hunc ſcriptorem non libenter amplectatur, monumentum belli illius prae caeteris memoria dignisſimi, unicum fere idemque perfectisſimum? Nam quae Graeci ignorantiae et malignitatis vitio, aut obſcure et imperfecte enarrarunt, aut plane omiſerunt; ſuorum ignaviam, perfidiam, deſperationem: hoſtium contra fortitudinem, religionem, confidentiam et in ſumma fortuna continentiam ſingularem: tum atrocisſima proelia, innumerabilium ſaepe copiarum ſtragem et fugam, munitisſimarum urbium expugnationes, totam denique Syriam, intra quinque annorum ſpatium, Chalifarum armis ſubactam: haec, inquam, tam fuſe et diſtincte expoſuit AL-WAKIDIUS, ut, hoc libro perlecto, ad accuratam et iuſtam illius belli deſcriptionem, haud multum ſane deſideres. Hic quaſi in tabula depictos propoſitosque cernimus fortisſimos Arabum duces, ſed Graecis paene incognitos: (29) CHALEDUM, qui, ſua manu, *Gladii Divini*, tam apud Christianos, quam apud Moslemos, cognomen meruit; (30) DERARUM, tam corporis viribus, quam animi virtute et conſtantia commendabilem; (31) ABU OBEIDAM, inſignem fide, humanitate, et rei militaris peritia; (32) IBN AL-AZUM, ingenio, dolis et calliditate, ULYSSI aut HANNIBALI aequiparandum; (33) OMARUM denique, in ipſa Imperii dignitate, clarisſimaeque victoriae luce, modeſtiae, abstinentiae, ſimplicitatis exemplar abſolutisſimum.

Digitized by Google

Ut paucis omnia compléctar; hic optime edocemur, quibus artibus, legibus, inſtitutis, celerrime creverit res Moslemica, et potisſimum confirmata ſit. Verum enimvero, quemadmodum popularium ſuorum virtutem, in occupanda Syria, egregie celebravit AL-WAKIDIUS; ſic horum, in eadem contra Francos tuenda et conſervanda, fortitudinem, haud minore ſcriptionis quam doctrinae laude poſtea delineavit (54) KEMALEDDINUS. Hic, Halebi natus, ex ea familia, quae acerrime quondam et feliciter ducum Christianorum armis inſidiisque reſtiterat, famam rerum geſtarum, a maioribus acceptam, literis conſignavit: hic in fatis civitatis ſuae exponendis tam accurate verſatus est, ut ex univerſae Syriae historia nihil omitteret, quod ad propoſitum ſuum pertinere videretur: (55) hunc denique plerisque ſcriptoribus Arabicis ſic praetulit peritisſimus noſtrae disciplinae arbiter et literarum Orientalium decus et ornamentum SACEIUS, ut in paucis dignum pronuntiaret, qui lucem publicam adſpiceret. De cuius teſtimonii veritate, ut aliqua ex parte iudicare posſemus, praeclara nuper effecit WILKENII, Celeberrimi viri diligentia; qui, (56) editis excerptis KEMALEDDINI, ſuam belli Sacri historiam, et eximie ornavit, et illuſtravit maxime. Nam ex illis excerptis intelligimus, hunc auctorem, (quae virtus in Historico ſumma est et vero omnium rarisſima,) cum virtutes et vitia, tum ſecundae adverſaeque fortunae vices, tanta fide commemorasſe, ut potius neutrarum partium, quam nobis adverſarum fuisſe videatur. Atque utinam igitur aliquando, ſummorum in his literis virorum, WILKENII aut SACEII, induſtria, nobis poteſtas fiat integri illius ſcriptoris cognoſcendi, cuius vel tenuis et extremis liniis adumbrata notitia, expeditiones cruce ſignatorum tanta luce perfudit; ut ardentisſimum eius deſiderium, in omnium eruditorum animis excitaret. Quod ut olim in KEMALEDDINO fieri vehementer optamus, ita magis etiam in (57) NUWEIRIO, qui tametſi illis, quos ſupra memoravi, aetate ſit inferior, at eruditione tamen, omnium princeps habeatur necesſe est. Nam immenſo opere viginti voluminum, quod, non inani titulo, *extremum ſtudiorum terminum in variis humaniorum disciplinarum generibus* appellavit, univerſae doctrinae Arabicae, qua late patet, ambitum, accuratisſime complexus est. Cuius libri lectio quam utilis et necesſaria futura ſit ad illud argumentum illuſtrandum, in quo tractando et commendando nunc cum maxime verſamur; iam clarisſimo A. A. H. H. vobis declarabo ſpecimine. Quod ut melius faciam, redite mecum in memoriam illius temporis, (58) cum, fuſis Gothis aut

Digitized by Google

deletis, maximaque Hiſpaniae parte ad Moslemorum fidem et ditionem translata; oppidum Cordubae factum est nova ſedes illius imperii, quo in annalibus Arabicis nullum facile clarius est et nobilius. Nempe rei militaris peritia et virtute non minus, quam ingenii et elegantiae laude, diutisſime floruit. At laeta beatisſimi ſeculi lux et gloria, noſtrorum ſtupore, denſisſimis tenebris obſcurata iacet, et, ſi vera fatemur, magis ex fama veteri celebrata est, quam certa et indubitata rerum ſcientia. (39) Noſtis profecto, nostis A. A.! quanta ſemper hominum vel admiratio fuerit vel querela, rogantium, quid in tanto Historiae apud recentiores ſtudio, in tanta ſcriptorum Arabicorum copia, nulla paene ratio habeatur gentis Maurorum nobilisſimae, ex qua haud contemnenda tamen vitae cultioris et humanitatis initia, primum in Hispaniam, et hinc in univerſam Europam redundarint. At bona ſpes est, fore, ut olim doctorum virorum deſiderio ex asſe ſatisfaciat NUWEIRIUS, qui, ut ex (40) HERBELOTIO aliisque coniici et exiſtimari potest, immenſi operis altero tertioque volumine, Chaliſatus Ommiadarum in Hispania reſtituti ſplendorem, artibus pacis et belli egregie partum et diu conſervatum, explicuit. Quarum rerum cognitio ex graviſſimi ſcriptoris fontibus petita, quam copioſa, quam iucunda futura ſit, vos A. A. H. H! vel me tacente ſatis intelligitis, cum ex ipſius NUWEIRII ubertate, et ingenii doctrinaeque fama, tum ex illis, quae univerſe per totam orationem a me disputata ſunt. Quare nunc quidem nihil addam, quod ad argumentum meum ornandum pertineat, ſed, quantum in me est, per reliquum vitae tempus, in Orientalium, Graecorum Latinorumque Medii Aevi lectione, coniunctione, comparatione, tanta induſtria diligentiaque verſabor, ut appareat, me non inani et frigido verborum lenocinio, ſed intimo animi ſenſu, vobis haec ſtudia commendasſe.

At vel ſic tamen, A. A! in ſumma voluntate mea et conatu, literas Orientales ſtrenue iuvandi et excolendi, me vehementer commoveri et conturbari ſentio. Nam ſive meam ipſe tenuitatem reſpicio et iuvenilis aetatis imperitiam; ſive immortalia recordor doctisſimorum virorum merita, qui huius quondam Academiae lumina et ornamenta fuerunt; ſive ipſius denique muneris reputo pondus et magnitudinem, iam mihi videor in eum locum esſe progresſum, ubi nec meae voluntati, nec veſtrae exſpectationi ſatisfacturus ſim. An vobis mea umquam ſe probabit ingenii mediocritas, vobis, qui a patribus audiviſtis, hic quondam magna ſtudioſorum frequentia, ſumma omnium admiratione, in-

Digitized by Google

genti gloria, docuiſſe Hebraeae Arabicaeque linguae ſtatorem, ALBERTUM SCHULTENSIUM: vobis, qui VERSCHURIUM, qui MANGERUM, qui nuper adhuc GREVIUM vidistis, deceſſorem meum: GREVIUM, et literarum Graecarum haud mediocriter peritum, et Orientalium decus eximium? Qui ſi viveret, meritis ſuis hoc Athenaeum iam denuo illuſtraret: nunc immaturo fato rebus humanis ereptus, amicis et familiaribus acerbiſſimum luctum et dolorem, vobis gratam virtutis ſuae memoriam, eruditis autem univerſis grave ſui deſiderium reliquit. Huius igitur et caeterorum, qui olim in hac urbe fuerunt, doctrinam et ingenium ſi mecum ipſe conſidero, haud leviter ſane deprimitur iuvenilis animus et ſuae imbecillitatis ſenſu plane confunditur: at habet tamen illa contemplatio neſcio quid incitamenti ad laudis et gloriae ſtudium. Quis enim ſit tam vecors aut ferreus, quis adeo remotus ab omni amore et ſenſu humanitatis, ut cum eo in loco ſit poſitus, ubi ſemper eluxit ſummorum Virorum virtus et prudentia; nec merita eorum ſuſpicienda, nec exemplum imitandum, nec famam conſequendam putet? Quare in meo munere ſuscipiendo hoc mihi propoſitum est maxime, ut, niſi eruditione, at ſtudio tamen et voluntate, SCHULTENSII, VERSCHURII, MANGERI, GREVII non omnino indignus ſucceſſor eſſe reperiar. Hoc ipſum magni illi Viri, quorum nomina intaminatis honoribus nobilitata paullo ante commemoravimus, a nobis petunt, exigunt, flagitant, ut ne ignaviae ſuccumbamus aut deſidiae, ſed conſtanter fortiterque ſuis inſiſtamus veſtigiis: hoc Patria etiam poſtulat, quae debilitata iam dudum et fracta ſaeviſſimi tyranni imperiis, nunc vero optimi Principis conſiliis in integrum reſtituta, ſenſim ad antiquae laudis certamen erigitur: hanc denique provinciam nobis impoſuit eximia dilectiſſimi Regis prudentia, qui eo potiſſimum inſtituto, et Res Academicas ordinavit, et Athenaea condidit, ut, quos ab infestiſſimorum hoſtium inſidiis feliciſſime vindicaſſet, iidem ingenio, artibus, disciplinis reliquos omnes populos antecellerent.

Quae cum ita ſint, nulla profecto via aut ratio fuit, qua melius huius Athenaei commodis conſuleret Rex ſapientiſſimus idem et fautor omnium ſcientiarum liberaliſſimus, quam ut Veſtris conſiliis illud regundum admiſtrandumque committeret, Curatores Ampliſſimi, propriisque laudibus non minus quam paternis celebratiſſimi! Nam unus Veſtrum eo loco natus est, ut nemo in gente Friſiaca ſit nobilitate praeſtantior; ea autem doctrina inſtructus, ut literis, quam genere, maior eſſe videatur: reliqui vero non ſolum ſeverioribus disci-

Digitized by Google

plinis exculti, ſed iis etiam patribus orti ſunt, qui Franequeranam Academiam, fama, dignitate, auctoritate per univerſam Europam nobilitarunt, CAMPERO et CONRADIO. Vos igitur appello, optimi viri! qui et memoria maiorum, et generis necesſitudine, et Veſtri denique nominis auctoritate, gloriae huius Athenaei bene conſulere, et vultis, et poteſtis: Vos, inquam, appello, ut, ſi quod in me futurum ſit de literis Orientalibus bene merendi ſtudium, ſi meam Vobis umquam probavero diligentiam, induſtriam, fidem; meis conatibus, quamvis imperfectis et exiguis, benigne faveatis, Veſtraque me indulgentia proſequamini. Quod ad me attinet, an vires propoſito votoque meo reſponſurae ſint, affirmare non auſim in hac tanta facultatis meae mediocritate, quae quanta ſit, mecum optime ſentio. Verum tamen, cur Vobis hoc ſpondere dubitem, cauſſa nulla est, meam, et erga Veſtra merita obſervantiam, et in Athenaeum voluntatem, et in discipulorum commodis iuvandis laborem, tanta et tam ſpectata fore, ut nec Regem ſui in me favoris, nec Veſtrae in me benevolentiae Vos umquam poeniteat!

Iam ad Vos mea delabitur oratio, quarumvis disciplinarum Profesſores clarisſimi, collegae coniunctisſimi! qui ut Academiae quondam florentisſimae caſum graviter et acerbe luxiſtis, ita de inſtaurato Athenaeo, literisque in hac alma Muſarum ſede renaſcentibus, mecum laetamini. Vos igitur, Eruditisſimi Viri! oro atque obteſtor, ut me, veſtro nunc adſcriptum ordini, benigne et amanter excipiatis: aetate quidem et doctrina vobis longe inferiorem, at amicitiae tamen veſtrae ſtudioſisſimum. Et profecto me iuvenem, et recens advenam, et vobis paene ignotum, tanta humanitatis ſignificatione proſecuti eſtis, ut magna ſpes ſit, firmisſimum inter nos collegii et caritatis vinculum fore. Tu autem mihi prae caeteris compellandus es, Venerande Senex, Clarisſime WASSENBERGHI! Quid enim in tanta huius diei luce et magna omnium laetitia mihi iucundius esſe posſit, quid gratius, quid honorificentius, quam te ſalutare collegam, quem a puero ſemper admiratus ſum et ſuſpexi? Te, perfectam imaginem VALCKENARII, qui et tuum ingenium ad omnem elegantiam formavit, et in hac urbe multos ingenti gloria docuit? Te denique, qui in ipſa ſenectute Graecarum literarum amore, ſcientia, inſtitutione, non minus hoc Athenaeum ornes atque illuſtres, quam olim Academiam illuſtraſti? Utinam faxit Deus Optimus Maximus, ut, quem antiquitatis amorem ex LENNEPII, doctoris dilectisſimi, disciplina hauſerim et derivarim, eundem, Tuo

adiutus favore, monitis, praeceptis, alam deinceps et excolam perfectius, utque olim orbi erudito, et WASSENBERGHIO collega dignus esse videar, et discipulus LENNEPIO! Te vero cum intueor, Clarissime HENGELI! (neque enim in hac allocutione Tu mihi omittendus es,) comitem studiorum intueor eundem et hortatorem assiduum. Quippe tali obstringimur amicitiae vinculo, ut summa concordia, coniunctis viribus, iuventutis commodis profuturi esse videamur: tanta autem tenemur disciplinarum affinitate et necessitudine, ut nobis quasi de principatu inter nos contendendum sit. Quocirca pares iam animo atque industria ingrediamur curriculum nobilitatis et gloriae, quam qui expetivit, is numquam falsus sua spe fuit et deceptus: maiorum et principum huius aetatis Virorum intueamur exempla: haec sequamur, haec imitemur: ego SCHULTENSIOS, GREVIOS, WILLMETTOS et PALMIOS; Tu VITRINGAS, ALBERTIOS, VOORSTIOS, MUNTINGHIOS, BORGEROS. Sic favente Deo, nostris aliquando fiet laboribus, ut hoc Musarum sacrarium veteri fama floreat Theologiae et Literarum Orientalium.

In huius laudis partem et societatem vos etiam advoco, Iuvenes Ornatissimi! qui primi nostrae disciplinae percipiendae gratia Franequeram convenistis. Cavete, quaeso, ne vos umquam deterreant animosque vestros deiiciant elementorum difficultates, sed constanter diligenterque progressi, hoc perpetuo memineritis, radices doctrinarum amaras quidem esse, at fructus dulcissimos. Me autem ducem vestri studii fidissimum, praeceptorem indulgentissimum, amicum et fautorem benevolentissimum habebitis. Magno igitur animo, magno conatu in Literas Orientales incumbite: vicinis gentibus, Gallis, Germanis, Anglis, victoriae palmam eripite: vestro denique et condiscipulorum exemplo notum sit omnibus et testatum, Batavos post receptam pristinam fortunam et libertatem, optimarum artium cognitione et scientia, maioribus adhuc esse dignissimos. Ita, quod bonum, felix, faustumque sit! et sapientissimi Regis benivolentia, et Curatorum consiliis, et nostris laboribus, et vestra etiam, Iuvenes Praestantissimi! modestia, assiduitate, diligentia, hoc aliquando consequemur, ut huius celebritatem diei grata memoria posteri recolant, quasi faustissimum initium renascentis Athenaei, et omen certissimum aeternae iam gloriae Franequeranae civitatis.

Digitized by Google

ANNOTATIO.



(1) Notum est opus immortale Gibboni, cui titulum fecit: *The decline and fall of the Roman Empire:* nota item Indiarum historia philosophica Raynallii: nec minus celebrata merita Robertsoni. Interim in tironum gratiam monendum videtur, me in eo laudando vel imprimis respexisse, cum ad egregiam eius commentationem de India Veteri, tum ad conspectum rerum Medii Aevi, sive Isagogen ad historiam Caroli V. Prae ceteris tamen, hoc in doctrinae genere, literarum studiosis commendanda sunt doctissimorum virorum scripta, qui in effectus Belli Sacri inquisiverunt: Regenbogii, *Commentatio de Fructibus, quos humanitas, libertas, mercatura, industria, artes atque disciplinae, per cunctam Europam perceperint a Bello Sacro.* Amst. apud P. den Hengst et filium. 1809. *De l'influence des Croisades sur l'état des peuples de l'Europe*, par M. de Choiseul- d'Aillecourt: *ouvrage, qui a partagé le prix décerné par l'Institut de France:* examiner quelle a été l'Influence des Croisades sur la liberté civile des peuples de l'Europe, sur leur civilisation, sur les progrès des lumières, du commerce et de l'industrie. Paris, chez Tilliard frères. 1809. Denique *Versuch einer Entwicklung der Folgen der Kreuzzüge für Europa. Eine vom National Institut von Frankreich gekrönte Preisschrift.* Von Hofrath A. H. von Heeren, *Professor der Geschichte zu Göttingen.* Göttingen, beij J. F. Röwer. 1808. Commentatio Heerenii, (qui omnes in ratione Historico-Philosophica longo intervallo superavit,) etiam separatim prostat in eiusdem *Kleine Historische Schriften. vol. III.*, nec non Gallice conversa est a viro elegantissimo Charles Villers. *à Paris, chez Treutel et Würtz.* 1808.

(2) Longum foret et vero supervacaneum, multis demonstrare, quanta in barbarorum populorum rebus exponendis fuerit veterum negligentia. Haec autem ex eo maxime repetenda videtur, quod eorum studia Graecis Latinisque literis circumscripta essent; nec quisquam fere linguis peregrinis addiscendis operam daret: cuius rei ratio, cum in nominibus propriis maxime spectetur, non abs re fuerit, eorum hic pauca quaedam exempla attulisse. Quis, ut hoc utar, ignorat, nobilem illam de Carthaginis origine fabulam? quam tangit Virgilius, Aen. l. I. v. 369. seqq.

Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes
Moenia, surgentemque novae Carthaginis arcem:
Mercatique solum, facti de nomine, Byrsam;
Taurino quantum possent circumdare tergo.

Ubi vide Servium. Atqui iam pridem demonstravit Bochartus (in *Canaän.* l. I. c. 24. p. 470.), et ipsa res clamat, totum hoc, quidquid est commenti, ex nomine *Byrsa* ortum esse: quod Graece

Digitized by Google

corium significat, et hic per literarum metathesin ex Hebraeo Phoeniciove vocabulo *Botsra* (בצרה), *arcem* notante, corruptum est. Nam *Byrsa* (ut notum,) arx erat Carthaginis. Ipsa autem vox *Botsra* nomen urbis est Idumeae, a munitionibus, ut videtur, appellatae, cuius mentio fit in sacris Literis, Gen. XXXVI. v. 33. 1 Paralip. I. 44. Ies. XXXIV. 6. LXIII. 1. Ier. XLIX. 13. Cf. etiam Herbelot, B. O. v. *Bosra*. Abulf. A. M. T. I. p. 220. Ockley *Hist. Sarac.* T. I. p. 31, sqq. Belg. vers. et de alia urbe eiusdem nominis in regione Moabitica, Ier. XLVIII. 24. — Si quis plura desideret exempla, Persica historia imprimis eorum magnum numerum suppeditabit. Sic ex nomine *Perizadeh*, (quo hodieque pulchras festivasque puellas Persae insignire solent,) ex *Sitarah* (stella), et *Rouschen* (lux), Graeci suam *Parisatin*, *Statiram*, et *Roxanen* effecerunt. Cf. Herbel. B. O. v. *Peri*. His iam aliunde notis aliquid subiungam, quod haud scio an hucusque observaverit nemo. Nempe mihi pro certo persuasum est, *Zenobiae* nomen, celebratissimae reginae Orientis, ex Arabicis fontibus derivandum, et a Graecis Latinisque corruptum esse. Nam eius maritus Odenatus (Procopio teste *Persicorum* l. II. c. 5. p. 97.) erat τῶν ἐκείνῃ (in Syriae desertis) Σαρακηνῶν ἄρχων, οἳ Ῥωμαίοις ἔνσπονδοι ἐκ παλαιοῦ ἦσαν. Hunc igitur fuisse coniicio ex principibus tribus Gassanidarum, quae ob celebrem illam inundationem, *Sail ol Aram* dictam, ex Arabia Felice in Syriam transgressa, ibi sub Romanorum ditione et imperio consedit. Cff. excerpta ex Mesoudio in *Hist. Joctanid.* p. 160—183. Pocock. *Spec. Hist. Arab.* p. 75. Reiskius *Comment. de Arabum Epocha vetustissima Sail ol-Aram.* Herbelot. B. O. v. *Gassan* et *Gassaniah*. Adde quae de ultimo regum Gassanidarum narrantur apud eundem, in voce *Gjabalah ben al-Aihem*, coll. Abulf. A. M. I. p. 234. sqq. Huius tribus principes, qui plerumque apud Arabes *Hareth*, apud nostros *Aretas* vocantur, nonnumquam Imperatorum nomine partem Syriae rexisse et exercitibus praefuisse constat. Odenatus autem, sive ad hanc gentem, sive ad aliam pertinuerit, Arabs certe fuit. Nil mirum igitur, si etiam uxoris Zenobiae nomen ex Arabico *Zeinab* vel *Zeineb* explicandum censemus; quae in historia Mohammedis trium feminarum est appellatio. Prima est Zeinab bint al-Hareth, Iudaea, quae Pseudoprophetam veneno interficere conata est. Abulf. A. M. T. I. p. 134. Altera Zeinab bint al-Gaschi, Mohammedis uxor, ibidem p. 194; (collato Corano, sur. 33. vs. 35. seq. ibique interpretes. pag. 561. ed. Marac.) Tertia eiusdem filia, quae nupsit Abulazo. ibidem p. 192. Eiusdem nominis duas etiam filias habuit Ali ben Abi Taleb. ibidem pag. 338, 340. Adde alias huius nominis mulieres ex Abulf. A. M. T. II. p. 18, 54. Cardonne *Mél. de Lit. Orient.* T. II. p. 3.

(3) Cf. Tacit. Hist. L. V. c. 2—6, ibique interpp.

(4) De Chalifarum abbasidarum Mansuri, (A. C. 754—775. H. 136—158.) Harunis, (A. C. 786—809. H. 170—193.) Mamuni, (A. C. 813—833. H. 198—128.) aliorumque noto studio et liberalitate, in artibus et disciplinis fovendis et excolendis, praeter Herbelotium aliosque cff. Reiskius *de principibus Mohammedanis, qui aut ab eruditione, aut ab amore literarum claruerunt.* Lipsiae. 1747. 4to., Freind, *Histoire de la médecine, depuis Galien.* T. II. p. 15. sq, 25. sq. et elegantissima oratio celeberrimi Willmetti, praeceptoris nostri dilectissimi, *de Arabum meritis, in literis Medio Aevo instaurandis.* pag. 27., sqq.

(5) Animo obversabantur verba Ciceronis, Act. II. in Verrem l. V. 14. *Ius imaginis ad memoriam posteritatemque prodendae.*

Digitized by Google

(6) Gregorius Bar-Hebraeus five Abulfaragius, cognomine Ibn al-Kof, Aharonis medici filius, natus est Malatiae five Melitenae, Armeniae oppido, A. C. 1226. Scriptorum, qui inter Syros Iacobitas claruerunt, facile princeps extitit: nam Syriacae et Arabicae linguae, adde et Graecae, ftrenuam operam navavit; Medicinae item, Theologiae, Philofophiae et Historiae peritia magnam famam adeptus. Anno aetatis vigefimo, C. 1246, Gubae Episcopus creatus est: at mox, anno 1247, Lacabaenam, anno autem 1252, Halebum translatus, anno denique 1264, ad Primatum five Archiepiscopatum Orientis, i. e. Mefopotamiae, evectus est: quae dignitas in Ecclefia Syriaca fecunda fuit. Hunc locum, per annos viginti duos, magna cum laude tenuit, mortuus anno aetatis 60., C. 1286., Maragae Adherbegjanae, five Veteris Mediae, urbe, (Cf. Schultens, *Ind. Geogr. in vitam Saladini* in v.) quo, fratris confilium fecutus, Maufala, Episcopatus fui fede, relicta, paullo ante fecesferat. Asfemanni *Bibl. Orient.* T. II. c. 42. p. 244—266. Scripta eius Arabica et Syriaca, varii argumenti, ad unum et triginta, recenfet Barfuma, frater eius, apud Asfem. ibid. p. 268., fqq. Cf. et nota ibidem. Nonnullorum argumenta fufius perfequitur ipfe Asfemannus, et alia memorat p. 275 fqq. Inter Abulfaragii opera principem locum tenent duo: alterum est *Historia Compendiofa Dynaftiarum*, five *Taarich Mochtadfer al-Doual.* cuius particulam cum eruditisfimis notis, titulo *fpeciminis Historiae Arabum*, vulgavit Pocockius Oxoniae 1650: totum vero opus cum verfione edidit ibidem 1663. 4to. *Speciminis Pocockiani* novam editionem dedit J. White Oxoniae 1806, cui inedita quaedam ex Abulfedae *chronico* addidit celeb. S. de Sacy. Historia Abulfaragii (cuius verfio Germanica exftat, auctore Bauero. Lipfiae 1783 – 1785. 2 voll. 8vo.) decurrit ab orbe condito ad annum Christi 1284. (H. 683.) Alterum opus est *Chronicon Syriacum*, in tres partes diftinctum. Cf. Asfem. ibid. p. 311. fqq. qui duas posteriores, ad res Ecclefiasticas Syrorum fpectantes, totas fere operi fuo inferuit T. II. p. 321—462. Pars prima, quae Historiam univerfam tractat, in Asfemanni Cod. ib. p. 311. producta erat ad A. C. 1289, tertium post obitum auctoris. Hanc, five a Barfuma fratre, five ab Anonymo, ad annum 1297 continuatam e Codd. Bodleianis Syriace et Latine ediderunt P. J. Bruns et G. G. Kirsch, Lipfiae 1789. 2 voll. in 4to.: correctiones additionesque in lucem protulit A. J. Arnolds. 1805. 4to. Ceterum de hoc auctore cf. etiam Herbel. B. O. voce *Aboulfarage*, *Ebn Kof* et *Gregorious*, et Schnurr. *Bibl. Arab.* p. 138—143.

Elmacinus cognomen est Georgii Ibn Aboul-Jafer al-Amid, Christiani. Hic natus A. C. 1223. (H. 620) in Aegypto, mortuus Damasci, A. C. 1273. (H. 672.) principum Mohammedanorum gratia floruit, qui eo, veluti Notario, ad interiora confilia ufi funt. Sic, teste Gregorio Bar-Hebraeo, qui eum Aegyptiorum Ictorum principem appellat, apud Asfem. B. O. T. II. p. 377., fuit in aula Naferi, Sultani Damasceni, cum ipfe Gregorius aliique Episcopi eodem veniebant A. 1253. Iacobitarum fectae addictum fuisfe arbitratur Pagius in *Crit. Ann. Baronii* ad A. C. 622. VIII. Historiam fcripfit ab orbe condito ad fua usque tempora, five ad A. C. 1259. (H. 658.), quo Rocneddinus *Bibars* (fic enim legendum est in loco corrupto Elmacini p. 2. 12.) Mamluchorum Sultanus, imperium occupavit: quamquam editi libri fubfistunt in A. C. 1118. (H. 512.), quo obiit Mostedhaherus, vigefimus octavus Abbafidarum Chalifa. Cf. Schnurr. B. A. p. 113. fq. Ad fcriptos igitur codices refpexisfe videtur Beckius, chronicon fcribens Elmacini ad extremum feculum XIII. productum esfe. cf. *Anleitung zur Kenntnisz der allgem. Welt-und Völker-gefchichte.* T. III. p. 293. At graviter labitur Pagius in *Crit. Ann. Bar.* ad A. C. 1118. XXXIV. affirmans, Elmacinum in Annalibus condendis ufum esfe testimoniis Abulfedae et Mirkhondi: quorum tamen alter, feculo demum

decimo quarto, alter decimo quinto extremo, inclaruit. Vide infra n. 7 et 23. Elmacini liber, (ut ipse in praefatione et quavis fere pagina testatur,) compendium continet operis inter Orientales celebratissimi, quod ab eius auctore, Abou Gjafar Mohammed ibn Gjorair al-Thabari, dicitur *Taarich al-Thabari* vel *Gjafari*, i. e. *historia Thabariensis vel Gjafariensis:* a Persis autem *Taarich pesser Gjorair*, vel *Chronicon filii Gjorairi*. Decurrit ab orbe condito ad A. C. 914. (H. 302.) ex eoque particula edita est in *Historia Joctanidarum* p. 102—136. Reliqua de suo Epitomator addidit. cf. Herb. B. O. v. *Gergis*, *Gjafari*, *Tarich*, *Thabari* et *Pesser*. B. F. Tydeman in *Indice vitarum Ibn Chalicani*, adi. dissertationi de eodem auctore N. 581. Adde Elmacinum p. 189. Abulf. A. M. T. II. p. 326. n. 274. p. 344. n. 286. Golium in praefatione ad Elmacinum, cuius partem alteram, quae Mohammedis et sequentium principum gesta complectitur, Latine versam ab Erpenio, post huius mortem edidit; sub titulo *Historiae Saracenicae*, sive *Taarich al-Moslemin*, cum Arabico textu et Roderici Ximenis historia Arabum L. B. 1625. fol. Alias editiones vide apud Schnurr. B. A. p. 114. sq. Prioris partis, quae ab Adamo ad Mohammedem usque progreditur, ut ἀνεκδότου, meminit Hottingerus in *Hist. Orient.* l. I. c. III. p. 22. eiusdemque nomen et auctoritatem in eodem libro frequenter usurpat. Caeterum de Elmacini familia et maioribus ipse legendus est in fine *Hist. Sarac.* p. 299. sq.

Eutychius, (cuius verum nomen est Said ibn Batrik,) hunc titulum sibi arrogavit; cum Melchitarum, sive Orthodoxorum Patriarcha crearetur Alexandriae, A. C. 932. (H. 321.) Mortuus est A. C. 939. (H. 328.) aetatis 64. Medicinae et Historiae peritia illustris, inter alia scripsit Chronicon, a rerum primordiis deductum ad A. C. 936. (H. 325.,) inscriptum *Nadhm al-Gjawaher* i. e. *Series contexta Margaritarum*. Hoc opus titulo Annalium Eutychii publici iuris fecit E. Pocockius Oxoniae 1658. 2 voll. in 4to., auctore et suasore Ioh. Seldeno, qui ex Eutychio *Origines Ecclesiae Alexandrinae* iam ante vulgaverat Londini 1642. Ex reliquis Patriarchae scriptis nihil est editum, praeter *Chronicon Siculum*, Arabice et Latine, in Carusii *Bibl. Hist. Regni Siculi* T. I. De vita et operibus Eutychii, legenda sunt verba Elmacini, p. 208. et Ibn Abi Ozaibae, in *Hist. Medicorum*, ad calcem praefationis Pocockianae: nec non Prolegomena Seldeni, quae partim, ex dicto eius libro, in suam editionem transtulit Pocockius. Adde Herb. v. *Autisious*, *Batric*, *Nadhm al-Gjawaher* et *Said ben Batric*, et Schnurr. B. A. p. 144. sqq.

(7) De Abulfeda Principe, Historico et Geographo nobilissimo, pauca de multis in tironum gratiam monenda sunt. Al-Malek al-Mowaied Ismaël Aboulfeda, cognominatus etiam Tagjeddin vel Emadeddin, i. e. corona sive columna religionis, natus est A. C. 1273. (H. 672.) Damasci, quo familia eius, metu Tataricae invasionis, concesserat, ut ipse testatur *Ann. Mosl.* T. V. p. 34. Pater eius al-Malek al-Afdal Ali abavum habuit al-Malekum al-Adilum, fratrem magni Saladini, qui eius filio Takjoddino Omaro Hamatam aliaque Syriae oppida tradidit A. 1178. (H. 574.) T. IV. p. 36. *Exc. Schult.* p. 25., eorumque possessionem ipsi confirmavit A. 1186. (H. 582.) T. IV. p. 72. *Exc. Schult.* p. 39. Haec deinceps posteri ipsius tenuerunt T. IV. p. 114 et p. 140. *Exc. Schult.* p. 53 et 63. T. IV. p. 290, 346, 356. sqq. 478. At A. 1259. (H. 658.) Abulfedae patruum al-Malekum al-Mansourum Hamata spoliarunt Tatari: T. IV. p 580., quam, iisdem fugatis, eodem anno ipsi restituit al-Malek al-Modhaffer Saifeddin Cotouz, Aegypti Sultanus. Ibid. p. 596. Mansouro successit filius al-Malek al-Modhaffer Mahmoud Abulfedae patruelis T. V. p. 78, quo defuncto, Hamata prin-

Digitized by Google

cipibus suis ademta A. 1298. (H. 698.), Sultani Aegyptii al-Maleki al Naseri praefectis parere coepit: T. V. p. 160. sed ab eodem Abulfedae nostro cum Maarra et Barina restituta est. A. 1310. (H. 710.) T. V. p. 230—238. qui haec deinceps praefecti loco et nomine per biennium rexit; at mox A. 1312. (H. 712.) ad regium honorem evectus est. T. V. p. 256—266. Interiecto tempore ab eodem Principe Sultani titulum accepit A. 1319. (H. 720.) T. V. p. 336. et annis viginti in summo imperio exactis, mortuus est A. 1332. (H. 733.) aetatis 60. Bello Sacro aliisque expeditionibus saepius cum laude interfuit. Nam positis militiae tirociniis in obsidione arcis Macrabi A. 1285. (H. 684.) T. V. p. 82. sq., mox A. 1289. (H. 688.) Tripolin, A. 1291. (H. 690.) Ptolemaidem cum Aegyptiis expugnavit, et A. 1292. (H. 691.) socius fuit expeditionis adversus Calaat er-Roum susceptae T. V. p. 90, 94 sqq. 104. Denique, ut alia omittam, A. 1315. (H. 715.) in Malatia expugnanda Sultanum copiis suis adiuvit. T. V. p. 286. sqq. Minus tamen bellica fortitudine, quam scriptis inclaruit; e quibus memoratu dignissima sunt duo opera: alterum Geographicum, quod inscripsit *Takwim al-boldan*, sive *rectam constitutionem regionum*; alterum Historicum, titulo *Mochtadser fi achbar al-bashar*, i. e. *compendium Historiarum generis humani*. Prius ab auctore absolutum A. 1321. (H. 721.), et a Reiskio Latine redditum, Buschingius totum inseruit promtuario suo, inscripto: *Magazin für die neue Historie und Geographie*, T. IV. p. 121. sqq. T. V. p. 299. sqq. Opus in viginti octo tabulas Geographicas divisum est. Editiones cum alias, tum Arabico-Latinas singularum tabularum, quae hucusque prodierunt, accurate recensuerunt Schnurrerus in *Bibl. Arab.* p. 121. Jourdainius in *Biog. univ. v. Aboulfeda* T. I. p. 95. Iisdem tabulis, in Indice suo Geographico ad vitam Saladini conficiendo, magno cum fructu usus est Alb. Schultensius. Historicum opus, quod rerum gestarum memoriam ab orbe condito ad A. 1329. (H. 729.) complectitur, in sex capita vel libros distinctum est. Priores quinque veterum populorum fata brevissime persequuntur. Ex libro quarto, sive Arabum historia ante Mohammedem, nonnulla in suum *Specimen Historiae Arabum* transtulit Pocockius; quibus alia addidit Saccius in nova libelli editione, curante J. White; alia in *Bibliotheca Orientali* Herbelotius, et Alb. Schultensius in *Monumentis vetustioribus Arabiae*, editis Lugd. Bat. 1740. et repetitis ad calcem *Historiae Joctanidarum* Harderov. 1786. quo in libro etiam ex Abulfeda excerpta legitur successio Regum Arabiae felicis p. 1—15. Ex libro sexto, qui, a Mohammede initium ducens, mole sua et ubertate rerum priores omnes immensum superat, primus *Mohammedis vitam* Arabice et Latine cum notis edidit Jo. Gagnierius Oxoniae 1723. fo.; tum A. Schultensius *vitam Saladini*, Bohaddini narrationi de eiusdem rebus gestis adiectam. L. B. 1732. (1755.) Ex eodem fragmenta nonnulla ad Historiam Siculam pertinentia vulgarunt Carusius aliique, partim ex Dobelii, partim ex Reiskii versione, quae prodiit Lipsiae 1754. (1778.) Haec tantum ad A. 1015. (H. 406.) continuata est. Denique totum opus a Mohammedis natalibus ad A. 1329. (729.) cum versione et notis tam Grammaticis, quam Historicis Reiskii Arabice et Latine cum orbe erudito communicavit J. G. C. Adler Hafniae 1789—1794. 5 vol in 4to. Caeterum praeter praefationes Reiskii et Adleri, inprimis lectu digna sunt, quae de hoc auctore disputarunt Gagnierius et Schultensius in prolegomenis ad *vitam Mohammedis* et ad *Bohaddinum*; de Chaufepiè in *supplem. Lexici Bailiani* T. I. V. *Aboulfeda*; Jourdainius in *Biogr. Univ.* l. l. quorum Gagnierius imprimis scriptorem ab erroribus Gravii (in praef. ad *descriptionem Chorasmiae et Mawaralnahrae*,) Herbelotii (in v. *Aboulfeda* et *Tacouim al boldan*,) aliorumque, felicissime vindicavit.

Digitized by Google

(8) Cum his conferenda, quae in eandem sententiam disputavit Reiskius, in praef. ad edit. Lat. Annalium Abulfedae p. VIII. sq.

(9) De Georgio Cedreno Monacho et scriptore Chronici ab orbe condito ad A. 1057. vide Voss. de Hist. Gr. L. II. c. 26. p. m. 149. Fabric. B. G. Lib. V. c. 4. T. VI. p. 155. Edit. Harles. L. V. c. 1. T. VII. p. 464. Leo Allatius *Diatribe de Georgiis* p. 335. ed. Paris. (apud eundem Fabricium B. G. T. X. p. 650 sqq. Harles. T. XII. p. 32.) — De Scylitza auctore compendii Historici, ab obitu Imp. Nicephori a Genicis A. 811. ad initia Alexii Comneni A. 1081. cf. Voss. l. l. p. 150. Fabr. ibid. T. VI. p. 386. Harles. T. VII. p. 722. sqq. — Anonymus ille, quem continuatorem Constantinianum cum Reiskio appellavimus; quod iussu et auspiciis Imp. Constantini Porphyrogennetae, Theophanem supplevit: quatuor libris totidem Imperatorum gesta complexus est, Leonis Armenii, Michaëlis Balbi, Theophili et Michaëlis II. ab anno 813—868. Vide Fabr. l. l. T. VI. p. 399. Harles. T. VII. p. 681. — Denique de Symeonis Magistri et Logothetae annalibus a Leone Armenio ad Nicephorum Phocam, vid. Voss. l. l. L. IV. p. m. 225. Fabr. l. l. T. VI. p. 352. Harles. T. VII. p. 683. sqq. Leo Allatius *Diatribe de Symeonum scriptis*.

(10) Inter duces, qui auspiciis Aglabitarum, Africae principum, (de quibus vide Herb. v. *Aglab* et *Ibrahim ben Aglab*. et Abulf. A. M. T. II. p. 78. et passim) magnam Siciliae partem expugnarunt et obtinuerunt, primus Abulfedae memoratur Mohammed ibn Abdallah ibn Aglab, qui Palermi sedem habebat A. C. 842. (H. 228.) Abulf. T. II. p. 178. ibique Reisk. n. 165. Huic successit Abbas ibn Fadhl A. C. 851. (H. 238.), qui Ennam cepit. ibid. p. 190. n. 177. Hinc iam frequens rerum Sicularum apud Abulfedam mentio est. Brevitatis studio potiora tantum enotabimus. De Sicilia Aglabitis erepta et ad Fathimidas translata, A. C. 908. (H. 296.) cf. T. II. p. 318. de obsidione Agrigenti per quadriennium extracta, A. C. 977. (H. 326.) p. 400. sq. n. 292. de rebus in insula gestis ab A. C. 947. (H. 336.) ad A. C. 1035. (H. 427.) p. 446—452. n. 341—348. de insula a Francis occupata, deque ultimis eius praefectis Moslemicis. A. C. 1091. (H. 484.) T. III. p. 274. sqq. n. 209 — 220.

(11) Graecorum Imperatores Alexius Comnenus, eiusque filius et nepos Ioannes et Manuel, levem sane aut nullam operam cruce signatis, in bello Sacro gerendo, praestiterunt. Alexius quidem A. 1097 in Nicaeae obsidione Francos nonnihil adiuvit; sed in urbe praedaque sibi vindicanda, perfidiae potius quam fortitudinis documenta edidit. Wilken. *Gesch. der Kreuzz.* T. I. B. I. C. V. p. 147. sqq. ibique auctt. l. l. Proximo anno 1098 Graecorum copiae, duce Taticio, Antiochiam cum Latinis oppugnarunt; at fame et rerum augustiis fracti, mox socios deseruerunt: Ibid. T. I. B. I. C. VIII. p. 182. nec fortiorem se praestitit Imp. Alexius, qui paullo post ingenti cum exercitu accesserat, Francis Antiochiae obsessis, et magna rerum difficultate laborantibus, suppetias laturus. Nam periculi nuntio perterritus, re infecta, regressus est Constantinopolim. Ibid p. 211. Filius eius Ioannes, bellicae virtutis laude clarior, bis in Syriam profectus est; ut Antiochiae Principem in ordinem cogeret, et ea occasione damna Turcis inferret. Prior expeditio incidit in A. 1137 et 1138. qua frustra oppugnata Halebo, nonnullas arces et oppida vi cepit. cf. Wilken. l. l. T. II. B. II. C. XXXI. p. 658. sqq. Posterior in A. 1142. qua nihil adversus Saracenos peractum est, exstincto Imperatore in Cilicia, primo

Digitized by Google

vere A. 1143. cf. Wilk. l. I. C. XXXIV. p. 711—715. Manuel denique, qui Ioanni ſucceſſit, aliquanto magis bello Sacro inclaruit. Nam, ut omittam res ab eo adverſus Sultanum Iconii in Aſia Minore, et Antiochenos in Syria geſtas, (de quibus prae caeteris cf. Nicetas Choniates L. I. p. 36. Lib. III et VI. paſſim. Cinnamus L. II. IV. V. et VI. paſſim.) cum Almaricho rege Hieroſolymarum Aegyptios adortus, Damiatam diu et acriter oppugnavit. Cf. Nicetas L. V. p. 104. Cinnamus l. VI. C. 9. p. 162. quam expeditionem Wilh. Tyrius L. XX. C. 4. 14—17. confert in A. 1169. (H. 564. et 565.) conſentientibus Abulf. A. M. T. III. p. 626. *Excerptis Schult.* p. 11. Bohaddino V. S. p. 35. ſq. cf. Abulfar. *Chron. Syr.* p. 360. ſq. vers. 367. ſq.

(12) Iudaea etiam a Moslemis Terrae Sanctae nomine appellari ſolet. cf. Herb. B. O. v. *Falasthin.* Sed imprimis Hieroſolymas et Hebronem venerantur. Hanc *Chalil* vocant ab Abrahamo ibi ſepulto, qui *Chalil Allah* ſive amicus Dei dicitur. Cf. ibid. v. *Abraham* et *Khalil.* Reisk. ad Abulf. A. M. T. I. n. 12. Hieroſolymas autem vulgo ornatas titulo *Beit al-Mocaddes*, i. e. *domus ſanctae*, vel *Kods*, i. e. *Sanctitatis*, tanto honore proſequebatur Mohammed, ut ab initio hanc ſectatoribus ſuis *Keblam* esſe vellet: i. e. *locum, quo inter precandum faciem converterent.* Nam anno demum fugae ſecundo hunc honorem ad Templum Meccanum tranſtulit. Abulf. A. M. T. I. p. 76. coll. Cor. Surat. II. 143—152. edit. Mar. Herb. v. *Keblah* et *Keblatan*, *Beit al-Mokdes*, *Kods*, *Ilia* et *Mokaddes.* Adde Abulfar. H. D. p. 163. *Arab.* Sectarii tamen Carmatitae, qui circa annum 890. (H. 277.) inclareſcere coeperunt, Keblam Hieroſolymitanam Meccanae praeferendam esſe cenſebant. vid. Abulf. T. II. p. 268. Abulfar. *Chron. Syr.* p. 174. verſ. 177.

(13) Chalifae Abbaſidae, qui olim pro arbitrio imperium Saracenicum rexerant, ſenſim omnem potentiam amiſerunt: primum post caedem Motawakkeli Chalifae A. 861. (H. 247.) per omnia grasſante ſatellitum Turcarum licentia. Abulf. T. II. p. 204, 206, 210, 212, 216, 224, 232. Elmac. p. 150. ſq. 154, 156. ſq. 159. ſq. 162. ſq. Abulfar. H. D. p. 261. ſq. p. 267. ſqq. *Arab. Chron. Syr.* p. 167. ſqq. verſ. p. 170. ſq. Mox rebellantibus deficientibusque provinciis, eo res rediit, ut Radhio Abbaſidarum vigeſimo A. 940. (H. 329.) defuncto, nihil fere praeter Bagdadum relictum esſet. Abulf. T. II. p. 398. Elmac. p. 203. ſq. Hinc in ſolis rebus divinis Chalifarum valuit auctoritas. Nam ab A. 945. (H. 334.) ad A. 1055. (H. 447.) Sultani Bouidae, expulſis Turcis, ſummam rerum et ipſam regni ſedem obtinuerunt. Abulf. T. II. p. 436. T. III. p. 146. Elmac. p. 216. ſq. 271. Abulfar. H. D. p. 309, 311. *Arab. Chron. Syr.* p. 244. ſqq. verſ. 250. ſqq. Hos exceperunt Selgjucidae, quorum legibus et imperio Chalifae paruerunt ad A. 1152. (H. 547.), quo tempore Moctaſi Beemrillah, post mortem Maſudi Sultani, ſplendoris nonnihil et potentiae Chalifarum dignitati reſtituit. cf. Herb. v. *Khalifah* et *Moctafi.* Item in *Atrak*, *Emir*, *Radhi* et alibi paſſim.

(14) Turcae Selgjucidae a Selgjuko, ſtirpis auctore, ſic dicti, ſeculo undecimo potentisſimum imperium in Aſia condiderunt. Secundum Abulf. T. III. p. 102. A. 1040. (H. 432.) at Elmacino teſte p. 267. biennio prius in Perſia inclareſcere coeperunt. Abulfar. in *Hist. Dyn.* p 337. *Arab.* eorum initia ponit A. 1029. (H. 420.); in *Chron. Syr.* p. 229. ſqq. (234. ſqq.) anno demum 1035. (H. 427.) Univerſum Orientem rexerunt ad A. 1194. (H. 590.) Abulf. T. IV. p. 148. Abulfar. in *Chron. Syr.* p. 428 verſ. 437. Herb. v. *Selgjukian Iran.* In Caramania ex eadem gente principes imperitarunt ab A.

Digitized by Google

1041. (H. 433.) ad A. 1187. (H. 583.) Herb. v. *Selgjukian Kerman.* In Asia Minore, ubi tertia eorum dynastia sedem fixit, quo anno regni fundamenta posuerint, dubium est. Cf. *Disputatio de origine Imperii Selgjucidarum in Asia Minore*, ad calcem Wilkenii T. I. *Geschichte der Kreuzz.* p. 6. sqq. qui probabiliter illius initia posuit A. 1073. (H. 476). Duravit Sultanorum successio ad A. 1308. (H. 708.) sec. Abulf. T. V. p. 68.; ad A. 1300. (H. 700.) sec. Herb. v. *Selgjukian Roum.* Vide eundem in v. *Selgjuki.*

(15) De Sultanorum Turcicorum errore, provincias urbesque devictarum regionum, inter principes tribusque expeditionum socias dividentium, eoque discordiis et rebellionibus occasionem praebentium, digna sunt, quae legantur verba Wilkenii l. l. T. I. B. I. C. XI. p. 272. Cf. praeterea excerpta Kemaleddini ad calcem T. II. eiusdem operis p. 27.

(16) Fathimidae sic dicti, quod stirpis auctores Alin et Fathimam prophetae filiam iactabant, in Africae litoribus regnare coeperunt, circa A. 908. (H. 296.) Abulf. T. II. p. 308. sqq. aut 910. (298.) Eutych. T. II. p. 502. Elmac. p. 187. cf. Herb. v. *Fathimiah* et *Obeidallah.* Aegyptum occuparunt A. 971 exeunte (H. 362.) Abulf. T. II. p. 512. Abulfar. H. D. p. 314. sq. *Arab.* Elmac. p. 227. Herb. v. *Fathimiah*, qui tamen paullo diversa tradit in v. *Moëz ledinillah.* Eodem tempore, reiectis Abbasidis, Chalifatus titulum usurparunt Fathimidae, eumque obtinuerunt ad A. 1170. (H. 567.), cum, iussu Saladini, Abbasidarum auctoritas in Aegypto restituta est. Abulf. T. III. p. 632. sqq. *Exc. Schult.* p. 12. sq. Bohadd. V. S. p. 38. Abulfar. H. D. p. 404. sq. *Arab. Chron. Syr.* p. 369. (376.) Herb. v. *Adhedledinillah*, *Fathimiah*, *Mostadhi*, *Noureddin*, *Salaheddin.* Mirum igitur non est, Selgjucidas, Syriae principes, Abbasidarum asseclas, cum Fathimidis, Chalifarum nomen falso sibi vindicantibus, perpetuas fere inimicitias exercuisse.

(17) Unum e multis exemplum commemorasse sufficiat. Cum princeps Mausalae Kawameddaulah Kerboga, multis aliis regulis comitantibus, cruce signatos, magna inopia laborantes, Antiochiae moenibus clausos teneret, ad extremum obsessi, in desperationem versi, urbe deserta, haud ita magna manu, ingentes fugarunt hostium copias. Cf. Wilken. *Gesch. der Kreuzz.* T. I. B. I. C. VII. p. 197. C. VIII. p. 204—225. ibique auctt. l. l. Hanc inexspectatam victoriam acceptam referebant, cum S. S. Georgii, Demetrii et Mauritii auxilio, quos in pugna sibi apparuisse fabulabantur; tum divinis hastae sacrae virtutibus, in urbe Antiochia a se inventae, qua Servatoris latus olim transfixum esse fama ferebat. Ibid. p. 213. sqq. p. 223. Atqui veram caussam in Turcarum discordiis quaerendam esse, abunde testantur Abulf. T. III. p. 316. et Kemaleddinus in Excerptis ad calcem Wilkenii T. II. p. 40. sqq.

(18) De Saladino, nobilissimo Principe, satius est nihil quam pauca dicere. De eius vita, ingenio, moribus, praeter Bohaddinum legendus est Abulfeda in *Exc. Schultens.* coll. A. M. T. III. p. 578. et passim ad T. IV. p. 142. Abulfar. H. D. p. 399—421. *Arab. Chron. Syr.* p. 341. (348.) p. 356. (363.) ad 425. (434.) passim. Herb. v. *Ajub ben Schadhi*, *Ajubiah*, *Adhedledinillah*, *Salaheddin*, *Schirgouieh.* De prima caussa et origine fortunae gentis Saladinicae, vide Abulf. T. III. p. 446. sq. p. 616. sq.

Digitized by Google

(19) Al-Malek al-Adel Noureddin Mahmoud, hostis Francorum infestissimus, filius erat Emadeddini Zenghii, Mesopotamiae Syriaeque principis; de quo omnino legendus est Wilken. *Gesch. der Kreuzz.* T. II. B. II. C. XXVII. p. 575—587. cf. et C. XXIX, XXX, XXXI passim et XXXV totum, ibique auctt. II. et in Addendis p. 49. sqq. Occiso patre A. C. 1146. (H. 541.) Wilken. l. l. p. 730. Halebum occupavit. Hinc adversus Francos plerumque feliciter pugnavit, et magna Mesopotamiae Syriaeque parte et Aegypto denique potitus, mortuus est Damasci A. C. 1173. (H. 569.) cf. Abulf. T. III. p. 500. ad finem et T. IV. p. 1—15. passim. *Exc. Schult.* p. 2—18. Bohadd. V. S. p. 30—40. Abulfar. H. D. p. 388. sqq. p. 398—406. *Arab. Chron. Syr.* p. 331. (338.) ad 373. (380.) passim. Herb. v. *Noureddin*, *Zenghi*, *Emadeddin*; ubi male Acsoncorum, Emadeddini patrem, Halebi dominum, A. 1085. (H. 478.) ad 1094. (487.) Abulf. T. III. p. 265, 286—294. Elmac. p. 290. Wilken. l. l. T. II. B. II. C. XXVII. p. 537. sqq. confudit cum Acsoncoro Borsakio Mausalae Principe, A. 1114. (508.) — 1126. (520.) Abulf. T. III. p. 382, 388, 392, 410, 418, 424. Wilkenius l. l. C. XX et XXV. qui p. 578. n. 10 illos bene distinxit. Idem recte factum est in *Biogr. Univ.* T. I. p. 165, quam vide sis in v. *Aboul-cacem* p. 88. sq.

(20) Vitam Saladini e latebris Bibliothecae Leydensis protractam, et a se cum excerptis Abulfedae et Emadeddini et Indice Geographico Arabice et Latine editam, L. B. 1732. (1755.) f. Alb. Schultensius probabiliter vindicavit Bohaddino ibn Scheddad, de quo viro multa subtiliter et ingeniose in praefatione disputavit, cumque Mausalensem et summum religionis antistitem in aula Saladini fuisse suspicatus est. Uberiorem notitiam Bohaddini ex Ibn Chalicani fontibus derivatam; (cf. Index Tydemanni n. 852.) debemus Viro Celeb. S. de Sacy in *Biogr. Univ.* T. IV. p. 666. sq. Hinc praeter alia multa discimus Bohaddinum, cuius verum nomen erat Aboul-Mahasen Iousef, natum esse Mausalae A. C. 1145. (H. 539.), mortuum Halebi A. C. 1235. (H. 632.) Pater eius fuit Rafia ibn Temim, sed cum a filiis Scheddadi gentilibus suis educatus esset, apud Orientales vulgo Ibn Scheddad vocatur (cf. et Herb. v. *Tarikh Scham.*), Corano, iurisprudentiae traditionibus et dialecticae diligenter studuit, et Mausalae publice docuit inde ab A. 1173. vel 1174. (H. 569.) ad A. 1187. (H. 583); quo tempore in familiaritatem venit Saladini. Eiusdem beneficio haud ita multo post Cadhi-l-esker et Cadhi Hierosolymorum factus est. Morienti affuit Sultano, et liberis principis, in dandis recipiendisque iuramentis, quibus se invicem obstrinxerunt, operam praestitit. E Saladini filiis nemini carior fuit quam Maleko al-Dhahero, a quo iudex Halebi creatus est. In ea aula reliquum vitae tempus exegit, et studia diu intermissa apud Halebenses restituit. Nam annuum stipendium (quod centum drachmarum millia superasse fertur. cf. Abulf. T. IV. p. 408.) maximam partem collegio condendo impendit, traditionibus docendis destinato. Hic ipse inter caeteros professores discipulos instituebat. Ibn Chalicano eiusque fratre, quos diu erudiverat, familiarissime utebatur, nec non Emadeddino Ispahanensi, rerum a Saladino gestarum auctore celeberrimo. His a Saceio prolatis adde Abulf. T. IV. p. 246 et 408. et auctt. ll. a Schnurrero *Bibl. Arab.* p. 148, qui tamen, ut mihi quidem videtur, paullo post in Bohaddino nostro graviter lapsus est. Nam p. 199. sq. referens de editione carminis mystici al-Bordae, sive Panegyrici in laudem Mohammedis, aetatem libri posuit seculo tertio decimo; nixus testimonio auctoris in praefatione narrantis, Bohaddinum, Vezirum Al-Maleki al-Dhaheri, carmen suum modo ortum transscribi curasse, et magna veneratione prosecutum esse. „Regnavit autem Al-Malek al-Dhaher (sunt verba Schnurreri) ab A. H. 658. usque ad A. H. 676. h. e. ab A. C.

Digitized by Google

1259. ad 1277." Haec igitur explicanda censebat Vir Doct. de al-Maleko al- Dhahero Rocneddino Bibars, Sultano Aegyptio. Sed cum nullus Bohaddinus eo tempore exstitisse memoretur, hic potius cogitandum existimem de Al-Maleko al-Dhahero Gaiatheddino Gazi, Saladini filio, et Halebi principe A. C. 1193. (H. 589.) — A. C. 1216. (H. 613.) Abulf. T. IV. p. 140 et 258. apud quem Bohaddinum nostrum magno in honore fuisse supra vidimus.

(21) Magna pars Bohaddini p. 98 — 181 consumitur in describenda obsidione Ptolemaidis per biennium extractae A. C. 1189. (H. 585.) ad 1191. (587.) quo temporis spatio Saladinus, cum universis copiis Richardi et Philippi regum, ad urbis moenia assidue conflixit.

(22) Aboul Hassan Ali, vulgo dictus Ibn al-Athir al Gezeri, natus est A. C. 1160. (H. 555.) in urbe Gezirat Abdalaziz ben Omar (de qua vide Herb. in v. et Abulf. T. IV. p. 398.) mortuus Mausalae A. C. 1232. (H. 630.) cf. Abulf. l l. (qui plura scitu digna de hoc auctore prodidit,) *Index Vitarum Ibn Chalicani* n. 471. Herb. v. *Athir* et *Gezeri*. Pocock. *Spec. Hist. Arab.* p. 370. S. Ockley *Hist. Sarac.* T. II. p. 400. Belg. vers. Inter opera eius eminet Historia universalis, ab orbe condito ad A. 1230. (H. 628.) titulo *Kamel al-Thawarich* s. *Tarich al-Kamel* i. e. *perfectio Chronicorum*, sive *perfectum Chronicon*. cf. Herb. in v. ubi errore typographico, ut videtur, ea tredecim voluminibus contineri dicitur; nam tria sunt et viginti, teste Abulfeda, in praefatione Adleri ad Annales Moslemicos, in quibus auctor Chronicon Ibn al-Athiri maximam partem in compendium redegit, inde ab A. C. 743. (H. 126.) T. I. p. 458 ad A. 1230. (H. 628.) T. IV. p. 390. Praeter scripta eius ibidem memorata, p. 400. librum reliquit inscriptum, *Daulat al-Atabekian*, sive *historiam regni Atabekorum principum*. cf. Herb. v. *Atabekian Laristan*, *Athir* et *Tarich ibn Athir*, ubi male hic liber cum longe diverso eiusdem auctoris opere confunditur. Ex historia Atabekorum egregia excerpta leguntur in *Notices et extraits des Manuscrits de la bibliotheque du Roi.* T. I. p. 542 sqq. Caeterum Ibn al-Athir duos fratres habuit, nobilissimos scriptores, eodemque cognomine insignes. Alter fuit Aboulsadaat al-mobarek Magjdeddin. Herb. v. *Athir* Pocock. *Spec. Hist. Arab.* p. 367. Abulf. T. IV. 240. ibique n. 166. *Index Ibn Chalic.* n. 562. Alter Aboulfatah Nasrallah Daiaeddin. ibid. n. 772. ubi hunc omissum esse ab Herbelotio merito miratur Doct. B. F. Tydeman. Nam ex Abulf. T. IV. p. 142. *Exc. Schultens.* p. 63. discimus illum non solum libri proverbiorum auctorem fuisse, sed etiam Vezirum Al-Maleki al-Afdali, filiorum Saladini natu maximi, factum esse A. C. 1193. (H. 589.); unde simul apparet eius natales in codice Palmiano Ibn Chalicani male referri ad A. 1182. (H. 578.)

(23) Mohammed ibn Emir Khowandschah, vulgo per compendium dictus Mirkhond, scriptor Persarum nobilissimus, tempore Sultani Aboulgazi Houssain Mirza Behadurkhan, abnepotis Timuri seu Tamerlani, A. C. 1470. (H. 875.) — 1505. (901.) in gratiam Emiri Ali Schir historiam composuit, a rerum primordiis ad sua tempora perductam. Opus in introductionem, 7 libros et Appendicem distinguitur, et titulum habet *Rouzat al-safa fi sirat al-Anbia wal-Molouk wal-Kholafa*, i. e. *hortus puritatis in historia Prophetarum Regum et Chalifarum.* cf. Herb. in v. *Ali Schir*, *Houssain*, *Mirza Khavendschah*, *Mircond*, *Raoudhat al-Safa*, et imprimis in *Khelassat al-akhbar* et *Khondemir*, ubi Mirkhondum, et eius filium Khondemirum, paterni operis epitomatorem, (quos recte distinxit v. *Tarikh Mirkhouand*,) inter se confudit. Hunc errorem ex Hadji Khalfa correxit cel. Silv. de Sacy in

Digitized by Google

Notice sur Mirkhond et sur l'Emir Ali Shir, praemissa Historiae Sasſanidarum e Mirkhondo excerptae, et Gallice cum nonnullis disſertationibus editae. Paris 1793. 4to.

(24) De vita ſcriptisque Ibn Chalicani disputandi nobis otium fecit Viri Doct. B. F. Tydemanni diligentia in disſertatione iam aliquoties laudata. Hoc unum enotasſe ſufficiat, verum nomen auctoris esſe Ahmed ibn Mohammed Schemſeddin, eumque natum Arbelae A. C. 1211. (H. 608.), defunctum Damaſci A. 1282. (H. 681.) (cf. Tydemanni disſert. p. 59. n. 5. et p. 65. coll. Abulf. T. V. p. 64.), imprimis inclaruisſe Vitarum opere celeberrimo, quod *Wafiat al-Angjan*, ſeu *Virorum illuſtrium mortes* inſcripſit.

(25) Abou Abdallah Mohammed Ibn Omar al-Wakidi, ex Abulfedae ſententia T. III. p. 142. mortuus est A. C. 822. (H. 207.) aetatis 78. Bagdadi, ubi iudicis munus a Chalifa Al-Mamuno, fautore ſuo, acceperat. Praeter historiam, cum Syriae, tum Aegypti, a Moslemis occupatae; rebellionem Arabum post mortem Mohammedis, et bella adverſus Toleiham, Aswadum, et Moſcilemam, Pſeudoprophetas geſta, (cf. Abulf. T. I. p. 186. 198. ſqq. 210. ſq. Abulfar. H. D. p. 164, 173. *Arab.* Elmac. p. 9 et 16.) literis perſecutus est. Vita eius in Indice Ibn Chalicani memoratur n. 655. et excerpta est a Simone Ocklejo ad calcem *Hist. Sarac.* T. II. p. 398. vers. Belg. Opus Ockleji quo primum anno Anglice prodierit, neſcio. Tertia editio vulgata est Cantabrig. 1757. Belgica verſio edita est Amſtelod. 1741. 2 voll. 8vo. Primum Volumen totum fere excerptum est ex al-Wakidii libro *Fotouhat al-Scham*, ſive *Expugnatione Syriae*; de quo iniquius, quam par erat, iudicasſe videtur Reiskius ad Abulf. T. III. p. 142. n. 129. Caeterum apud Herbelotium v. *Vakedi* et *Fotouhat al-Scham*, priore loco dicitur Abou Casſem Ali ben Hasſan ben Khalaf al-Vakedi. (cf. item v. *Fotouhat Meſr*), poſteriore Ioſef ben Abdallah Al-Meheli al-Vakedi. Denique de al-Wakidio idem legendus est in v. *Fath al-Scham* et *Haſchemioun*, coll. Wilkenio *Chrestom. Pers.* p. 117. ſqq. (p. 8. ſqq. vers.)

(26) In catalogo operum ineditorum La Crucii (Petit de la Croix), ad calcem praefationis Vitae Timuri p. XXXVI. commemoratur etiam Gallica verſio al-Wakidii.

(27) De Theophano Iſauro, qui res geſtas ab A. C. 285. (Diocletiani I.) ad A. 813. (Leonis Armenii I.) Chronico ſuo complexus est, vide Voſſ. de H. G. l. II. c. 24. p. m. 146. Fabr. B. G. L V. c. 4. T. VI. p. 151. ſqq. (l. V. c. 1. T. VII. p. 459. Harles.)

(28) Conſtantinopolis ſeculo ſeptimo et octavo, iteratis vicibus a Moslemis obſesſa est: primum A. 668. (H. 48.) ſub Chaliſatu Moawiae, duce Sofjano, filio Auſi, Abulf. T. I. p. 368; et ſane Σοφιὰν ὁ υἱὸς τοῦ Ἀὺφ, hoc in negotio etiam a Graecis memoratur, Theophane p. 294. et eius exſcriptore Cedreno T. I. p. 437. Elmacinus autem p. 48. eumque ſecutus Herb. v. *Costhanthinah*, ducem belli produnt Jezidum Chaliſae filium, annum 672. (52.) Haec obſidio, per ſeptem annos continuos vere repetita, hyeme intermisſa est. cff. praeter Theophanem et Cedrenum, Niceph. Patriarcha in *Brev. Hist.* p. 21. ſq. Zonaras T. II. l. XIV. p. 89. ſq. Ea in expeditione deceſſit Chaled ben Said ben Cotaib vulgo dictus Abou Ajoub Abulf. ibid. n. 145. Elmac. l. l. Fuerat inter ſocios Mohammedis, nec tamen ultimus eorum interiisſe videtur, ut teſtatur Herb. l. l. Eius ſepulcrum ſub ipſis urbis moenibus hodieque conſpicitur. Ibid. v. *Moaviah ben Abou Sofjan*. — Anno autem 716 et 717. (H.

Digitized by Google

98 et 99.) Solaiman ibn Abdalmalek, ſeptimus Ommiadarum Chalifa, fratrem ſuum Moslemah ad oppugnandam Conſtantinopolim miſit cum 120000 militum, qui cum per 30. menſes ibi conſedisſet, tandem a Leone Iſauro Imp. infecta re diſcedere coactus est. Sic Abulfar. H. D. p. 202. ſq. *Arab.* Vide et *Chron. Syr.* p. 121. ſq. (122. ſq.) Abulf. T. I. p. 434. ſq. Elmac. p. 74. Herb. v. *Coſthanthinah* et *Soliman ben Abdalmalek.* Adde Theophanem p. 331—334. Cedrenum T. I. p. 451. Zonaram, T. II. L. XV. p. 101. Niceph. in *Brev. Hist.* p. 34. et in *Chronol. Comp.* p. 403. Paullum Diaconum *de Geſt. Longob.* l. VI. c. 47.; quibus de obſidionis diuturnitate non omnino cum Abulfaragio convenit. Tertia denique vice, imperante patre Mohdio, quaſi CPolin obſesſurus, ad Bosporum Thracium acceſſit Haroun al Raſchid. A. 781. (H. 165.) ſed mox, Irenes donis placatus, bellum compoſuit. cf. Elmac. p. 106. Abulf. T. II. p. 86. Abulfar. H. D. p. 226. ſq. *Arab.* qui tamen in *Chron. Syr.* p. 133. (135.) rem aliter narrat, et ad annum Graecorum 1094. Chr. 783. refert. Herbelotius autem ponit A. C. 780. (H. 164.) v. *Coſthanthinah* cf. etiam Zonoras. T. II. l. XV. p. 115.

(29) Chaled ibn al-Walid ibn Mogairah (de cuius patre vid. Abulf. T. I. p. 34. ibique n. 20.) primo Mohammedem gravi clade affecit in proelio Ohodenſi, Abulf. T. I. p. 92. ſq. A. C. 624. (H. 3.) mox ad eius partes transgresſus, A. C. 629. (H. 8.) Propheta duce Meccam expugnavit ibid. p. 150., aliasque res eiusdem auſpiciis praeclare geſſit p. 142 n. 57 et 58. p. 156 et 174. Defuncto Mohammede, Arabes rebelles domuit Abulfar. H. D. p. 173. *Arab.*, Toleiham, (Elmac. p. 16.) et Moſeilemam Pſeudoprophetas delevit, et Malekum Jarbuitarum Arabum Principem, parere recuſantem, interfecit. Abulfar. et Elmac. ibid. et Abulf. T. I. p. 212. ſqq. Paulo post Hira aliisque oppidis in deditionem acceptis, iuſſu Abu Becri Chalifae in Syriam tranſiit. Abulfar. l. l. Elmac. p. 17. ſq. Eutych. T. II. p. 256 et 258. Hic potisſimum incredibilis eius virtus et fortitudo inclaruit. Nam cum Abou Obeidah aliisque ducibus, totam Syriam, fuſis fugatisque Graecis, facili negotio perdomuit. cf. Ockley. *Hist. Sarac.* T. I. pasſim. Abulf. l. l. p. 220, 221. n. 88. p. 226. Elmac. p. 21. ſq. Eutych. T. II. p. 272. ſq. Nomen *Gladii Divini*, a popularibus ipſi tributum (cf. Herb. v. *Saifallah* et *Khaled ben Valid* coll. Abulf. ll. p. 218.), etiam Graecis innotuit, teste Theophane p. 278. f. Obiit A. 641. (H. 21.) cf. Abulf. ll. p. 248. ibique n. 105. Elmac. p. 25. Ockley p. 333. Belg. vers.

(30) Derar ibn al-Azwar, cum Caulah ſorore, fortisſima viragine, bello Syriaco interfuit. Vide Ockley. T. I. p. 64 et 65. Belg. vers. Huius viri, ſi locum Abulfedae T. I. p. 214. excipias, in editis Arabum historicis, nulla aut perrara mentio est. Uberiorem eius notitiam debemus Al-Wakidio, cf. Ockley T. I. pasſim, et imprimis p. 58. ſqq. 80, 120, 161, 206, 219, 229, 288 et 294.

(31) Abou Obeidah Amer ibn Abdallah ibn al-Gjarrah Fahrita, perperam confunditur ab Herbelotio, v. *Abou Obeidah*, cum eius aequali Abou Obeidah ibn Maſoud Takafita, qui in Meſopotamia contra Perſas pugnans occiſus est. cf. Abulfar. H. D. p. 175. *Arab.* Elmac. p. 21. Reisk. ad Abulf. T. I. n. 94. Noster in Ohodenſi pugna A. 624. (H. 3.) a Mohammedis partibus ſtetit. Abulf. T. I. p. 94. In Syriam misſus ab Abu Becro A. 634. (H. 13.) cum ſegnius rem gerere videretur, Chaledo ſummam imperii tradere coactus est. Ab Omaro tamen Chalifa in priſtinam dignitatem reſtitutus, cum eodem Chaledo aliisque legatis, totam Syriam Moslemorum imperio ſubiecit. cf. Ockley H. S. T. I. p. 30. 149. et pasſim. Abulf. T. I. p. 220, 222. ſqq. Abulfar. H. D. p. 174 et 178. *Arab.* Elmac. p. 17, 21.

Digitized by Google

fqq. Eutych. T. II. p. 258, 276. fqq. 282, 294. fq. Fides et humanitas eius maxime apparuerunt in deditione Damafci. cf. Ockley p. 163. unde corrigendus error Eutychii p. 276. fqq. Peste obiit in Syria A. 639. (H. 18). Ockley. p. 332. Abulf. T. I. p. 244. Elmac. p. 24.

(32) Amrou ibn al-Aas, Sahmita, cum Chaledo aliisque Coraifchitis ad Prophetae partes tranfiit A. 629. (H. 8.) Abulf. T. I. p. 142. Ab Abu Becro in Syriam miffus A. 634. (H. 13.) ibi multa praeclare egit. Ockley. T. I. p. 29, 326, 331. Elmac. p. 17, 19. fq. 22. Eutych. T. II. p. 258—282. paffim, qui eum aliquando fummae rerum in bello Syriaco praefuiffe perperam affirmat. Mox A. 639—641. (H. 18—20.) Aegyptum fubegit, et, provincia egregie ordinata, in Libyam progreffus, Barcam et Tripolin cepit A. 643. (H. 22.) Sed haud ita multo post praefectura remotus est. A. 645. (H. 25.) Eutych. T. II. p. 296, 298—320. 338. Elmac. p. 29. fq. 32. Abulf. T. I. p. 244. fq. 248, 260. Abulfar. p. 178, 180 fq. 183. *Arab.* Ockley. T. I. p. 323—350. et 361. fq. In bello civili inter Alin et Moawiam huius partes tenuit, cui cum dolis fuis viam ad Chalifatum munivisfet, eius beneficii gratia, praefecturam Aegypti, quam in Moawiae verba adegerat, in perpetuum accepit, in eaque decesfit A. 663. (H. 43.) Cf. imprimis Abulf. T. I. p. 314—328, 354. fq. Abulfar. H. D. p. 189. fq. 193. *Arab.* Ockley T. II. p. 49, 102, 103, 131. Adde Herb. v. *Amrou ben al As*, *Ali*, *Efcanderiah*, *Fosthath*, *Mesr*, *Moaviah*, *Omar* et *Othman*.

(33) De Omaro omnia nota. Virtutes eius fummis laudibus effert Abulf. T. I. p. 250. fq. Adde Elmac. p. 26. Abulfar in *Chron. Syr.* p. 108. Herb. in v. *Omar ben al-Khetab.* Ockley T. I. p. 352. Modeftiam, fidem, humanitatem, cum in univerfo principatu teftatas fecit, tum vel maxime in deditione Hierofolymarum, qua de re omnino vide Eutych. p. 285. fq. Elmac. p. 28. Abulfar. ll. Ockley T. I. p. 248. 255.

(34) Abou Hafz Omar Kemaleddin, vulgo dictus Ibn al-Adim Halebenfis, avum habuit Abulfadhlum Hebath allah, proavum, iudicem Halebi Aboulganem Mohammed Hebath allah ibn Abou Gjerradah, qui A. 1124. (518.) legatione functus Aefoncorum, Maufalae dominum, excitavit, ut Halebenfes a Balduino II. Francorum rege obfesfos liberaret. cf. Wilken. *Gefch. der Kreuzz.* T. II. B. II. C. XXV. p. 520 fq. Vide eundem in praef. voluminis p. VIII. ubi auctor Ahmedis filius fuisfe dicitur. At Abulfeda, qui T. IV. p. 636. verfus haud ineleganres Kemaleddini in medium protulit, patrem Abdalazizum prodit, confentiente Herbelotio in v. *Adim* et *Tarich al-Halab*, licet in v. *Cadim* eundem Abou Hararat appellet. Ex his locis, inter fe collatis, apparet, verum patris nomen fuisfe Abou Hararat Ahmed Abdalaziz. Kemaleddinus ipfe, ultimus fectae Hanifiticae antistes, magno in honore fuit apud Al-Malekum al-Naferum Joufef, Damafci Sultanum, et A. 1259. (H. 658.) metu Tartarorum Syriam invadentium in Aegytum tranfiit. Mox Halebum redisfe ibique decesfisfe videtur A. 1261. (H. 660.) Urbis patriae historiam ex maiore Chronico excerptam in decem volumina redegit, eamque ad extrema vitae fuae tempora produxit: nam oppidi Halebenfis a Tataris capti A. 1259. (H. 658.) excidium defcripferat. Operi titulum fecit *Bogjat al-thaleb fi tarich al-Haleb* i. e. *defiderium inquirentis in historiam Halebi*; eique appendicem adiunxit, nomine *Zobdat al-halab* i. e. *cremor lactis* cf. Herb. ll. ll. item in *Haleb* et *Zobdat al-Halab*. Eius erroribus non immorabimur, iam correctis a Reiskio ad Abulf. l. l. n. 428., quem omnino confer. Ex Kema-

Digitized by Google

leddini libro usque ad A. 1173. (H. 569.) excerpta fecit Cel. S. de Sacy, eaque Gallice conversa communicavit cum Wilkenio, quem vide in praefat. ad *historiam belli sacri* T. II. ll. ubi pauca quaedam de auctore disputans, Herbelotii et Abulfedae immemor fuisse videtur.

(35) *C'est ici une des meilleures histoires particulieres composées par les Musulmans; et nous ne craignons pas d'assurer, que parmi les historiens Orientaux, Kémaleddin est un de ceux qui meritent le plus de voir le jour.* Verba sunt Saceii in *Notice des Manuscrits laissés par Dom Berthereau, religieux Benedictin de la Congregation de St. Maur.* (Vide *Magas. Encyclop.* A. 1799. p. 13.)

(36) In appendice T. II. operis sui Wilkenius ex Kemaleddino brevem sed insignem delineationem dedit eorum, quae a Syriae principibus, cum inter se, tum adversus cruce signatos Hierosolymas petentes, gesta sunt p. 27—45. At maiorem etiam lucem Francorum historia, ab expugnatis inde Hierosolymis, usque ad alteram sacram expeditionem, ab illo auctore mutuata est. Vide *Gesch. der Kreuzz.* T. II. B. II. C. VII. XV—XVII, XX, XXII. sq. XXV, XXVII—XXXII. XXXV. Adde Append. p. 49. sqq.

(37) Schehabeddin Ahmed ibn Abdalwahab al-Nowairi, Abulfedae aequalis, A. 1331. vel 1332. (H. 732, 733.) decessit. Auctor est celeberrimus Encyclopaediae, quam dedicavit Aegypti Sultano, Al-Maleko al-Nasero Mohammedi ibn Kalaoun, mortuo A. 1341. (H. 741.) (de quo vide Abulf. T. V. p. 116. et passim ad finem libri; Pocock in *Supplem. Abulfar.* p. 12. sq. Herb. v. *Nasser ben Calaoun*, *Bibars*, *Lagin*, *Ketboga.*) Secundum Herbelotium v. *Nouairi*, opus in Cod. Paris. decem voluminibus absolvitur; sed Adlero teste in praefatione ad Abulf. p. XII. liber Nowairii ultra viginti volumina complectitur. Titulus, quem in oratione Latine interpretati sumus, Arabice sonat *Nihaiat al-areb fi fonoun al-adeb.* cf. Herb. in v. item in ~~*Novairi et Tarikh Novairi.*~~

(38) Hispania, quam Othmano imperante A. 647. (H. 27.) Arabes iam incursionibus suis vexaverant (cf. Abulf. T. I. p. 262.), magna ex parte occupata est regnante Walido, sexto Ommiadarum Chalifa; (cf. tamen Herb. v. *Abdalmalek*) A. 711 vel 712. (H. 92 vel 93.) et sqq. ducibus Thareko ibn Ziad, Mousa ibn Nasser et eius filio Abdalazizo. Vide praeter Abulfedam T. I. p. 426. et Abulfar. H. D. p. 202. *Arab.* qui hanc rem verbulo tantum attigerunt; Elmacinum p. 74. *Biogr. univers.* T. I. v. *Abdelaziz* Herb. v. *Andalous*, *Tharek*, *Valid* et *Mousa ben Nassir*, ubi perperam observas Abdalazizum, praefectum Aegypti, iussu Walidi Chalifae huic Mousae Africam regendam commisisse A. 708. (H. 89.) Nam Abdalaziz ille, Merwani filius, iam obierat sub Chalifatu fratris Abdalmaleki A. 704. (H. 85.) Abulf. T. I. p. 424. vel 705., (H. 86.) Eutych. T. II. p. 370. Elmac. p. 66 et 68. sq. Adde Abulfar. *Chron. Syr.* p. 118. (119. vers.) Caeterum Hispania praefectis Chalifarum paruit usque ad A. 755 vel 756. (H. 138 vel 139.), quo tempore Abdorrahman ibn Moawiah ibn Haschem, cognomine Abou Mothref al-Safar, qui cum paucis cladi familiae Ommiadarum, ab Abbasidis deletae, supererat, in Occidentem transiit, Hispaniamque, profligata adversa factione, sibi gentique suae cum Chalifatus titulo vindicavit. Hic Cordubam, ubi sedem regni fixerat, egregie munivit, et fani illius celeberrimi, quod hodieque peregrinatoribus admirationi est, fundamenta posuit. Regnum, quod ipse constituerat, sub eius successoribus, artium disciplinarumque laude diu

Digitized by Google

floruit, et oppidum Cordubae, quoad in Moslemorum fuit potestate, eruditissimorum hominum studiis et concursu celebratum est. cf. Abulf. T. I. p. 456. T. II. 10, 24, 60. T. III. p. 250. f. Elmac. p. 101. ubi Codicis vitio nomen Abdorrahmani omissum est. Adde *Biogr. Univ.* T. I. p. 60. v. *Abdorrame* Herb. v. *Abdalrahman*, *Andalous*, *Corthobah*, *Corthobi*, *Khalifah*, *Ommiah* et *Mansor*. p. 553. a., cuius loci errores correxit Reiskius ad Abulf. T. II. n. 63. Vide praeterea auctt. ll. a Beckio *Anleit. zur Kentn. der allgem. Welt- und Völker-Gesch.* T. II. p. 527, 659, 662. sq.

(39) Haec scribenti obversabantur verba Ciceronis *de Amic.* C. I. *Meministi enim profecto, Attice, — quanta hominum esset vel admiratio vel querela.*

(40) Cf. Herb. v. *Andalous*, *Ommiah* et alibi. Cardonne *Mélanges de litterature Orientale* T. I. p. 210. alii.

Digitized by Google

Digitized by Google

GABINI DE WAL

ORATIO,

QUA INQUIRITUR:

AN TURBATAE REIPUBLICAE ET OPPRESSAE LIBERTATIS, QUAE VIXIMUS, TEMPORA, IURI ET IUSTITIAE PROFUERINT.

PUBLICE DICTA

FRANEQUERAE,

die xxx Ianuarii MDCCCXVI,

CUM ORDINARIAM IURISPRUDENTIAE PROFESSIONEM, IN ATHENAEO FRISIACO, SOLENNI RITU AUSPICARETUR.

Digitized by Google

Digitized by Google

ATHENAEI FRISIACI CURATORES, VIRI NOBILISSIMI!

MAGNIFICE RECTOR!

PROFESSOR HONORARIE, CAETERIQUE DOCTRINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

QUI A MUNERUM SPLENDORE ET ERUDITIONIS LAUDE, SIVE IN HAC URBE MUSIS SACRATA; SIVE IN VICINA, MEIS MIHI CUNABULIS GRATISSIMA, SIVE IN ALIA NOSTRAE REGIONIS PARTE, NOMEN HABETIS, VIRI HONORATISSIMI!

SACRORUM ANTISTITES, ARTIUM MAGISTRI, DISCIPLINARUM DOCTORES, VIRI FACUNDISSIMI, ERUDITISSIMI!

OMNIS ORDINIS, AETATIS ET LOCI, AUDITORES GRATISSIMI!

VOS DENIQUE, PRAESTANTISSIMI IUVENES, QUI EXPLENDAE LITERARUM CUPIDITATIS GRATIA, AD INSTAURATAM DOCTRINAE SEDEM VENISTIS, CARA PRAECEPTORIBUS, PARENTIBUS, PATRIAE CAPITA!

Quae homini et humano generi accidunt calamitates, triſtes illas ac perpeti difficiles, non raro fauſtos felicesque inſecutos eventus, agnoſcere compellimur, ut ſummi Numinis bona malis ſapienter miſcentis clementiam grato animo veneremur. Hoc nos docent, qui rerum in orbe naturam diligentius intuentur earumque cauſas inveſtigant philoſophi. Nec inutilem perſuadendi neceſsitatem abhibent. -- Cui enim terrorem non incutiunt ſtridentes procellae et immanes ventorum flatus? Cui animum non movent quaſsata navigia eiectique

Digitized by Google

in littora naufragi? Cui non imbribus, grandine geluque perdita seges? Cui non ab arboribus excussa, ante maturitatem, pomorum millia? Cui non tot fulmine tacta et conflagrata aedificia? -- At temere nequaquam haec omnia! Licet exitium nonnullis saeva tempestas attulerit, salutis tamen matrem pluribus vel omnibus exstitisse, fugatis ex aëre nebulis noxioque e terris anhelitu, philosophi praedicant. — Cui tam durum robur pectus obsidet, ut siccis oculis videat rupta aggerum molimina, fluctus ultra ripas exaestuantes, submersa in pratis pecora, suffocata in stabulis armenta, et aegre superstites orbatos opibus aedibusque colonos. At vero cogitet e limo obducto spissiores in posterum aristas surgere et naturam, laetiori messe e solo fertiliore provocata, pristinam agricolae fortunam quasi compensare. -- Cui mentem non attonitam tenent, quae de igneo flumine ex Aetnae Vesevique faucibus erupto, repentino ferventium undarum lapsu cuncta mergente, commemorantur? Mirabitur profecto montium accolas, tristis infortunii monitis semel edoctos, non alio migrare, nec tutiorem laribus sedem quaerere! Mirum vero illud non accideret, si deinde latius tumentes in vitibus uvas adspicere daretur et maiorem, quam antea, vindemiarum ubertatem, quae calamitatis nuper illatae immemores esse sinit!

Haec e natura rerum afferunt philosophi! Nec aliud est in iis, quae spectant ad hominum mores et ingenia. -- Erroribus ad veritatem via non raro aperitur, aliorum flagitia saepius a vitiis deterrent, deformiumque rerum fastidia augendo pulchri venustique sensui plerumque inserviunt.

Nec aliud humanae gentis annales evolventem Historia docebit. -- Ex iis, quae temere et inconsulto, quae iracundia vel superstitionis imbecillitate moti, insipienter aliquando homines moliebantur, e turbato rerum ordine, e stragibus et sanguine, multa nonnunquam utilia, pulchra, praeclaraque exorta sunt. -- Nemo hic dubius haerebit, qui vel in memoriam revocet extensum illud per ingentem orbis partem Arabum imperium, cuius ope Muhammedis de religione doctrina, vi et armis, latissime propagata. Hinc infausta quaevis generi suo homines ominati. Verum ipsa illa dominatio, artibus et disciplinis memoria custoditis et fideliter excultis, deinde ad mores emolliendos, ad lumina spargenda tenebrasque fugandas plurimum fecit. Illi scilicet debemus auctam huius orbis cognitionem, accuratiorem siderum stellarumque notitiam, amplificatum disciplinae salutaris, praesertim chemiae, studium, reviviscentem

Digitized by Google

poëticae suavitatis emortuum paene sensum. — Nemo hic dubius haerebit, qui vel in memoriam revocet bellum illud sacrum, uti dicitur, quod, praelato crucis signo, per plura saecula, dirum et immane gerebatur, quod ab animis superstitione conflictatis paratum, a temerariis susceptum, tanquam turbine omnia vertebat, innumeros Europae incolas morte mactabat, quodque neglectae terrarum culturae metum, nequaquam inanem, pluribus iniecerit. — At vero non ita Divina ratio. Illa, quod in mala sua homines moliebantur, vertit in salutem. Insanis enim expeditionibus illis debemus incensos ad bellicam virtutem animos, infracta, quae urbanos pariter ac agricolas tenebant, vincula, prima navigationis et mercaturae tunc temporis pericula, imo in ipso agrorum colendorum labore prosperiores successus, imprimis vero faciliorem ad artium et disciplinarum studium, ad meliora omnia, paratam viam.

Haec et plura eiusmodi mente volventi, gratissima semper res fuit visa, ad gentis humanae fata animum advertere et in commoda, ex adversis enata, inquirere. Illud enim abundanti perfundit animum voluptate et venerationem summo Numini praestandam insigniter auget. — Iam vero, si illa, quae per plura saecula hominum generi tristissima evenere, cum iis contendamus, quae exiguo annorum spatio tota fere pertulit Europa, in dubium fortasse vocaremus, an non nostra aetas, calamitatum et aerumnarum fecunditate, integra saecula superaverit. — Mirum certe est et incredibile dictu, utraque illa, quae vulgo remotissimis temporibus, perpessu asperrima, hominibus acciderint, nunc, insueta velocitate, per paucos annos esse insecuta, effraenam scilicet plebis dominationem et intolerandam hominis unius potentiam.

Transacti sunt anni, quod Deo Optimo Maximo acceptum referimus, transacti igitur anni, miseriis referti, aeternum memorabiles, nec unquam, sine ingenti dolore, in animum revocandi. Iucunda profecto solliciti temporis ducerentur oblivia, irrita vero illa et prorsus inutilia. Historiam tractanti semper erit diligenti contemplatione dignissima indagatio, an e factis caedibus, effuso sanguine, proiectis lacrymis, e cunctis, contra fas et iura, insolenter perpetratis, quidquam exiverit felix, faustum et salutare.

Nec est quod remotae tantum posteritati hanc perquirendi licentiam concedamus. Licet equidem non diffitear, illam, pleniores eventus expertam, subtilius indicaturam, non omne tamen arbitrium nobis denegandum videtur, quibus illud eo paratius est, quo ipsa facta nostris diebus propiori iungantur

Digitized by Google

vicinia. Nec morae interponendae neceſſitate adſtringimur; ſed ubi nimbi tranſiere, imbres intermiſſi, ſedatae procellae, omnia diligenter circumſpicienda, an ex iis, quae deiecta fuerint et devaſtata, meliora quaedam et praeclariora ſurrexerint.

Haec et talia animo obverſabantur de oratione cogitanti, qua munus iurisprudentiam in hoc Athenaeo docendi, Regia benevolentia mihi delatum, pro viribus ſuſciperem; haec me impulere ut publice inquirerem, *an turbatae Reipublicae et oppreſſae libertatis, quae viximus tempora, Iuri et Iustitiae profuerint.*

Veſtram, A. A.! indulgentiam implorare, non tantum ſuadet perpetua oratorum conſuetudo, ſed poſcit mea dicendi inſolentia tenuisque facultas, quam natura mihi largita est; poſtulat loci, qua moveor, dignitas, tot claris nominibus celebrata et ampliſſima eruditorum virorum concio; exigit argumenti amplitudo, ſumma tamen brevitate, quae mihimet ipſi amiciſſima est, pertractandi. Quo plura igitur ſunt, A. A.! quae verba coram vobis facientem perturbent, eo vos meliori mente audire oportebit.

Utraque illa tempora, quae modo memorabam, turbatae ſcilicet Reipublicae et oppreſſae libertatis, quod ad ingeniorum cultum et veritatis ſtudium, ſua natura, diverſis admodum notis diſtinguuntur. *Illa* animorum agitatione et motu nunquam vacua, et acriter pugnato de veritate certamine, frequenti cogitationum diverſitate, controverſiis et disſidiis quam pluribus, doctrina pariter et erroribus nobilia. *His* vero nulla eruditorum voce acuuntur ingenia, ad meliora nunquam evocantur, nulla, tyrannidis metu atque oppreſſionis timore, rumpuntur ſilentia, at muta quies, quae ſepulcrorum monimentis incubat, ubivis habitat. — Quae vero quantaque mala utraque illa attulerint, non est, quod meliora diffiteamur tardius inſecuta. E quaestionibus in civitate turbata habitis, e disputationibus inſtitutis, e legibus agitatis, tunc temporis parum utilitatis affertur. Animorum fervor et partium ambitio mentis ad omnia caecitatem gignunt. Dirum regnat innovandi ſtudium; criminationes audiuntur; ad vulgi iudicium cuncta formantur; aurae popularis arbitrio fumuntur fasces, ponuntur ſecures. Sedatis denique rumorum concionumque ventis, fugato tandem de corde civium factionum ardore, omnia quae dicta ſunt et facta, veluti aurum in ignibus, irretortis oculis et integra mente, ſpectantur. Tunc ex errorum nebulis, una refulget aeterna veritas; tunc diem videmus

Digitized by Google

opinionum commenta delere, naturae iudicia confirmare. — Nec multo fit aliter, cum tempora transiere, quibus instantis tyranni vultu cuncti terrebantur et vi metuque constrictae omnium linguae, nisi turpi mercede ad adulationem conductae. Tunc laetus auditur non amplius oppressae veritatis clamor, quae diuturnum silentium clariore vociferatione compensat. — Id nostra quoque aetate, id proxime evenit, in iis etiam, quae ad iustitiam et iurisprudentiam faciunt.

Si ad utrorumque temporum eventus separatim animadverterem, si, iure a iustitia distincto, in singula illa inquirerem, repetitis quam pluribus, minime foret brevitati consultum. Id vero nec ratio temporum diversa postulat, quorum contemplatio commode iungitur, nec iuris et iustitiae discrimen, quae, cum altera alteri innitatur, ita arctissimo ligantur vinculo, ut, quod de alterutro verum est, in utroque fere valeat.

Nec moram nobis inferent aliae caussae, quae ad iuris disciplinam augendam et emendandam fecere, veluti illa, quae, saeculo proxime elapso ad finem vergente, iurisprudentiam quoque attigit, nova philosophorum doctrina. Non ego sum, qui negem, illam multa contulisse ad Iuris Naturalis disciplinam firmiori fundamento stabiliendam, ad illius ambitum accuratius describendum, vel ad singula eius capita plenius illustranda. At illa, meo quidem, quod nunc est, consilio, commode praetereuntur.

Omnia, quae nostra aetate in iustitiam et iurisprudentiam valebant, bifariam posse distribui mihi videntur, prouti vel tendant, ad iuris disciplinam confirmandam, ad amplificandum iuris imperium, vel exempla contineant legum et institutionum posteris ad evitandum proposita.

Age nunc, A. A. ad utraque animum advertamus, per praecipuas iurisprudentiae partes eundo.

Principi loco sese nobis offerunt Ius Naturale et Publicum universale. — Hae vero disciplinae ita comparatae videntur, ut, motis inter populos bellis, agitatis imperantes inter et cives dissidiis, dubiis formidolosisque temporibus plurimum colantur. — Sufficeret forte prima illarum cunabula in memoriam revocasse, in turbine rerum collocata. Etenim cum patriae nostrae decus immortale, HUGO GROTIUS, libro *de iure belli et pacis* edito, prima iecerat disciplinae, tum Iuris naturalis, tum Publici fundamenta, Belgarum certamen

Digitized by Google

contra Philippi, Hispaniae regis, dominationem, per paucos duntaxat annos intermissum, refectis viribus committebatur. — Nec aliud insequenti accidit aetate. Dum enim sub Carolo primo et deinceps gravissimi Angliae tumultus obiiciebantur, THOMAS HOBBESIUS, licet a multis erroribus non immunis habendus, et receptis sententiis contradicendi studio nimis indulgens, praeclaro tamen, praesertim in ius publicum merito, ad ingenii nomen pervenit. Nec omittendi, qui, durante bello, per triginta annos, pro libertatis ac religionis iure in Germania ducto, nostris disciplinis egregiam utilitatem attulerint scriptores quam plurimi; nec ii, quorum industria, per bellum septenne, superiori saeculo gestum, illas diligenter ornaverit. At vero nullum aevum ingeniis, quae iuris doctrinae operam dederint, feracius fuit, quam nostrum illud, tristissima rerum memoria celebratum. Nullam disciplinam pari studio excultam vidimus, atque illas, quae hominum et civitatum iura complectuntur. Disputationes e doctorum umbraculis ad supremos populorum senatus productas audivimus et insueto ardore agitatas. Incensi tunc temporis hominum animi ad iuris disciplinae dignitatem vindicandam, ad illius principia accuratius constituenda, ad singula capita solertius pertractanda. Facile est ad intelligendum, A. A.! quam haec omnia iuris disciplinae multis profuerint, imo prodesse debuerint, praecipue cum iuvarentur amplificato philosophiae studio, et acutius indagata rationis, tam quae in contemplando, quam quae in agendo versatur, natura. — Gallos hic mittimus, quorum plerosque turbulenta partium ambitio adeo rapuit, ut, nisi summa cautione adhibita, fides ipsis non sit facienda. Germanos ad testimonium vocamus, KANTIUM philosophum, HOFFBAUERUM, FEUERBACHIUM, EGGERSIUM, MEISTERUM et multos alios, quorum nomina his in rebus hospiti tantum ignota. Hos auctae et illustratae iurisprudentiae vindices integerrimos, nemo unus est, qui improbet.

At vero, A. A.! nonnulli vestrum abnuere mihi videntur, ex illorum numero, qui in disciplinam incumbunt, laetiorem illius conditionem metiendam esse, sed veritatum pondere et amplitudine. Plures abnuere mihi videntur, quidquam emolumenti ad disciplinam pervenire potuisse ex iis, quae, praesertim in Gallia, de hominum iure, de illorum libertate et aequalitate, ab insania et iracundia elatis, decantata fuerint; vel ex iis, quae in regum principumque contumeliam, a rerum novarum molitoribus, insolenter prolata. Tunc enim in accuratam rerum notitiam parum operis impendere homines solebant, quo-

dam quasi furore caecati. Libertatis nomine se iactabant, at de illa iuste describenda prudenterque limitanda prorsus securi, nisi quod illam hominis facultatem omnino non alienandam, nimis incaute dixerint.

At pace vestra, qui ita opinamini, quaerere mihi liceat, an vestrum iudicium adeo sit integrum, an illa tranquillitate gaudeat animus, ut vos de una veritate investiganda sollicitos esse, persuadere nobis possimus? — Ut ad singula respondeam, lubens equidem fateor, disciplinae cuiuscunque praestantiam non ingentem efficere cultorum numerum, at doctrinarum gravitatem, utilitatem et evidentiam. At vero hisce etiam nostram a nulla alia superari, eruditissimi et sagacissimi viri toties arguere, ut pro explorato possit haberi. Lubens equidem fateor, quod et modo fatebar, illis, qui partium aemulatione commovebantur, non nisi cum summa prudentia, esse fidendum. Neutiquam vero illos audiamus, qui persuadere nobis conantur, solos partium ardore ferventes, tunc temporis, suas de iure sententias literis consignasse, aut omnes summa incuria res suas egisse. Germanorum quam plurimi in subsidium vocati causam meam agerent, at e nostratibus appellare viros eruditionis fama nobilissimos satius mihi videtur. Cui igitur, mediocriter tantum iuris scientia imbuto, illa fallunt, quae a CRASSIO, laudatissimo iureconsulto, et a BROWNIO, philosopho egregio, de hominum aequalitate disputata fuere, a Teyleriana societate praemiis honorata? Quibus incognita KLUITII, viri clarissimi, oratio de iuris publici abusu? Cui alia aliorum scripta quam plurima, quae, uti a rerum novandarum studio prorsus aliena, novarum tamen rerum occasione prolata, iuris disciplinae tunc temporis diligenter excultae exempla praebuere, multumque fecere ad nonnulla iuris capita accuratius diiudicanda? — At nec illa quidem, quae ab hominibus proposita, factioni suae plus iusto faventibus, plane respuenda sunt, sed ad rationis modulum prudenter dirigenda; et, summa circumspectione adhibita, consentanea tantum veritati servanda, quae omnibus saeculis eadem est et una, caetera in vento et rapidis aquis scripta habentur.

Vereor profecto, A. A.! ne nimius sim in hac orationis meae parte, quam vero missam facere nequeo, nisi paucis ante illorum exemplis, summa brevitate, allatis, quae tam ex agitata, turbatis temporibus, frequenti de iure disputatione, quam ex infracta libertate ad civitates prospera redundaverint.

Quod aegrotantibus solet accidere, ut, morbo paene letali depulso, integram

Digitized by Google

ſanitatem, modo recuperatam, iustiori pretio aestimare discant, idem illud et nobis evenit, qui, quid esſet iniectum ingenio vinculum, mente tantum, non re, cognitum habebamus, facultate ſemper graviſi ea, quae animo complectebamur, ore profitendi ſcriptisque mandandi. Sed ecce, advenit e Gallia, multis aliis miſeriarum auctoribus ſtipata caterva, unice ad id inſtructa, ut, quae publicis de rebus, non dicam aperte et ab hospite audita, clamabant temerarii, verum homines, aegritudine affecti, introrſum et ſub lingua murmurabant, avidis auribus biberent; ut ad libros edendos cupiditatis oculos adiicerent, et, deletis pro lubitu omnibus, quae forte oppresſae patriae memoriam repeterent, imo acerbe nonnunquam in miſeros auctores invehendo, ſervilis animi obſequium tyranno domino ſignificarent. Restitutam ingenii libertatem, ſanctum illud homini ius et ſecuritatis civilis inſigne decus ac praeſidium, ſapientisſimo optimi Regis conſilio inter prima beneficia debemus, eo profecto gratiorem, quo foedisſima oppresſio in maiori invidia fuerit. Illi debemus, quod non arbitrio, ſed lege, coerceatur modum evagata dicendi ſcribendique licentia, perduellionis vel calumniae iudicio vindicanda.

Non est quoque, ut illa, quae de aequali hominum iure ſunt disceptata, ab omni utilitatis fructu deſtituta pronunciemus. Ad leges iustisſime abrogatas provoco, quae alibi tributorum immunitatem illis concedebant, qui vel generis ſplendore inter alios eminebant, vel ſacerdotio praediti, nescio qua, ſanctitatis opinione adiuvabantur. Ad illas provoco, quae, in nostra patria, uni religionis ſectae addictis, prae caeteris ſavebant. Fallor omnino aut ſupervacaneum prorſus est arguere, quantum haec omnia repugnent libero, quod homini competit, de Deo rebusque Divinis iudicio, aut verae illi aequalitati, quae omne civium discrimen improbat a religionis diverſitate petitum. Turbatis, quae viximus, temporibus adverſus iniquas hasce conſtitutiones exortae quaerimoniae, quas inſecuta legum, nunquam, uti ſperamus, revocandarum abolitio. Hinc in Belgarum imperii lege meliora gloriamur conſtituta. Etenim illa cautum est, ut liberrima ſit omnibus de religione ſententia; ut diverſae religionis ſocietates aequo defenſionis iure gaudeant; ut unicuique, nulla religionis ratione habita, ad dignitates et munera aperta ſit via; ut homines ad ſacra publice coeuntes nunquam turbentur, nunquam impediantur, niſi flagitante civitatis ſecuritate; ut denique illi, qui religionem interpretantur, cuicunque ſectae addicti, remunerationem de publico accipiant.

Digitized by Google

Hisce exemplis nonnulla e iure publico addenda. — Omnia, quae de civitate illiusque fine, de summo imperio et libertate civili, turbatae reipublicae tempore, proponebantur, depulsis prudenter illis, quae factionum studium nimis incaute forte adiecerit, plura sunt complexa non omnino spernenda, quaeque egregie fecere ad disciplinam accuratius excolendam. — Nec ipsi rerum nostra aetate gestarum tristissimi quondam eventus nullum disciplinae fructum tulisse dicendi sunt. — Fuere, non multis abhinc annis, sagacissimi etiam de iure publico scriptores, qui tyrannidem in unius regalis imperii abusu collocaverint, ac si, quod populi erat aut optimatum, intoleranda licet acerbitate gestum, hoc nomine notandum non esset. At quae nostra aetate, in una Gallia, civium prava iubentium ardore, commissa facinora, quae, constituto popularis scilicet imperii genere, editae caedes, haec et alia quam plurima illorum doctrinae evidentissima attulere argumenta, qui non regi tantum, iustos potestatis limites evagato, tyrannidis inurendam ignominiam censuerint, at vero etiam de populi tyrannide, multo saeviore, querelam moveri.

Uti nec tyrannis in uno regali imperio, iniuste gesto, consistit, ita nec civium libertas uni populari regimini propria. Fuere omnino multi, tam eruditae antiquitatis tempore, quam aevo recentiori, qui civium libertatem a regia maiestate seiunxerint. Populum, qui in regno erat, Livius servientem vocare non dubitavit, nec regium imperium libertatis dulcedini opponere. Non aliter Ciceroni et Tacito visum fuit aliisque quam plurimis. Mirum quoque non accidit, illud frequenter clamatum esse ab iis, qui, saeculo proxime praecedenti fere elapso, sanguinolentam libertatis imaginem vicinis populis obtrudebant, auri acervo venalem. At his, quae sequentibus annis evenere, explosi huius erroris honorem debemus. Si quid aliud certo edocta est Europa, illud omnino, non e caedibus editis et sanguine facto populorum libertatem oriri, sed ingenii tantum lumine cognosci, veritate et ratione nutriri; illam edocta est, quae, republica commutabili, nonnunquam exsulabat, regia maiestate suffultam, intactam populis interdum relinqui. Hoc vero si genti cuidam sit persuasum, nostrae certe persuasissimum, utpote Regem adeptae, qui summam potestatem sibi delatam recusaverit, nisi de omni illo iure, quod populum vere liberum exornet, inviolate custodiendo, sacra imperii lege sponderetur. — O Patria, felix praedicanda, cui, a duro servitio

abſtractae, Regi contigit obedire, vero civium parenti ſtrenuoque tuae libertatis vindici!

Silentio praeteream, A. A.! quae de diverſis potestatis civilis partibus ſedulo distinguendis et deſcribendis, quatenus ſcilicet verſentur, vel in legibus ferendis, vel in cauſis iudicandis, vel in exſequendis ſummi imperantis mandatis, tanquam tutela ac praeſidio libertatis civilis, iam turbati temporis initio memorabantur; praeteream et illa, quae cauta fuere et conſtituta, ne iudicum conditio ab imperantium voluntate penderet; praeteream et alia, quorum plurima, ratione, non opinione, innixa, etiam nunc obſervantur, accommodata noſtris moribus patriisque legibus ſacrata. At tacendum non est, ius publicum diligentius excultum egregie feciſſe ad exuendum ſervile iugum ab exteris impoſitum. — Illuſtrisſimum proavorum exemplum, qui a Philippo rege defecerant, quique cauſam ſuam audacter inchoatam, per ſaeculum fere, ſtrenue defenderunt, illud, inquam, exemplum, in Belgarum memoriam reducebant, qui Gallorum partibus deſerendis primi inter omnes auctores fuere et civium concitandorum capita. Addebantur alia, de iure publico petita, exterae dominationis refringendae incitamenta. Nullo ſcilicet iure Gallis quaeſitum imperium, nulla civium voluntate delatum, ſed per oppresſionem abreptum, vi tantum et armis ſuſtentatum. Nec, quod inique partum, iuste gestum eſſe imperium alii querebantur, nominis fama celebratisſimi viri. Ad unius enim libidinem contemta et conculcata civium iura; qui paternae induſtriae fructus ad liberos haeredes pervenerant, invitis extorquebantur, vilisſimis exteris praedae; ad ultimos orbis populos, omnes puberes armati, pecudum inſtar, cogebantur, et, praeliis asſiduis in vitae periculum adductis, neceſſitas iniungebatur de imperio certandi ad patriae ſalutem fatali. Haec et ſimilia, ſimpliciter et ſplendide propoſita, nulla exornatione indigebant, qua publicam acceptae iniuriae indignationem moverent. E rebus igitur recentioris memoriae ad publici iuris principia examinatis arcesſita argumenta, quae, ad Gallorum dominationem iuste tollendam et enervandam tyrannidem, Belgarum animos inflammarent.

Longius quam volui, A. A.! hanc orationis partem provexi. Meus iam postulat dicendi curſus, ut ad leges Civiles animum advertam.

Quae legibus civilibus inhaerent vitia, ſive cum ipſis illis nata ſint, ſive

Digitized by Google

temporis lapsu accesserint, tuto et tranquillo reipublicae statu, vix ac ne vix quidem percipiuntur, et, nisi gravissima sint et multis iniqua, nulla de illis tollendis deliberatio habetur. Nec illud imprudenter, cum plurima saepius in legibus mutata, honorem illis debitum imminuant, ipsas in contemtionem adducant, et, magno civium detrimento, omnia vertant ad incerti iuris discrimen. — Simul vero nonnunquam evenit, ut cum levioribus vitiis graviora pari obruerentur oblivione. — Dubiis et turbulentis temporibus insecutis, cum inter cives discordiae frequenter agitantur et novandi animo plurimum indulgetur, edita de legum emendandarum necessitate vociferatio late auditur. Utilis dicenda, si, in iis indicandis, quae medica legislatoris manu indigeant, unice sollicita, prudenter suadeat, ut quaerendi remedii consilium placidiorem in annum differatur. Triste vero et periculosum sonatura, si urgeat forte, ut illico medicina adhibeatur, si moram facere recuset, et omnia, summa celeritate, destruenda, demolienda, funditus evertenda clamitet, antiquarum legum impatiens. — O miseram civitatem, cui legum codices in tali rerum turbine scribantur? Quo omnes sibi placent novandi studio, in illorum locum, quae exiguis modo vitiis laborant, multis deteriora sufficientur. Qui omnium corripit animos, mutandi fervor, velut rapidum flumen, meliora peioribus iuncta uno undarum impetu deiiciet. Nec, quae nova aedificata, ita firmo fundamento stabilita, ut plures in annos duratura videantur. Non enim aeternis iuris et veritatis praeceptis pleraque nituntur, non ad civium ingenia, mores, usumque communem accommodantur, sed in omnibus aptantur ad illas, quae tunc a plebe foventur, publicis de rebus opiniones.

Est profecto, A. A.! quod summo Numini gratias habeamus, non fervente factionum dissidio, novos legum Codices antiquis successisse, sed tranquillatis demum rebus et pacata seditionum ac discordiarum tempestate.

Nemo, ut opinor, unus est, qui contendat, antiquas, quae vigebant in patria nostra leges, ab omni errore vacuas, nullis maculis offendisse. At simul affertur dubitatio, an, quae illas excepere, a recentioribus latae, melius sese habeant. Difficillima omnino, quae exigitur, comparatio, cum antea in una patria tot legum Codices servabantur, ut nesciam, an non alibi plures! Non tantum quaevis regio iure sibi proprio utebatur, verum etiam in diversis unius regionis partibus, imo in singulis urbibus, nonnunquam leges vigebant, a iure vicinis constituto pluribus deflectentes. Hinc si aliorsum migra-

Digitized by Google

batur, si nuptiae contrahebantur inter amantes diverso legum imperio obedientes, multa eaque gravissima iuris capita in quaestionem vocabantur, de iure scilicet mariti, de patria in liberos potestate, de bonis coniugum, vel in communionem collatis, vel minus pro communibus habendis, de illarum administratione, commodis, fructibus et aliis eiusdem generis, e cuiusnam scilicet legis argumento et sententia diiudicari deberent. — Haec si quidem egregie faciant, ad magnam utilitatem arguendam, Batavis allatam ex uno legum civilium codice universo populo scripto, simul inde liquere oportebit harum institutam cum antiquis comparationem gravissimam difficultatem habere. Augetur et illa, cum, quas ante paucos annos novarum legum numero complectebamur, iam ad antiquas sint referendae. — Tum demum, cum iuris civilis codicem, vere patrium, summa de imperio lege confici iussum, gratis animis Belgica gens acceperit, ea, quae antiquis meliora sint, cognoscenda et perspicienda patebunt. Nec de novi codicis praestantia cuipiam dubitatio iniicietur, sive nomina virorum cogitet, iuris scientia et mentis ad iustitiam ardore pariter celebrata, quibus illius scribendi honor tributus, sive ad illa animadvertat, quae de mora inferenda, paucis abhinc mensibus, vir illustrissimus monuit, cuius cura in rebus versatur, quae ad internum faciunt civitatis statum, idcirco scilicet opus illud non festinanter peragi, quod omnia prudenter examinanda videbantur, et in nostram utilitatem vertenda, quae in legibus aliarum gentium, nostra memoria latis, praestantiora invenirentur, ut tandem nostratibus legum codex iubeatur, qui stabilis non tantum sit et perpetuus, verum etiam ad temporis rationes accommodatus, adhibita cura, industria, sapientia, perfectissimus et absolutissimus dicatur.

Donec igitur de perpetuo, uti speramus, et recentissimo Belgarum iure, antiquato praestantiori, exspectatio nostra suspensa tenetur, ad leges etiamnum vigentes attendendum. Licet vero in Gallico codice, quo Belgae adhuc utimur, plura sint a nostris moribus, nostra consuetudine, nostro solo aliena, plurimum tamen illius argumentum dente maledico frustra carpetur. Temere quis profecto contenderet, in illius compositione, vel incuria, vel imperitia, graviter fuisse peccatum. Lex enim, antequam rogabatur, cum iis communicata collegiis, quae summa iudicia exercebant, ut, diligenti consideratione facta, quid ipsis videretur, rescriberent. Horum suffragia deinceps ad examen vocata et ad legis rogandae emendationem adhibita. Mox in illorum consessu,

Digitized by Google

qui de summis imperii rebus vulgo audiebantur, de nova lege scribenda disceptabatur. Ubi de roganda conventum fuit, nominati, qui, oratione facta, legem suaderent. Illa tandem recitata, accipiebat, iubebat supremum, cui legum ferendarum potestas erat, collegium, promulgabat imperans. — Si cui illa legis constituendae via non satis compendiaria, sed iusto longior videatur, non habebit is, quod opus nimia festinatione properatum queratur. — Nec peritum rerum arbitrum inficiatum reperio, illas disputationes, illa consilia, iurisprudentiae multum profuisse, multumque fecisse ad veram legum vim et efficacitatem tenendam.

At hisce legibus insuper laudi ducatur, nonnulla illis utiliter esse constituta, de quibus, antiquiori iure, cautum non erat, et plurima, quae antea in controversia versabantur, nunc, sublata dubitatione, certius esse definita.

Ne vos diutius occupatos habeam, A. A.! pauca addidisse sufficiat, quibus illud arguam, quod modo proposui. — Nemini vestrum, qui, ante aliquot annos, antiquo iure vigente, sive causas in foro plurimas egerit, sive lites frequenti iudicio diremerit, non erit exploratum, tunc temporis, nihil prorsus constitutum fuisse de absentium iure. — E sacri vatis effato, hominis vitam non ultra septuaginta vel octoginta annos, quod longissimum est, produci, ex hoc inquam effato, doctrinam usu forensi receptam, de absente, eo tempore, quo septuagesimum aetatis annum attigerit, pro mortuo habendo, derivatam fuisse, ceu rem nemini ignotam, iuris interpretes nonnulli docuere. Haec una vero, lege non innixa, consuetudo, quantum distet ab iis, quae, nostra aetate, de absentibus placuerint, vel levi comparatione instituta, patebit. Omnem curam, cogitationem et industriam Gallicus legislator in hunc codicis locum contulit, quod infelicissima, quae turbulentis temporibus fuerat, migrationum frequentia suadebat. Curam de bonis absentium habendam prudenter constituit, non tamen neglecto, quod cognatorum erat, commodo. Diversos casus, quibus fortuna obiicit homines, acute distinctos deprehendimus, quibus enumeratis, taedium auditoribus iuris ignaris afferrem, peritis vero notissima repeterem.

Quae de iuris antiqui controversiis, lege recentiori sublatis, monebam, magno satis exemplorum numero firmare daretur. E pluribus unum, quod specimen sit, proponere mihi liceat. — Nemini iureconsultorum ordini adscripto ignotas fore opinor, quae de venditione, propter pretium minus iusto solu-

Digitized by Google

tum, refcindenda, Romano iure, quaeftiones habebantur. Dubitabatur a nonnullis, an remedium illud ad emtorem pariter et venditorem pertineret, an vero huic tantum concedendum esfet, illi denegandum. Dubitabatur praeterea, an, quod lege placitum, emtionis et venditionis contractui proprium dicendum esfet, num vero aliis eiusdem generis negotiis, uti locationi conductioni, rerum permutationi, dationi in folutum, caeterisque, commune. Imo fuere, qui ad ipfam transactionem illud accommodandum esfe monuerint, quorum tamen opinio a multis aliis fortiter oppugnata. Fuere denique, qui, quod de rerum immobilium venditione refcindenda conftitutum, ad res mobiles pretiofas minimo venditas, iure transferendum cenfuerint, quod vero iudicium adeo est incertum, ut ipfi CUIACIO, quid fibi videretur, non conftiterit.

Habetis A. A.! controverfiarum multitudinem ex uno iuris capite, imo ex una lege, oriundam. Omnes illae recentioribus codicibus procul habitae, quibus cautum, ut uni vendenti fuccurratur, nulla de emtore, nulla de aliis conventionibus et negotiis, facta mentione; ut fuccurratur tantum immobilium, non aliarum rerum venditori. Haec, fi quid video, A. A.! apertisfime explicant, noftrae aetatis legibus plurima conftituta esfe, antiquiori iure certiora.

Misfa facimus, quae, de caufis civilibus et de iudiciis reddendis, plura memorari posfent, et iam ad illa, quae de criminibus poenisque conftituta funt, attendimus.

Quae ad cohibenda facinora, noftrae memoriae tempore, leges fancitae, fi comparentur cum iis, quae, abhinc faeculo vel antea, populis fcriptae funt, nullum de praeftantia certamen, inter peritos rerum arbitros, conferendum videtur. — Ante omnia teneatis, A. A.! in magna fatis Belgii noftri parte, dubium omnino fuisfe, quaenam de criminibus leges ufu et auctoritate valuerint. Nonnulli ad CAROLI QUINTI conftitutionem notisfimam provocabant, quam tamen alii nec promulgatam fuisfe, nec legis vim unquam adeptam teftabantur. Nec inter privatos tantum homines lis agitata, fed opinioni, ab amplisfimo quodam iudicum confesfu, hac de re emisfae, publice obloquebatur fupremum collegium legibus Reipublicae ferendis conftitutum. Teneatis, in plerisque patriae regionibus, quid vetitum fuerit aut permisfum, quid pro crimine habendum, quid poena vacuum, non femper e fcripta certaque lege cognitum fuisfe, verum etiam ab opinione iureconfultorum, qui numero aliquo putabantur, a prudentum confilio et iudicum arbitrio pependisfe. Tenea-

Digitized by Google

tis praeterea de Mosaïco, Romano, Pontificio iure, in subsidium vocando vel prorsus omittendo, disceptatione forensi frequenter esse certatum. Haec, si quid video, planum faciunt et apertum, iuris criminum vindicis incertam admodum conditionem fuisse, non lege tantum, sed consuetudine et arbitrio plurimum innixi, et novi codicis conficiendi desiderium Belgas iuste tenuisse. Fateor equidem, uti in nostra regione, ita et in aliis, diserte cautum fuisse de coercendis criminibus. At pleraeque illae constitutiones vel a Romanis erant derivatae, et provide tantum in delicta nostrae aetatis transferendae, vel si patriae essent, prisco tempore latae, antiquitatem redolebant, nec, quae nostri sunt aevi, moribus, rationibus aut ingenii lumini plerumque accommodatae. — Age, A. A.! evolvamus criminum et poenarum libros, proximis annis, Belgicae civitati designatos, nec vereor, ne vos meliorum exspectatio decipiat.

In codice, ante duodecim et quod excurrit annos, in publicum proposito, sed, propter stylum legi ferendae minus convenientem, non accepto, egregio tamen, in omne tempus, sagacitatis et prudentiae monimento, in lege etiam postea de criminibus lata, imo in ipso Gallorum libro, quo adhuc utimur quodque a multis magnisque mendis non vacat, in his, inquam, plurima continentur, quae, quid nostra aetas, poenis criminibus irrogandis, superiori praestiterit, plane convincant. Paucis moneam, quae huc referenda.

Ipsa crimina verbis etiamnum accuratius expressa et poenarum genus, quas malefici luant, uti et temporis spatium, quod illae non excedant, lege definitum. — Poenae infligendae acerbitatem, non e morali actionum perversitate, sed e detrimento civitati vel civibus illato, metiendam esse, recentiores demum legislatores perspexere. Haec ita vera sunt atque omnibus cognita, ut addenda non videantur, quae confirment, argumenta. Si quis forte desideret, cogitet ille, sacrilegium nunc furto gravius non puniri, nec illi, qui perverso animo impia in Deum verba profuderit, linguam candenti mucrone transfodiendam, leges praecipere.

A novis legibus plura exsulant crimina, quae antea, infinita superstitionis ratione, dicebantur. Quis magiam, quae vocatur, ignorat, quis alia similia; quibus, paucis abhinc annis, suus, in criminum serie, locus dabatur?

Ab ingeniosa denique poenarum crudelitate et a nimia severitate recentioribus legibus recessum est, cuius horrenda specimina praebent, qui, in diversis patriae locis, olim vigebant, legum codices. Abrogata etiam, quod gaudemus,

Digitized by Google

Regis nostri prudentissimi voluntate, bonorum publicatio, ne pars supplicii parentibus meriti a liberis innocentibus subeatur.

Hic vero a nonnullis vestrum, A. A.! dubitationem iniectam audire mihi videor, an illa, quae de poenis et criminibus melius sancita, novarum rerum cupiditati vel excussae dominationi recte tribuantur, cum iam a multis annis sint parata, et ab aucto ingeniorum lumine, ab amplificato iurisprudentiae studio, derivanda. — Haec licet vera sint, nil tamen afferunt, quod nostram disputationem evertat. Concedimus meliora de criminibus poenisque principia aucto ingeniorum lumini, et laetius excultae, inter nostrates et exteros, iurisprudentiae deberi. Incertum tamen est, an illa, ad patrias leges emendandas, quidquam factura fuissent. Tempus illud infelix, cui plura miseranda debemus, non illo honore fraudandum, quod de poenis crimini statuendis, meliora praeceperit, meliora attulerit.

Quae plura in codicibus, quibus usi sumus antea, vel etiamnum utimur, egregia constituta sint, ne latius explicem, labentis horae brevitate prohibeor.

Ad alteram vero illamque minorem orationis meae partem festinare nequeo, A. A.! nisi paucis moneam, quid iuris Romani studio profecerit nuper elapsi temporis infelicitas.

Eruditis compertum est, non semper una eademque ratione, in docendo discendoque Romano jure, versatos esset homines. — Ab illo tempore, quo instauratum illius studium, aliquamdiu, in interpretandis iuris Iustinianei libris eorumque partibus, unice occupatos doctores invenimus, donec universa et singula eius praecepta, non prouti in variis locis dispersa iacebant, sed collecta et arte composita, disciplinae modo proponebantur, ex epitomis addiscendae, in scholis illustrandae, ordine tamen, quem JUSTINIANUS, sive in Institutionibus, sive in Digestis, erat secutus, diligenter servato. — Nec ita perpetuo. Alii enim deinceps exorti, qui, ab hoc ordine discedentes, ex alio quodam naturali, prout ingenium ferebat, iuris doctrinam explanarent. His successere, qui sibi non placebant, nisi, una cum exposito iure, de illius origine et progressione disputaretur. Alii denique monuere non leges tantum tradendas, sed admota philosophiae face, illustrandas esse, ut de subtili iureconsultorum iudicio, de egregio mentis acumine et vera sapientia constare posset, cuius in illorum

Digitized by Google

consiliis, responsis, scriptisque, splendida specimina, et illa plurima, deprehendimus.

Nemo unus est, qui inficietur, cunctis iis iurisprudentiam Romanam exponendi modis aliquid inesse, quo caeteris praestent, et omnium optime res suas acturos, qui omnia illa, quibus singuli sese commendant, ad disciplinae utilitatem convertat. — Si quando iuris civilis amoenitatem laudare licuerit, nunc certe in laetissimum campum divagari illius interpretibus datur, ubi forensem legum Romanarum usum, antea pluribus in deliciis habitum, silentio praeterire conceditur. Etenim ex illo inde tempore, quo novi legum codices scripti Belgis et promulgati fuere, omnis, qua antea viguerat, legum vis et potestas Romano iuri adempta, quod illi, maiori cum voluptate excolendo, profuisse dicendum est. — Non equidem dubito, quin hic adsint nonnulli, quibus illud veri tantum speciem habere videatur, metuentibus scilicet, ne ius Romanum, legis auctoritate destitutum, in contemtionem adducatur, et, a plerisque tanquam otiosum et inutile neglectum, in tristi iaceat oblivione. — Adducatur, A. A.! in contemtum, iaceat in oblivione, at illorum hominum, qui, iurisprudentiae operam daturi, in illa tantum incumbunt, quae ad usum forensem faciant, caetera autem, quae ad veram ducant et accuratam iuris cognitionem, adunco naso suspendant; qui depromptam de BARTOLI BALDIQUE glossariis, uti vocant, sapientiam, omni reliquo eruditionis generi praeferant! Quid hos moramur, qui leguleiorum et rabularum nomine notati, ad honoratum illud Iureconsulti nomen nunquam adspirent! — Illi vero, qui ad meliorem iurisprudentiae notitiam enitantur, nullus adest metus, ne Romanorum leges negligant, quas nulla unquam dies aevo memori eximat.

Sed redeam ad illud, a quo divertebam, et arguam laetiorem quam antea Romanae iurisprudentiae conditionem.

Donec leges illae vulgo spectabantur, quatenus auctoritate valebant, nec abrogatae in usu forensi remanserant, illarum doctrina, in scholis librisque, commixta plurimum tradebatur cum iis, quae e Mosaico et Pontificio iure, vel ad augendum, vel ad illustrandum, afferebantur, aut e recentiori iure petita in illorum sufficiebantur locum, quae pro antiquatis erant habenda. — At vero ita non amplius. — Ius Romanum pure iam exponitur, uti ipsis in fontibus obvium, uti veterum Iureconsultorum doctrina ferebat, aliena cogitandi ratione non immixtum, nec

interpolatum alienis legibus. Exponitur iam, non ut discipulis conſtet, quid nunc valeat, ſed quid ubivis et aeternum ſit valiturum.

Alterum accedit commodum illudque egregium. — In iure Romano, prouti nunc illud habemus, veteris ſcilicet ſapientiae monimento, illa quae *iuris* ſunt, diligenter ab iis diſtinguantur, quae *arbitrio* conſtituta. In utrorumque illorum fontem et originem inquirendum. Quae *iuris* ſunt, id est, a ratione, omnis iuris matre, oriunda, a priscis plerumque Iureconſultis profecta, qui, ingenio philoſophia caſtigato, et literarum ſuavitate labris non primoribus gustata, ad iurisprudentiam acceſſerant, cuius principia, aeterna illa atque immutabilia, in ſcholis Atticis vel Romanis, tritis auribus, acceperant. Iudicio igitur bene conformato, ad ſingulas cauſas reſpondebant, acumine non minus quam eruditione posteris ſuspicienda, iuſtitiae pariter et aequitatis ſenſu, posteris mirabili. — Quae ab *arbitrio* derivata, e Romanae civitatis ordine, e magiſtratibus conſtitutis, e legum antiquarum praeceptis, quae identidem negligebantur, ex edictis praetorum, quibus, a ſtricti iuris ſeveritate facto receſſu, magis aequitati conſulebatur, e negotiorum formulis uſu introductis, ex opinionibus popularibus, e domeſtica Romanorum ratione, caeterisque talibus, repetenda et illuſtranda. — His igitur rite distinctis, illorum, quae iuris ſunt, e iure et philoſophia, caeterorum vero ex historia et antiquitate explanatione facta, non tantum de iuris Naturalis et Romani multis optata coniunctione gaudebimus, verum etiam, legibus Romanis cum ipſa legum historia traditis, adeo ut de ſingulorum iuris inſtitutorum origine et progreſſibus, quantum fieri poſſit, conſtet, utrique ſtudiorum illorum generi optime erit conſultum, et laetiſſima iurisprudentiae facies accedet, uti ſummi iuris Romani interpretes, THIBAUTIUS et HAUBOLDUS, luculenta argumentatione probavere.

Praeterea vero, ubi Ius Romanum legis proteſtate fuit exutum, ubi deſiit eſſe norma, ad quam civium lites componantur, quae ut certa eſſet et indubitata, ante omnia requirebatur, non opus eſſe videtur, amplius ad illud, tanquam unicum iuris codicem, laborem impendere et contrariarum legum voluntatem e legislatoris propoſito enodare, at ſtudiorum amoenitati ſimul et diſciplinae commodo proſpiciemus, ſi, distinctione facta inter illud, quod in Pandectis, in Inſtitutionibus, in Codice, in Novellis ſtatutum, in principia inquiramus, quibus ſingulae conſtitutiones nitantur, ad illius aetatem et conditionem

Digitized by Google

attendamus, qui verus legis auctor dicendus sit, ut de mente et sententia plenius constare possit; minus solliciti, an tot scriptores, quorum fragmenta Romano iure servantur, in omnibus conveniant, an vero diversam aliquando doctrinam, opinionem, consilium, amplectantur, tueantur.

Ex his vero ita propositis ne colligatis, quaeso, A. A.! de mea sententia, ius Romanum inter et recentiores codices nullum vinculum intercedere. Intercedit omnino! Non vero iuris Romani, sed hodierni interpres, utiliter ad illud attendere mihi videtur. Ille scilicet singula patrii codicis capita illustrando percurrens, ad altissimam Romanorum sapientiam, ad reconditam in legibus veritatem, ad usum per plura saecula splendide quaesitum, libenter animadvertet, et mirabilem, quae hinc in leges recentiores manavit utilitatem, gratissima semper animi voluptate recordabitur. Sic Romano iuri laus, nomen et honos aeternum manebunt.

Ad alteram orationis partem tendamus, quae exempla contineat, temporibus turbatae reipublicae et oppressae libertatis, posteris ad evitandum proposita.

Hic vero, A. A.! ingenti me obrutum sentio exemplorum numero, quae commode a me proponi possent, nec minus vero pressum horae, quae ad dicendum superest, brevitate.

Sive ad reipublicae ordinationem, sive ad leges de caussis civilibus, et de violato iure exsequendo, mentem advertamus, ubivis sese nobis offerunt, prudenti consilio in posterum cavenda. Uno alteroque proposito ex iis, quae graviora mihi videntur, orationi finem faciamus.

Ubi novorum rerum studio incensi hominum animi fuere, omnia, quae ad Graecarum olim civitatum et praesertim ad reipublicae Romanae exemplum formata, mira et egregia visa sunt. Pleraque Romanorum magistratuum nomina nostris diebus repetita audivimus; plures illorum mores et consuetudines, a nostris toto coelo alienas, introductas tamen vidimus. Quod vero civium libertati tuendae, quod reipublicae bene administrandae, felix faustumque ante omnia accideret, comitia, uti Quiritibus olim, edicenda, gerenda videbantur, ut, de rebus ad rempublicam pertinentibus deliberatione habita, ex universi populi voluntate decerneretur. Edicta sunt illa, gesta sunt, A. A.! at exspectationem commotam omnino decepere et certissimo argumento fuere, non omnia, quae priscis alienisve moribus forte convenirent, ad nostram aetatem nostrasque ra-

Digitized by Google

tiones prudenter converti. Etenim in illa hominum frequentia nihil ſaepisſime actum, nihil ad exitum perductum. Clamabat quis, quod ſibi e re publica fore perſuadebat, mox altiori voce impugnabat alter; aucto animi motu, linguae vehementior agitatio, ut tandem de principatu cum Stentore certamen omnibus conſertum videretur. Dies interim dicendo conſumitur et experimur MONTESQUIEVIUM vera locutum, qui populum, centum brachiis inſtructum, omnia evertere, centum pedibus armatum, beſtiolarum repentium more, procedere dixerit. — At vero actum ſit aliquid, ad exitum plura perducta ſint; de populi igitur voluntate conſtabit? Imo minime! Donec erunt, qui, quid agatur neſcii, rogantibus aiant; donec pedibus ibitur in illorum ſententiam, qui auram popularem captare didicerint, donec invenientur de plebe homines, qui non erubescant ſuffragium tuliſſe aere nummoque venale; donec certum non erit et exploratum, omnes, quorum interest, liberam ab aliorum arbitrio ſententiam aperuisſe, fruſtra de univerſi populi voluntate e comitiis eiusmodi cognoscenda gloriabantur! — At quae nunc ab aliquo tempore dimisſa, posteris, uti ſperamus, denuo non indicentur!

Sufficiat hoc unum de iis, quae ad Reipublicae faciant ordinationem. Iam leges civiles ſpectemus.

Inter plura, quae in Gallicis codicibus nos offendunt, ſummo ſtudio posteris vitanda, illud caetera ſupereminet omnia, leges eo praeſertim animo, eo conſilio ſcriptas esſe, ut fraudi et fallaciae, cui totos ſe dedunt homines, iniiciantur habenae. Quemlibet vitae integrum et bene moratum virum legibus adſtringi pudebit, non probis et ingenuis hominibus, ſed faeci civitatis et ſordibus latis, quae, ſi ſceleratorum ſocietati cohibendae ſervirent, aut misſis e compedibus et ergastulo in coloniam maleficis, prudentisſime ſcriptae laudarentur. Iustam movebit indignationem, minimam vel nullam fidem civium virtuti, imo magiſtratuum religioni legibus esſe habitam, quarum auctores aurae divinae particulam, humanae menti inſitam, ignoravisſe aut despexisſe dicendi videntur. — Id vero quantum detrimenti iustitiae exercendae importaverit, vix est quod dicamus. Hinc non tantum aucta negotiorum ſolennia auctique ſumtus inutiliter impendendi, quorum, qui unquam familiae erciscundae iudicio cum minoribus interfuerit, qui tutoris munere functus, ut immobilia pupillorum bona vendantur, veniam impetraverit, qui de curatore furioſo eiusque bonis dando iudicem adierit, luculentum testimonium impertiret. At hinc etiam

Digitized by Google

imminuta, quae civitati salutaris, legum reverentia, et de omnibus malis unum illud maximum in metu fuit, ne ad civium indolem corrumpendam depravandosque mores fecisset, quae a legislatore, hominum virtuti diffidente, scelestissimis constituta. — At vero, uti novimus hominem non repente turpissimum fieri, ita minus est quod timeamus, ne totus populus, praecipitato cursu, in perniciem ruat, noster imprimis ab animi candore, et mentis integritate laudem assecutus, nec legibus in perfidos suspiciosis, nisi per quinquennium et quod excurrit, obtemperans. Imo si quando, cum Gallorum legibus, nimiae solennium ambages in exsilium mittantur; et maiori simplicitate Belgarum peragantur negotia, nonne vera spes nobis affulget, priscam fidem intactam fore et inviolatam, in tutela et societate gerenda, in pactis et contractibus servandis, in reddendis rationibus, in alienis rebus administrandis, in omni negotiorum genere, conspicuam? Utinam aurea iuris Romani regula, unumquemque bonum haberi, donec probetur contrarium, quasi postliminio reversa, integris Belgarum moribus, in omne saeculum, apta et accommodata videatur!

In iis, quae de violato iure exsequendo, turbatis temporibus, constituta, et, oppressa libertate, adhuc servata, speciem admirabilem habebat iuratorum iudicium. Illud, quo se Anglia vicina iactabat, inviolatum suae libertatis tutamentum, Gallis plurima novantibus, ante omnia, recipiendum videbatur. Summis illud laudibus extulerant, non tantum BLACKSTONIUS, HUMIUS aliique in Anglia, at Gallus etiam MONTESQUIEVIUS, Italus FILANGIERIUS, acutissimi ingenii scriptores. Hinc igitur praeclara quaevis civitati ominabantur. Iudices e populo sumti, qui, nullo magistratus splendore conspicui, ipsi cives de civibus suis iudicium ferrent, quique non ex artis regulis, sed animi persuasione, de reo convicto criminis vel insonte pronuntiarent, post dictam sententiam in vulgarem civium ordinem redituri. Isto scilicet pacto optime libertati consultum sibi persuadebant novarum rerum auctores. Constitutum igitur iuratorum iudicium plures in annos remansit, et ad oppressos populos una cum aliis legibus et institutis translatum. Experti autem novimus, A. A.! quid de speciosis, quae inde sperabantur, miraculis, sit statuendum. Experti novimus iuratorum iudicia, nostrae civitati, inutilia, imo vero noxia fuisse, nec unquam posteris restituenda. — At viri illi tanti nominis, quos iuratorum iudicum laudatores modo nuncupabam, erravisse igitur dicendi sunt? Omnino dicendi, A. A.! si vero ad erroris fontem et originem attendamus, nihil acuminis et ingenii, qua valent

valebantque, laudi, detractum videbimus. Iuratorum enim iudicia unice tanquam inftitutionem politicam, civium libertati profuturam, fpectabant, qui verbis illam extulere philofophi; in illud vero non inquirebant, an explorandae veritati, an criminum auctoribus deprehendendis, convincendis et merito fupplicio afficiendis, iudicium illud conveniret. Illud tantum ab auctoribus illis actum, ut conditionem cuiuscunque civis liberam ab imperantium potestate, cuius abufum metuebant, follicitae omnium tutelae commendarent; non vero, ut omnium iura ab audaci maleficorum aggresfione defenderent. Ad utrumque vero illud, quam parum effecerit iuratorum inftitutum, oculis noftris vidimus. — Etenim adverfus tyrannidem nihil omnino valuit redditum a iuratis iudicium. Quos enim illud innocuos abfolvit, quos liberos esfe iusfit, hos, legibus ludibrio habitis, re iudicata iuratorum rescisfa, illo volente, illo iubente, cui pro ratione voluntas erat, denuo in vincula coniectos, ad alios iudices, fumma iniuria misfos, omnes novimus. — Quid vero commodi iuratorum iudicium ad fcelera vindicanda et fine ulla temperatione aut indulgentia punienda attulerit, neminem nostrum fugere mihi perfuadeo, cui unquam, per tempus, illis adesfe contigerit. Ad tribunal veniebant diverfi ordinis et loci homines; qui munerum dignitate confpicui, vel ab excultis literis et disciplinae ftudio nomen adepti; qui penfo tributo, five ob copias familiares, five ob mercaturae magnitudinem, in primas civium clasfes referendi videbantur; qui aliquo fungebantur officio lege definito. Veniebant igitur mixti magiftratibus agricolae, mercatores eruditis; veniebant, qui iuris et legum periti, quique illarum prorfus ignari; veniebant volentes pauci, inviti quam plurimi. — At in illorum ordinum hominibus, qui non de infima plebe arcesfiti, multi inveniebantur, quibus mens et ingenium ad caufas iudicandas fuppeteret; cur igitur iuratorum iudicia improbemus? — Plurimis illorum inerat omnino mens et communis intelligentia, at criminum cognitio plerisque res erat nova et inaudita. — Praeterea, quod indigne factum, e caufarum patronis nonnulli, recufationis iure, quod reis competebat, turpiter abufi, non hos tantum a iudicio arcebant, quorum integra aequitas et intemerata fides in fuspicionem veniebat, fed et illos, quorum ingenii acumen, quorum folertiam et fagacitatem, quorum cognitionem et peritiam illarum rerum, quae ad criminum faciant indicia et probationem, pertimescebant; fui fcilicet muneris gloriam expetentes, non innocentia miferorum defendenda, fed, adhibito artibus et verborum lenocinio, maleficis iuftae me-

Digitized by Google

ritaeque poenae ſubducendis. — Addamus et illud, iuratorum iudicia, quovis die mutabilia, ſe nulla opinionum ſtabilitate commendasſe. Etenim qui hodie poena afficiendus dicebatur, vel cras vel postea, aliis iudicibus in ſuffragium misſis, liber evadebat. Nec fictum illud aut fabuloſum putetis, A. A.! Evenisſe enim legimus, in falſi iudicio, criminis ſocios, de quorum culpa ſibi conſtare, uno et pari omnium conſenſu, iurati pronuntiaverant, in opera publica damnatos fuisſe, deinde vero principem criminis et auctorem, cuius cauſa coram aliis iudicibus agebatur, uno pariter animo et voce liberatum, quia ſcilicet falſum commisſum omnino non liquebat! Sic vero non veritate et ratione, ſed ſorte et opinione, crimina cognosci et in ſcelera animadverti dicamus. — Nostrae igitur aetatis pericula posteris profutura ſperamus, qui caveant, ne ſpecie rerum mirabili et vana ludantur imagine.

Exigua denique fides iudicibus habita et imminutum illorum arbitrium inter gravisſima mala referendum, quod aeque posteri vitent. Pulchrum et praeclarum fore, rerum novarum auctoribus fuit viſum, ſi omnia legibus esſent definita, nil hominis commisſum opinioni. Id igitur egerunt, ut cuilibet facinori ſua poena ſcriberetur, nec quidquam a iudicis discrimine penderet. Nihil igitur intererat, an quis dux et auctor ſceleris fuisſet, num vero ſocius et adiutor; nil poenam mitigabat iuvenilis aetas, nil aliorum perſuaſio, nil patrati criminis et illatae iniuriae exiguitas, omnes una eademque poena afficiebantur. — Quam vero durum id esſet et iniquum, neminem fallebat. Itaque eo perventum est, ut, in poenarum perennitate definienda, aliquantulum iudicis arbitrio, limitibus tamen adſtricto, concederetur, lege vero genus earum perpetuo determinante. At ne ſic quidem humanitati ſatis fuit conſultum. Etenim ſive petulantia, ſive abiecti animi perverſitate, furta committebantur, ſi per fosſam tantum murumve transſiliisſent, ſi ſeram poste excusſisſent, vel clave adulterina fuisſent uſi; eandem poenam, eamque gravisſimam, ſufferebant auctores. Non iudicis fidei tantum fuit permisſum, ut, aequitate flagitante, nimiam legis acerbitatem minuere illi liceret. — Nonne iuvenes, qui, murum transgresſi, res vilisſimi pretii abſtulerant, protervia magis quam malitia peccantes, ad opera publica, per quinquennium, quod minimum erat, damnatos audivimus? Nonne ſeni ſeptuaginta annis maiori, qui, paucis asſibus conductus, alienam manum ſcribendo expresſerat, ſtigma vidimus inuſtum? Haec ſi cogitemus et quae his ſimilia, gratias optime Regi habebimus, qui meliora ſtatuerit, et ſpe tenebimur lae-

Digitized by Google

tisſima, ut, quae perſidiae metu ſcriptae leges, brevi abrogentur, et ſuus iudicibus honos, ſua integritatis fiducia, perpetuo maneat.

Hac igitur orationis parte, uti per temporis licebat angustias, abſoluta, dictam cauſam et peroratam habeatis, A. A.!

Unum hoc relinquitur, ut ad illa tranſeam, quae huius diei ſolennitas exigit; quodque gratisſimum habeo dicendi argumentum.

Vos ante omnes compello, quos, e Triumviris Athenaeo Friſiaco curando, orationi meae adesſe gaudeo, Viri Nobilisſimi! — Per quadriennium et quod excurrit, in urbe patria, iudicum ordini adſcripto, nil tale cogitanti, nil tale petenti, literae advenere a Viro illustrisſimo ſcriptae, cui ſumma rei literariae cura inter nostrates commisſa, quae me Franequeram vocabant, ut iurisprudentiam publice docerem. — In curſus varios abibat animus. — Summo gaudio ſummaque voluptate perfundebar, honorem egregium cogitans, mihi Regis optimi et dilectisſimi benevolentia mandatum; animo volvens iucunditatem illam inſignem, vitam in literis doctrinaque totam tranſigere; imo adeo laetum illud et optandum mihi videbatur, ut nihil ultra, quod ſperarem, ſuperesſet. — At in memoriam venere, quae linquenda forent et abdicanda. — Abdicandum a munere, quod, uti nec inutiliter obiisſe ſine gloria mihi perſuadeam, ita ſemper cum delectatione adminiſtravi, quod maxime amico et benevolo Collegarum animo tribuendum libentisſime profiteor. Discedendum ex urbe natali, Matre mihi, Fratre, Cognatis, Amicis gratisſima. Linquenda Coniugis dilectisſimae familia, quae me, paucis adhinc menſibus, in vitae communitatem exceperat. — Haec omnia complectebatur cogitatio, dubia aliquamdiu et incerta. — Acrius impellebat, quae a literarum et doctrinae ſtudio, a iure, iuſtitia, veritate, legibus excultis, quae ab erudiendis iuvenum ingeniis, et quae a conſequenda forte gloria, non illud diffiteor, ſperanda voluptas. Vicit tandem illius deſiderium et mea nominatione laetatus, illi muneri me accingere conſtitui, ad quod honorificum vocabat Augustisſimi Regis decretum. At vix conſtitueram, cum omne disciplinae ſtadium, quod currendum esſet, oculis lustrantem, metus invaſit, ne tanto operi vires deficerent. Invaſit autem animum, non afflixit, et quo minus ingenio posſem, ſubſidio mihi diligentiam comparandam esſe intellexi. En igitur, Viri nobilisſimi, me ad munus, quod auſpicor, accedentem! — Inſtaurata in Friſiorum tellure Muſarum ſedes ſumma dulcedine animum com-

Digitized by Google

plebat; at augebatur illa egregie, vestris nominibus auditis, quibus illius cura committeretur. Vos enim tales noveram, et norunt omnes, qui, sive opulentam paternae laudis haereditatem consecuti, sive parta a generis auctoribus nominis fama gravisi, illud semper agatis, ut novis opibus crescat haereditas et novo gloriae incremento fama augeatur, petitis scilicet, a disciplinarum studio et literarum cultu, splendidis et illustribus ingenii ornamentis. -- Gratulor vobis, Viri nobilissimi, honores ab optimo Rege iuste delatos; simul vero gratulor Athenis Frisiacis, quibus e vestris auspiciis prospera quaevis et fausta ominamur; gratulor et mihi, qui me muneris officio devotum vobis commendo. — Faxit Deus Optimus Maximus, ut in patria, iam, reduce concordia, tranquillata, sub placido et paterno Regis imperio, vitam felicem ac placidam agatis, utque doctrinarum haecce sedes, vobis strenue tuentibus, a laetis initiis ad virium florem evecta, sua celebritate, vestram curam, assiduam illam et indefessam, remuneretur.

Ad vos me converto, disciplinarum Professores, Viri Clarissimi! -- Audivistis, quae modo loquebar, de necessitudine, me collegasque meos, in Tribunali Leovardiensi, iungente, et quam aegre ab iis discesserim. At hilariorem abitum faciebat vestra, quae mihi comperta est, humanitas. Noveram enim vestram comitatem et benevolentiam, verbis mihi et re significatam. Unum e vobis mihi iungit affinitas, alios amicitiae vinculum, quod cum omnibus nectere iucundissimum mihi proposui. En me, Collegae coniunctissimi! vestro ordini adiunctum, aetate pariter et eruditione, inter minores collocandum. At maxime laetabor, si, quod ardenter opto, vestris doctrinae copiis, meae penuriae succurratur. Me, quaeso, accipiatis in consuetudinem, consortium et amicitiam, unde menti meae et ingenio uberrimos fructus proventuros mihi persuadeo. Paci et concordiae, quae vestros coetus exornant, diuturnum et stabile regnum precamur.

Quos vero vestrum collegas lubenter saluto, te praesertim, clarissime WASSENBERGHI, senex venerande, quem divite atque eleganti eruditione nobilem omnes suspicimus. Laetamur tibi, plures in annos Musarum cultori, propter aetatem provectiorem et meritorum magnitudinem, otium dignissimum a Rege nostro, insigni eruditorum fautore, concessum. Magis vero laetamur in corpore senili animum habitare blanda iuventute vigentem, eodem, quo antea, literarum ardore flagrantem, otii, nec egentem, nec cupidum. Adsit tibi diu iucunda et

Digitized by Google

vegeta senectus, molestiarum expers, calamitatum ignara; studiorum suavitate exhilarata! Adsit tibi tuisque collegis, adsit et mihi, unus omnium disciplinarum amor, quae mutuo quodam vinculo iunguntur. Illis iuvenum animos erudiendo, iunctis viribus nitamur, ut digni Musis Franequeranis alumni, digni Patria cives dicantur; ut, in quem sese locum conferant, gloriam, ab omni doctrinarum genere, Frisiae nostrae per saecula quaesitam, non inquinatam, non imminutam, sed laete virentem, suis ingenii dotibus tueantur.

Atquae sic sponte ad vos mea deflectit oratio, lectissimi Iuvenes, qui maiori, quam sperare nobis licuerat, numero, ad restitutum venistis eruditionis templum. Vestra praesertim causa me huc venisse cogitetis. Si qui sint inter vos, qui iuris et legum studio addicti, lectionibus meis adesse cupiant, persuasum sibi habeant, me in togata militia commilitonem fidelem iis affuturum, et ducem, forte non imperitissimum, benevolum certe et indefessum; persuasum sibi habeant, qui in veritate et iurisprudentia seriam operam navare gestiant, quidquid usu et consuetudine, ingenio et industria, iuvare possim, totum, quod meum est, iis sacratum esse. — Nec vos, qui in alio doctrinarum genere studium collocatis, mentem nostram a vobis alienam putetis. Omnia illa, quae ad humanitatem pertinent, mihi curae cordique sunt, et si, aliquo modo, commodis vestris consulere potuerim, nemini meum auxilium unquam deerit. — Vos illud agite, ut ab assiduo vestro labore et moribus intactis, hoc nostrum Athenaeum nomen et laudem consequatur, Praeceptoribus et Civitati gratissimam!

D I X I.

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

Habetis, L. L. B. B. orationem, uti illam confeci, non vero uti illam recitavi. Etenim cum iusto erat longior, partes eius nonnullas, ubi dicebam, silentio praeterii, quas tamen non ideo mens erat ab oratione avellere. — Caeterum, ad meliorem nonnullarum rerum intelligentiam, notas, easque paucissimas, adiiciam.

Pag. 582. Quae hic loci digito quasi monstravi latius exposuit Clar. KEMPERUS, in *Introductione ad Codicem Criminalem Hollandicum*, *anni* MDCCCVIII. pag. 160. sqq.

Pag. 583. *Nec illi, qui* etc. — Menti obversabatur art. 2. Tit. 16. Lib. 2. *Statutorum Frisicorum*, unicum, quantum scio, ingeniosae in poenis crudelitatis exemplum, quod illa continent.

Pag. 586. THIBAUTIUS et HAUBOLDUS etc. — Ille scilicet in diatribe egregia, *de Studio Historiae Iuris Romani* praemissa *Annalibus Heidelbergensibus* anni MDCCCVIII. pag. 1—16; hic vero in *Institutionum Iuris Romani privati Historico Dogmaticarum Lineamentis*. (Lipsiae 1815.) parte generali, § 14.

Pag. 590. *Etenim adversus tyrannidem* etc. Neminem, ut opinor, fugiet illud tristissimi ominis senatusconsultum, Imperatore petente, factum, die 20 Augusti anni MDCCCXIII, legumque collectioni, quae publica auctoritate fuit edita, insertum, (Num. 519. decr. 9543.), quo civitatis Antverpiensis Magistratus, accusati de aere publico in privatam utilitatem verso, a iudicibus vero iuratis insontes pronuntiati, re iudicata, in legum contumeliam, rescissa, coram alio, perpetuorum iudicum, non civium iuratorum, tribunali, denuo causam defendere iussi sunt.

Pag. 591. *Evenisse enim legimus* etc.

Causam hanc, profecto horrendam, uti et alias, non sine gravi dolore legendas, e Gallici scriptoris libro depromptas, refert acutissimus iureconsultus, FEUERBACHIUS, in opere absolutissimo, *de Iuratorum Iudiciis*. (*Landshuti* 1812.) pag. 148. sqq.

Pag. 591. sq. *Nonne iuvenes* etc.

Digitized by Google

Duas hic caufas memòravi, a curia asfesfionum in Frifia, anno MDCCCXI, iudicatas, in quibus ipfe, tunc temporis procuratoris partes agens, primam accufationem feci. — Illatae poenae, quin, pro facinorum gravitate, acerbisfimae dicendae fint, nemo inficiabitur. Quin vero ipfi iudices illam libenter imminuisfent, nifi lex obftitisfet, non ego fum, qui dubitem, cui, postea illis collegae, per plures annos, comperta fuit illorum iusta feveritas, femper tamen humanitate mitigata. — Opinionem meam fortiter adiuvat, quod ab illo inde momento, quo gallicae legis temperata acerbitas et plus arbitrio iudicum fuit relictum, ftigmatis ob falfi crimen infcripti, nullum omnino exemplum in Frifia exftiterit, licet plurima eiusmodi commisfa fint et poenis mitioribus vindicata facinora, illo, quod in oratione memoravi, multo graviora. — E caufis, quibus iudicandis interfui, argumenta nulla ducere, gesto muneri convenientius existimavi.

Digitized by Google

PETRI BOSSCHA

ORATIO

DE

GISBERTO CUPERO.

DICTA PUBLICE

d. xx Novemb. CIƆIƆCCCXV.

QUUM HISTOR. ANTIQ. ELOQ. ET LING. GR. PROFESSIONEM IN ILLUSTRI DAVENTRIENSIUM ATHENAEO AUSPICARETUR.

Digitized by Google

Digitized by Google

CIVITATIS DAVENTRIENSIS CONSUL; CETERIQUE MAGISTRATUS NOBILISSIMI, AMPLISSIMI!

ATHENAEI CURATORES PRUDENTISSIMI!

HUIUS REGIONIS ORDINIBUS ADSCRIPTI, VIRI ILLUSTRES!

CAUSARUM IN AGRO TRANSISALANO QUAESITOR; CETERIQUE IUDICES INTEGERRIMI!

QUIQUE HIS COLLEGIIS A TABULIS ESTIS, VIRI CONSULTISSIMI!

MAGNIFICE RECTOR, CETERIQUE DIVINAE ET HUMANAE SAPIENTIAE PROFESSORES CLARISSIMI, COLLEGAE AMICISSIMI!

ORACULORUM DIVINORUM INTERPRETES PLURIMUM VENERANDI!

QUARUMVIS ARTIUM AC DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI!

QUOTQUOT PRAETEREA HUNC ACTUM VESTRA PRAESENTIA CONDECORARE DIGNAMINI, CIVES, HOSPITES, MUNERIBUS, HONORUM TITULIS, VIRTUTE AC MERITIS IN REP. CONSPICUI; AUDITORES HUMANISSIMI, EXOPTATISSIMI!

VOS DENIQUE MUSARUM ALUMNI, IUVENES PRAESTANTISSIMI, IN PATRIAE SPEM LAETE CRESCENTES, COMMILITONES SUAVISSIMI!



Ego vero in hunc ausus sum adscendere suggestum, a tot facundissimis in omni doctrina, clarissimisque viris per tria iam secula illustratum! Egone in amplissima hac doctorum hominum corona verba faciam, munusque auspicabor;

Digitized by Google

quod ad dulcisſimos laboris atque induſtriae fructus percipiendos habitum est quidem, et habetur uberrimum, at vero idem gravisſimum, nec niſi viro, magna doctrinae copia inſtructo, pro dignitate adminiſtrandum! Egone SLUITERO veſtro, qui omnium bonorum conſenſu non tantum ingenioſisſimi eruditisſimique, ſed et ingenui ac probi viri exemplar, magnum apud omnes, vos praeſertim, Cives Daventrienſes! ſui deſiderium reliquit; egone igitur huic ſucceſſor vocatus, periculum faciam, ut, qualis ille vobis fuerit, talis et ipſe quodammodo fieri ſtudeam! Dudum equidem nihil aut ad vitam ſuaviter transigendam accomodatius, aut ad mores bene regundos aptius, aut ad varias fortunae vices aequo animo ac forti ferendas potentius iudicavi, quam haec ipſa, quae profitemur, humanitatis ſtudia: ſed quantum interſit inter privatum in hoc literarum curriculo exercitium, et publicum, quod nunc ſuſcipio, docendi munus, non ſine vehementi commotione animi intelligo ac ſentio penitus. Illic animus, qui varietate ſemper delectari ſolet, apum inſtar, huc illuc circumvolitat, et undique flores delibans certo loco conſiſtere nequit: hic vero, iam non amplius liber, fixam habet propriamque ſedem, et propoſitum ſibi videt ſcopum, inſtitutionem iuventutis, ad quem attingendum cunctis viribus niti debet, quemque non aliter asſequatur, niſi recto tramite progrediens id potisſimum agat, ut adoleſcentum magis, quam ſui ipſius ſpectet commoda. Illic ſi quos domi habet ſecum ſervat induſtriae fructus, aut amicis, tenui prandio contentis, epulandos apponit: hic omnium iudicio eosdem ſubiicit, et tam minima quaeque fercula, quam caput coenae, cenſuram ſubire patitur. Quae omnia ſane quum ſollicitum habeant animum, quorſum tandem confugiam, niſi ad veſtram, Viri Ampliſſimi! humanitatem, ad veſtram indulgentiam, quorum inſigni erga me benevolentiae, grataeque apud vos, ni fallor, patris optimi memoriae, acceptum fero, quod me in hanc urbem meam natalem revocaſtis, inque ea conſtituiſtis Hiſtoriarum, Eloquentiae, linguaeque Graecae doctorem publicum; quod adeo mihi, post varias fortunae procellas, tranquillitatis quaſi portum aperuiſtis. Certe huius beneficii magnitudinem quum apud animum reputo, mirum quantum me relevari, et quem pene deſponderam animum, recreari ſentio ac confirmari. Namque ut fortisſimus cuique homini bene nato ſtimulus est ad magna quaeque peragenda honorificum de ſe gravisſimorum virorum iudicium, ita inſperata honoris amplitudo, quam benigno veſtro iudicio, non meis, quae adhuc nulla ſunt, meritis, acceptam fe-

ro, illud, quod ſpero equidem, efficiet, ut ſtudium et induſtria ſuppleant, quod negat ingenium. Neque tamen ſic inducar, ut leve onus his humeris impoſitum credam. Equidem non ignoro, quam late pateat antiquitatis, ipſiusque adeo, quod eam tractat, muneris ambitus: non me fugit, quantum laboris, quantum ſtudii exigat univerſa iuventutis inſtitutio, praeſertim hoc noſtro, quod vivimus, tempore, quo antiquarum literarum cultus nova quorumdam arrogantia dicam, an ignorantia? contemtui habetur; quo id unice agendum est, ut vetuſtis rebus gratiam et venuſtatem concilies; novitatis ſpecie iuvenum animos ad verae doctrinae fontes allicias, neque nimia docendi ſeveritate alienatos reddas potius, quam concilies. Sed cum ponticulum transierim, nec retrogredi ſine dedecore integrum iam ſit, divino fretus auxilio, quam nactus ſum Spartam pro virili parte ornare conabor: cumque nihil in generoſos iuvenum animos maiorem vim habere ſoleat, quam propoſita ad imitandum excellentisſimorum in quolibet ſive virtutum ſive doctrinarum genere exempla virorum, in ipſo muneris mei ingresſu vix aliud magis aptum ſermonis argumentum me ſumere poſſe exiſtimavi, quam ſi traditis iam diſciplinae meae adoleſcentibus inſpiciendum exhiberem tale exemplum, unde, quantum ad vitam bene et cum laude agendam valeant hae ipſae, quas tradituri ſimus illis literae, non obſcure intelligatur. Quaerenti autem mihi iſtiusmodi exemplum, quod pariter huic humanisſimorum hominum concioni probaretur, non potuit non ſponte occurrere haec ipſa urbs veſtra Daventria, ab antiquisſimis inde temporibus doctisſimorum virorum ſtudiis tantopere illuſtrata, ut eam clarisſimus quondam in hac cathedra decesſor noſter Waſſenbergius merito tamquam eruditionis in Belgio matrem et conſervatricem celebraverit. Ex illorum adeo numero non difficile mihi fuit unum eligere, qui multorum inſtar haberetur. Dicam igitur de GISBERTO CUPERO, qui huius urbis et patriae noſtrae ornamentum, communi doctorum ore inter illuſtrisſima orbis eruditi lumina meruit numerari, ſed cuius merita, neſcio quo iniquo fato, paulatim obliterari coeperunt, atque obſcurari. Utinam vero id mihi contingat, ut inſigni hoc hominum conventu digna, digna iudicibus aequis, digna ipſo Cupero, digna denique munere noſtro proferam! Vos A. A. H. H. linguis animisque favete, et quae parum diſertus orator tenuiter exiliterque dixerit, ea Cuperi ergo boni conſulite.

Si inter magna Providentiae beneficia etiam illud merito cenſeatur, ſi cui

nascı contigerit, ac vivere iis temporibus, quae summorum virorum in quaque doctrina ingeniis illustrentur, quam optatam sortem obtigisse dicemus Cupero, cuius natales inciderent in illud tempus, quo haud scio an nullum aliud literis ac doctrinis in Europa studiosissime excultis fuerit illustrius; seculum dico decimum septimum, quando omnes fere populi, et vero nostra patria eo pervenerant claritatis, ut, quae antea, vel post fuere secula splendore suo velut obfuscaverint. Tunc enim principes in civitate viri, non minus, quam ceteri omnes, quibus de meliore luto praecordia finxerat Titan, illud sibi summae ducebant laudi, si pacis aeque ac belli artibus prae ceteris excellerent, quamque generis nobilitate accepissent dignitatem, eam virtute et doctrina vindicarent. Tunc Ioannes Mauritius, Princeps Nassavius, et Ferdinandus Furstenbergius contendebant quasi ac certabant de Musarum palma cum Heinsiis, Gronoviis, Graeviis, Spanhemiis, Franciis, Broukhusiis: tunc Newtonus, Leibnitius, Hugenius, Boerhavius, Ruisschius, totque alii, quos recensere longum est, lumine suo orbem eruditum ornabant. Sed quo maiore clarorum virorum proventu aetas alicuius glorietur, eo difficilius eidem esse, non dico culmen honoris, at vel probabilem laudis particulam acquirere quis negabit? Grotium, Scaligeros, Vossium, Salmasium si quis regnantes in literis videret, hunc honesta gloriae cupiditate moveri non esset sane mirandum; quem vero deterrere non debuit iam in ipso templi Palladis limine splendor late effulgens tantorum luminum, nisi deliberatum ad indefessos quosque labores subeundos haberet animum, neque irrita spe, neque continua exercitatione frangendum?

Talis autem fuit Cuperus, qui, quum alias sibi et faciliores ad vitam bene honesteque transigendam vias haberet apertas, tamen habitare cum Musis, et ab his nominis immortalitatem quaerere statuit. Postquam enim ruri degens primis impertitus erat linguarum elementis, praeceptore usus Petro Schachtio, V. D. interprete venerando, mox Neomagi interiorem earum scientiam assecutus est, praeeuntibus cum aliis, tum praecipue Ioanne Schultingio, viro sane docto, sed cui mors immatura nominis celebritatem negavit. Hinc sat magna instructus eruditionis copia Batavas adiit Athenas, totius Europae eo tempore doctorum receptaculum, auditurus ibi cum alios, tum Io. Fr. Gronovium, et ipsum olim Daventriae ornamentum, qui iam statim, qualem nactus esset discipulum, intelligens, eum paterno amore amplecti coepit, et ad

Digitized by Google

extremum vitae tempus habuit carissimum. Exinde amplior Cupero apertus erat doctrinae campus, et quam non nisi summis labiis degustaverat eruditionem, eam nunc penitius haurire coepit, ita ut biennii spatio totum decurreret doctrinarum stadium.

Domum reversus, quam imis iam medullis imbiberat, elegantiorum literarum dulcedine commotus, maxime vero antiquitatum investigandarum studio impulsus, atque arctis adeo patriae finibus non se passus contineri, Cuperus noster maius concipit animo consilium; quod quum parentibus probasset, iter parat in Galliam, ubi mox summorum, qui tum sub Ludovico XIV. florebant, virorum usus commercio ac societate, amplam collegit scribendi materiam, ampliorem etiam in Italia sibi paraturus, nisi Daventrienses, eius fama, iam longe lateque vagante, commoti, eum ad se vocassent, qui Hogersio, summis interim civitatis suae magistratibus adscripto, succederet, atque ita eum a proposito itinere abduxissent. Quamvis enim magna teneretur cupiditate longinquas visendi regiones, ut, quemadmodum postea fecit celeberrimus ille Iac. Phil. D'Orvillius, undique veterum monumentorum inscriptiones, numos, et quaecumque antiquitatem spectant, colligeret, nec non manuscriptos antiquorum auctorum codices inspiceret, vicit tamen amor patriae, suisque civibus inserviendi laudabile studium. Itaque mox, annos natus quatuor et viginti, oratione publice habita antiquas literas docendi munus capessivit, et qua aetate alii vix studiorum suorum modum habent, quamque potissimum vitae rationem sequi velint, deliberant, ea Noster, edito elegantissimo illo Observationum Volumine, famae suae in posterum quoque consuluit. Septem fere annos Doctoris publici munere functus erat, et ita functus erat, ut doctrinae praestantia, morumquae suavitate omnibus esset commendatissimus; quum ecce e Musarum penetralibus in publicam civitatis lucem evocatur, ut, qui hactenus formandae disciplinis iuventuti praefuerat, iam summis in hac urbe magistratibus adscriptus consilio ac prudentia ipsam civitatem moderaretur: quod quidem doctrinae praemium, quamvis rarum ac singulare, non tamen inauditum illis fuisse temporibus, laudatum modo Hogersii exemplum comprobavit.

Sicut alia tunc erat reip. nostrae forma, ita ampliores cum huius urbis magistratu coniunctos fuisse honores, Vobis A. A. H. H. non necesse habeo ostendere. Quam adeo summam honoris ac dignitatis amplitudinem exinde consequi potuit Cuperus, eam revera consecutum fuisse nemini vestrum iam mirum poterit videri.

Digitized by Google

Itaque primum ad Confessum Ordinum Foederatorum missus fuit; deinde inter delegatos Ordinum Transisalaniae adlectus; interim etiam in castra reip. in Brabantia et Flandria legatus: quibus omnibus tandem summa cum laude defunctus honoribus, in praedium sese suum recepit, ibique cum docto in otio consenuisset, septuagenario maior diem obiit supremum.

Quis est, A. A., qui illustrius vitae genus aut optare sibi, aut industria et ingenio attingere possit: et tamen non tam inde sibi Cuperus splendorem, decusque quaesivit, quam ab ipsis illis literis, quas hodie non pauci, qui sibi sapientes scilicet videntur, vix dignas existiment, in quibus ingenua iuventus primam aetatem consumat.

Iam vero, cum de varia ac multiplici huius viri scientia sit dicendum, plane dubius haereo, quonam in genere eum prae ceteris dicam excelluisse. Quum enim illius de Antiquitatis monumentis libros perlustro, praeclaram viri in investigandis explicandisque hisce divitiis obstupesco facultatem, industriam; at simul admiror eruditionem et ingenium, quibus ceteras quoque aliarum doctrinarum partes attingit non solum, sed et pertractat, Historiam, Criticam, Mythologiam; quarum omnium singularem prorsus peritiam editis scriptis orbi erudito probavit, et ita probavit, ut etiamsi nulla alia, praeter publica illa, ingenii et doctrinae testimonia reliquisset, immortale tamen nomen foret consecutus. At multo locupletiora adsunt monumenta, quae iniquo adhuc fato non nisi paucis visa reconditam et admirabilem continent eruditionem, quaeque adeo si diutius situ et squalore premantur, auctori non minus, quam ipsis literis fiat iniuria. Perlustranti enim catalogum huius thesauri, quam praeclara sese offert, etiam hoc nostro tempore quantivis pretii aestimanda, variae doctrinae supellex! ipsorum vero scriptorum eorum vel exiguam partem perlegenti innumerae occurrunt res, in quibus quid praecipue mireris, scribentis an laborem indefessum, an scientiam multiplicem, an ingenium denique subtile, dubius haereas. At bene actum, quod pretiosum hoc pignus ibi iam sit depositum, unde sperare licet, fore ut in publicam lucem, atque hominum commercium olim emittatur. Illud vero obstupefactum me tenuit, quod, quum in occupatissimo vitae cursu, gravissimisque reipublicae muneribus versatus fuerit Cuperus, sat magnum nihilominus ad scribendum otium invenire potuerit, ut in toto bonarum artium ambitu vix quidquam sit, quod non ingenio ille fuerit complexus, aut diligentia attigerit, atque adeo in eum conveniant, quae aliquando ipse de

Digitized by Google

Witsenio, Consule Amstelodamensi, amico suo integerrimo, dixit, „ apertum „ huic fuisse totum fere orbem terrarum, neque ei latuisse Orientem et Occi„ dentem, Septemtrionem et Meridiem." Et sane non modo totius orbis animo complectebatur historias, monumenta, gentes, naturam, politicen, sed et eruditorum virorum, qui quidem tum florebant, fere nemo fuit, quocum non aliquod per epistolas doctum haberet commercium: quod ut gloriam eius late splendentem probat, ita argumento est, talem fuisse Cuperum, qui fastu superbo neminem despiceret, omnes comiter exciperet, amicosque sibi redderet, et exemplo suo ostenderet, quod alicubi ait Tullius, „ literas esse, non modo „ in quibus ipsa sit, sed etiam a quibus ad alios pervenisse putetur humanitas;" secus ac nonnulli, qui librorum pulvere obruti sibi solis sapere videntur, nihilque aliud agunt, quam ut cum ratione insaniant. Hic vero non possum, quin beatam praedicem illorum, prae hac, qua nos vivimus, temporum conditionem, quando communis eruditorum respublica una communi lingua uteretur Latina, cuius ope non modo omnium nationum ac linguarum viri docti, cum magno suo et literarum ipsarum commodo atque emolumento, facillimum secum invicem exercerent commercium, verum etiam quos quisque protulisset ingenii doctrinaeque fructus, eos non intra angustos patriae suae fines contineret, sed per totum terrarum orbem spargeret, atque ad posteritatem propagaret; quod quantum ad humanitatem doctrinamque adiuvandam contulerit, quis tam stultus sit, qui non intelligat? Pessime igitur de humanitatis studiis dicantur mereri, qui hac nostra aetate tantum non omnem linguae Latinae usum e republica literarum tollentes, nos eo adigere omni opera annitantur, ut in immenso pene iam doctrinarum ambitu, brevissimi illius, quod ad vivendum natura nobis concessit, temporis maximam partem addiscendis linguis hodiernis impendamus; id quod eo magis indignandum est, cum iidem isti sapientes scilicet! in ceteris, relicta regia ad doctrinam via, ad quaelibet compendia devertantur. Viderunt hoc, quibus Rex noster, antiquarum stator literarum, nuper regundorum studiorum curam commisit, iamque spem nobis fecerunt, fore brevi, ut Belgae saltem, qui, Latini sermonis principatum iure suo sibi quondam vindicarent, antiquum morem tamquam postliminio reducant: quod utinam exemplum ceteri quoque Europae populi, errorem suum agnoscentes, imitentur.

Sed ex hoc deverticulo iam in viam redeamus. Quum antiquitatis studio potissimum delectaretur Cuperus, inque hoc studiorum genere talis fuerit, ut ne-

Digitized by Google

mini habeatur secundus; age paucis, qua instructi eruditionis copia huius disciplinae cultores esse debeant, videamus. Et quidem ipsa antiquitas quam late pateat, is facile intelliget, qui considerat, nullam fere esse scientiam, quae non dignitatem, opem atque ornatum ab ea accipiat. Divinis utriusque Codicis libris quod non auxilium haec antiquitatis cognitio affert indagatione et explicatione rituum, legum, opinionum, verborum involucris obscuratarum? Iurisprudentiae quantum non opitulatur eadem, legum ferendarum modis, solemnitatibus, iurisdictionis consuetudinibus, civitatum formis illustrandis? Quantum non debet illi ars medica, quae morborum genera, origines et nomina; quid quaeque radix polleat, ad quos usus herbarum folia pertineant; priscum medendi modum, multaque adversae valetudinis auxilia ab hominibus olim excogitata per eam praecipue didicit? Eidem Philosophia quid debeat, illi grato animo agnoscunt, qui diversorum populorum religionis, Deorum cultus, ritus, opiniones, mores, eius ope vident descriptos, et quasi ob oculos positos. Historiam autem quantopere haec eadem scientia illustret, ornet, monumentis, lapidibus, numis aliisque, hic persequi nec finit tempus, nec instituti nostri ratio patitur. Ex omnibus his vero iam amplissimus antiquitatis campus spectatur, et quot quantasque ingenii et doctrinae copias sibi exposcat, colligi poterit. Ut enim sine ingenio haud ulla disciplina probabiliter excoli queat, ita in hac ingenium requiritur subtile et in iudicando perspicax; eruditio vero ea, quae omnium populorum ac temporum annales, sacra, mores, et quaecumque hoc antiquitatis nomine veniunt, complectatur ac teneat. At hanc scientiam quomodo sibi quis comparabit, nisi historiae conditores, Poëtas, Oratores, Philosophos nocturna diurnaque manu, ut ait ille, versaverit; nec Hellados aut Latii finibus contentus totum pene Orientem pervagatus fuerit, neque Scythiae aut Sarmatiae populos dimiserit insalutatos; neque etiam quid barbarae, quae dicuntur, nationes, quae everso imperio Romano omnem fere Europam occuparunt, e suis moribus ad nostram transmiserint aetatem, sedulo investigarit? Iam vero eum, qui in nulla earum, quas tractaret, disciplinarum, mediocriter versatus esse vellet, Cuperum, an contentum fuisse creditis, si unam alteramve antiquitatis regionem percurrisset? Haud ita, A. A. H. H. imo vero cum vobis, quis tandem egregius sit antiquarum rerum perscrutator, rudi quasi penicillo delinearem, ipsius Cuperi imago oculis atque animo inhaerebat. Legantur eius disputationes de Elephantis, de Harpocrate; legatur

Digitized by Google

eius Apotheosis Homeri; legatur Historia trium Gordianorum; et aut ego fallor vehementer, aut cum Manutiis, Sigoniis, Lipsiis, Ursinis, Salmasiis, Spanhemiis, Fabrettis comparandum earum scriptionum auctorem censebit, quisquis sit harum rerum iudex integer: atque ita censuerunt dudum cum alii, tum celebratissimae illius Academiae regiae Inscriptionum ac Literarum in Gallia socii, qui eum et inter externos sodalem adsciverunt, et mortuum laudatione celebrarunt.

Quem vero magnum in re literaria hactenus vidistis, eundem in rebus civilibus maximum fuisse omnes fateremini, A. A. si praeclaram eius administrandae reipublicae facultatem exponere, et mearum esset virium, et instituti huius ratio pateretur: sed quem magni aestimaret Gulielmus ille Tertius; cui literas ad Imperatores et Reges perscribendas committeret illustrissimus ille Ordinum Foederatorum consessus; ad quem omnes fere Europae Principes ipsi scribere epistolas dignarentur; cui induciarum pacisque foedera faciendi gravissimum mandaretur negotium; quique simul omnium populorum historias haberet cognitas, eum sapientissimum fuisse ac versatissimum in rebus politicis, quis est quin intelligat? Et profecto, quae huius rei exstant in scriptis nondum editis testimonia, eiusmodi sunt, ut huic soli scientiae se dedisse Cuperum diceres.

Restat, ut iam in eo hominem spectemus. Qualem vero hominem fuisse illum creditis, cuius liberale a natura ingenium mirifice expoliverat literarum humanitas? Erunt fortasse, qui, quum innumera eius videant scripta, Cuperum sibi proponant intra musei parietes delitescentem, vitae socialis honestas oblectationes fugientem, nihil aliud, quam studia sua cogitantem, morosum, superbum; verbo, doctorem umbraticum. At quam longe aliud sese hic nobis offert spectaculum: licet enim intentissimus semper fuerit huic literarum studio, quod neque in ipsis castris, neque in gravissimorum tractatione negotiorum intermitteret, ut Gulielmus Rex dicere de eo soleret, literas illas, quarum causam patronus antea suscepisset, eum iam gratiae persolvendae ca sa solari a curis reipublicae, familiarem tamen convictum minime aspernabatur; imo salibus iocisque suis condiebat; lautus et frugalis, ubi res postularet, liberalis erga omnes, amicitiarum diligentissimus cultor, cum Cicerone amicitiam existimans „ eam voluntatem erga aliquem rerum bonarum illius ipsius causa, quem diligas, cum eius pari voluntate:" antiquitatis summus admira-

Digitized by Google

tor, nec tamen sui seculi iustam laudem detrectans; quasi, ut ait Plinius, lassa et effoeta natura nihil iam laudabile pareret: modestus etiam in medio gloriae lumine ac splendore, ut qui profiteretur, se maximam partem sibi legere et studere, contentumque esse tacita quadam eruditionis suae conscientia. Nec minus erga alios disciplinarum cultores eadem semper usus est modestia ac sapientia: nam cum sciret, quamlibet doctissimos viros, ut homines, tamen erroribus esse obnoxios, et probe conscius, ne se ipsum quidem eorum posse esse immunem, aliorum errores ea castigat humanitate et mansuetudine, quae omnes literatos decet, sed quam in plerisque desideres. Hac de re quid ipse sentiret, in quadam sua commentatione sic declarat: „Quod si nonnumquam „a vivis vel mortuis dissentio, et nonnulla auctorum loca aliter, quam illis „visum fuit, explicari debere iudico, id aegre eos, qui adhuc inter mortales „versantur, quique absentium rationes praeferunt, laturos, nequaquam con„fido. — Ego certe a me errores nullo modo alienos esse puto, nec umquam „mihi dolet, aut dolebit, alios in alia omnia transire, et diversas semitas se„qui. Illud tantum optandum foret, ut harum rerum studiosi, et Polyma„thiae, ut sic loquar, sacerdotes modeste aliorum errores et lapsus emenda„rent, — nec inveherentur et irruerent, spreto divino et humano iure, in „eos, qui in ipsorum verba non iurant, nec amplecti possunt ea, quae ipsis „non recte sese habere videntur. Melius certe actum foret cum Musis, ca„stis illis et placidis virginibus, si istiusmodi ingenia numquam ad scribendum „animum adiicerent, vel si in regionibus viverent, a quibus exsulat omnis hu„manitas, omnis elegantia, regnantque mores incommodi, feri et immanes." Hunc locum, paulo longiorem fortasse quam pro nostro instituto, eo lubentius protuli, quod et indolem Cuperi vivis coloribus exprimere, et nostrae etiam aetatis viris doctis, si corrigi velint, prodesse posse mihi videretur. Ipsis autem his verbis, quae ceteroquin nec fucum, neque arrogantiam produnt, non leve pondus accedit ea fiducia, qua illustres duo doctissimique Itali Gisbertum nostrum arbitrum constituerunt litis cuiusdam literariae, quae tum inter eos agebatur, quamque componere frustra tentaverant: quamobrem eum Leibnitzius (at quantus vir ipse!) dicere non dubitat,

„merito cui doctior orbis
Submissis defert fascibus imperium."

Et revera tanta fuit huius viri celebritas, ut Pontifex Max. Rom., quas ad

doctos in Italia homines scripserat Noster epistolas, eas summa cum voluptate legeret, atque adeo excerperet; quin imo Reipublicae Venetae apud Angliae Reginam legatus Daventriam peteret, solius Cuperi visendi gratia, quod idem de alio, Roma profecto, commemoratum legimus: ut idem illud Cupero acciderit, quod olim Livio, ad quem visendum Gaditanum quemdam, nomine et gloria eius commotum, ab ultimo terrarum orbe venisse, memoriae prodidit Plinius.

O vim literarum admirabilem! o dulcissimos doctrinarum et industriae fructus! o docti hominis illustre ac perfectum exemplar! Quibus ego te laudibus, quibus honorum titulis cumulabo? verum tale tibi ipse posuisti doctrinae et virtutis monumentum,

Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, et fuga temporum.

Sed ut, unde orationis initium sumsi, et quo vocat huius diei solemnitas, eo iam revertar, vos denuo compello, Proceres munificentissimi! et summas, quas possum, ago habeoque gratias pro ingenti, quo me iuvenem admodum mactare voluistis honore. Profecto si principibus placuisse viris non ultima laus habeatur, est sane, quod laetus exsultem, quem non nisi de fama vobis cognitum et commendatum hoc tanto munere exornastis. At hoc tamen male me habet, quod sentio, quam parum meae vires, et curta ingenii doctrinaeque supellex sustentando huic oneri respondeant. Verum enim vero, si ardentissimus amor literarum, quo incensum me dudum sentio, si huius, quae et natalem et honorem mihi dedit, urbis fama, per me non minuenda, si denique iuventutis mihi commissae utilitas ad incitandum non ignavum animum aliquod habent momentum, illud sperare me iubet vestra indulgentia, fore ut meum saltem studium atque industriam probetis.

Atque oblata hac occasione non possum, quin huic Athenaeo ex animi sententia novos eosque dignissimos gratuler Curatores, qui tutelam Musarum ita susceperint, ut iure nobis sperandum sit, fore ut illae digno suo honore colantur, et hac in urbe, in qua tam diu benigno hospitio exceptae sunt, potenti porro patrocinio defensae, auctaeque donis atque honoribus, stabiles hic

Digitized by Google

figere sedes gaudeant. Vestrae erit, Viri Gravissimi! humanitatis, decus et ornamentum Athenaei quoquo modo amplificare; sapientiae, consulere posteritati, et dum fata sinunt, videre ne haec tanta civitas exsilio bonarum artium capiat detrimentum; et quemadmodum sine literis doctrinarumque cultura civitas omnis in barbariem necessario delabatur, ita illarum tutamine huic urbi, ea, qua incepistis, vigilantia ut amplius prospicere velitis, communi civium ipsarumque Musarum nomine vos rogamus, obtestamur. Deum O. M. precor, ut vos diu conservet incolumes, beatos, felices.

Vos vero insalutatos dimittere, Clarissimi Professores, Viri Eximii! nec officium sinit, nec grati animi recordatio. Consideranti enim mihi sive aetatem meam, quae, Academico stadio vix decurso, tam excelsum honoris gradum sperare posse non videretur, sive tenuem, si vel ullam, eruditionis laudem, et cum his comparanti vestra in patriam, in literas merita, ruborem saepe iniecit cogitatio, quod Ordini vestro adscriptus, iam non amplius discentis, sed docentis personam sustinerem: nec sine metu me fuisse fateor, ne iuvenem inexpertum vos maturae et aetatis et doctrinae viri minus lubentes in vestrum coetum reciperetis. At vero iam statim a primo ingressu eo in me fuistis animo, ut non tantum collegae collegam salutare, sed amici amicum complecti videremini: quam in me benevolentiam si pari beneficio compensare non possim, haud committam tamen, ut huius indulgentiae vos umquam poeniteat. Scio equidem, qualem in SLUITERO amiseritis collegam, qualem amicum; sed ut eum ob candorem potissimum dilexistis, ita hoc promittere audeo, me nemini in vos aut amore aut studio cessurum. Pergite igitur, Viri Egregii! me, quod facitis, favore prosequi: mihi quidem nihil erit antiquius, religiosius nihil; quam candidum vobis prodere pectus, omnique observantia vestram demereri amicitiam. Tibi autem, Venerande Senex, Clarissime CHERNAC! utinam publice iam gratulari possem otium honorificum; gratulari exemplum munificentiae, quo dum virtus tua honoraretur, aliis ad imitandam eam stimuli adderentur. At si divinare hic licet de nobilissimorum virorum voluntate, brevi futurum auguror, ut hoc tibi vitae cum laude peractae praemium ex merito contingat. Tam tu otio illo diu fruaris ac iucunde; et quod superest aetatis, longo labore vigiliisque consumtae, illud transigas feliciter; nec nisi sero demum, urgente tandem senili fato flecti nescio, placidoque admodum ex his sedibus transitu in alias beatiores pervenias!

Digitized by Google

Quo facilius vero ac iucundius mihi erat clarissimum hunc ordinem salutandi officium, hoc gravius ac tristius idem mihi accidit, quod tibi, BRUEISI Clarissime! vix dicta salute, protinus valedicendum esse sentio. Iam statim enim admirari in te licuit summum ingenii acumen, eruditionem eximiam, animi candorem pene singularem, et cum his omnibus coniunctam eam modestiam, quae virtutis veraeque doctrinae comes est perpetua. Ob has animi atque ingenii dotes cum te merito diligere iam coepissem ac suspicere, ecce sub ipsis muneris mei auspiciis te alio abire parantem bonis cum votis dimittere cogor. Scio equidem, quam non temere hoc a te susceptum sit consilium, quod dissuasisse durum fuerit, reprehendere iniquissimum habeatur: neque minus tamen hoc nos omnes male habet, quod cum tanto bonorum omnium desiderio coniunctum sit tuum illud consilium; quem quidem nostrum dolorem tu pietati facile condonabis. Tu vero macte hoc honore tuo, tamquam vitae bene actae merito praemio, et hanc accipe summam votorum nostrorum, ut quo te amore, qua te observantia cives et discipuli tui hic prosecuti sunt, iisdem porro te prosequantur Traiectini, iisque te divina Providentia cumulet beneficiis, quibus domesticarum calamitatum memoria si non obliteretur, certe multum minuatur. Ita vivas et valeas! quoties autem huius urbis, et eorum, quos hic amicos tibi reddidisti, animum subeat recordatio, eorum in numero me quoque ut habere velis, etiam atque etiam rogo.

Aliquanto laetiori animo iam ad vos me converto, Iuvenes Praestantissimi! Vobis praesertim Cuperi vitam delineandam censui. Vidistis quasi in speculo formam principis in re literaria viri. Vidistis quinam fructus percipiantur e gnava et indefessa literarum exercitatione. Agite igitur, o boni, eximia illa cum Graeca, tum Romana exemplaria, e quibus tamquam fontibus omnis haec, qua gaudemus, ortum traxit humanitas,

Nocturna versate manu, versate diurna.

Novus vobis aperitur campus, ampliorque in hac palaestra cum laude certandi datur facultas. Quasi novam accepimus patriam, et quum omnia fere Patrum nostrorum instituta essent antiquata, optimus Rex noster cum ceteris reipublicae partibus, tum humanitatis studiis bene consuluit: iam non nisi industria et labore probabilis comparari poterit honoris titulus; sed ille labor, sed illa industria maximos et dulcissimos promittit cuique honores. Intelligamus bona nostra, Commilitiones Carissimi! dignosque

nos illis usu probemus, cogitantes quam sit indignum, si maiorum gloriam imminui et obscurari patiamur. Toto incumbite pectore in liberales disciplinas, morumque probitate ac castitate eam tueamini famam, quae semper apud exteros Batavicae fuit regionis. Praeibo vobis non ut magister, sed ut amicus, sed ut commilito, et in praecipua laudis meae parte ponam, si e nostra disciplina exierint adolescentes eruditione probati, moderatione commendabiles.

Faxit Numen supremum, ut haec vota rata sint: ut decus huius Athenaei, huius urbis sic crescat in dies atque augeatur!

I L I C E T.

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

Iis, quibus historia, quae dicitur, literaria patriae nostrae cordi est, non inutilem plane operam facturus esse mihi videor, si, quibus adiumentis in delineanda Cuperi vita usus fuerim, breviter dicam. Ex iis igitur, qui brevem de Cupero notitiam dederunt, in primis nominandi sunt C. SAXIUS in Onom. Lit. T. V. p. 157. FRANC. HALMA in Theatro Belgico, libro vernacule scripto, ad v. NICERONUS T. IV. p. 85. MARTINUS (La saint Martin) in Panegyrica oratione Gallice scripta, quam mortuo Cupero publice dixit in consessu Societatis Regiae Inscriptionum Parisiis a. 1717, et quam repetiit Epistolarum Cuperi Gallicarum editor De B... (i. e. THEOPH. SIGEFR. DE BAYER) Amst. a. 1755. forma quarta, qui et ipse in praefatione sua quaedam de Cupero addidit. Huius voluminis notitia ad me pervenit humanitate Cl. V. Wassenberghii, cui acceptum etiam fero *Thesaurum Epistolicum Lacrozianum*, a IO. LUD. UHLIO editum, in quo multae sunt Cuperi literae ad La Crozium scriptae. BURMANNUS Secundus in Append. Hist. Liter., cuius possessor D. I. LENNEPIUS V. Cl., praeceptor meus numquam sine honore nominandus, cum plurima alia in me contulit beneficia, tum et usum huius libri mihi concessit.

Ceterum eiusmodi sunt haec omnia, ut multum quidem luminis afferrent, sed maiora tamen desideranda relinquerent, quorum adeo scientia aliunde, et ex ipsis Cuperi scriptis, maxime epistolis, tam editis, quam ineditis erat petenda: quod quantum laboris ac temporis consumserit, is intelliget, qui considerat, tota saepe volumina mihi fuisse perlegenda, quae vel sic non raro pauca tantum instituto meo suppeditarent.

P. 600. *Apum instar*) Edideram prius *ad instar*, sed cum hoc culpaverint nonnulli, *ad* delevi, neque ita tamen, ut prorsus me convictum profitear. Pronunciavit quidem sic olim Ernestius, secutus, ut videtur, et vulgo receptum morem, et Servium Grammaticum, qui duobus locis expresse dixit, *instar* praepositionem non recipere. Verum si verba Servii accuratius inspicias, rationem attulit contra ipsum pugnantem. Ad Aen. II, 15. „*Instar*, inquit, nomen est indeclinabile, licet Probus *in-*

Digitized by Google

ſtaris declinaverit, ut *nectaris*, et caret praepoſitione, ut *peregre*, quamvis Serenus *ad inſtar* dixerit. *Inſtar* autem est *ad ſimilitudinem*, unde non *reſtaurata*, ſed *inſtaurata* dicuntur aedificia, ad antiquam ſimilitudem facta." Rurſus ad Aen. VI, 865. „*Inſtar*, ſimilitudo: et est nomen, quod non recipit praepoſitionem. *Ad inſtar* enim non dicimus, quod Probus declarat." Iam igitur ſi *inſtar* est *ſimilitudo* et *effigies*, erit ſane nomen ſubſtantiae, idque verum eſse, ſatis declarare videntur locutiones *inſtar habere*, Vid. Heinſ. ad Ovid. Her. Ep. XVI, 366 *inſtar obtinere* L. 17. Dig. *de mort. cauſ. don.* et ſimiles, ſed praeſertim memorabilis locus Ulpiani L. XXI. § 3. Dig. de Operis novi nunciat. *Sed ſi proponatur inſtar quoddam operis, et quaſi facies quaedam facta operis.* Itaque ex his omnibus ſatis patet *inſtar* eſse ſubſtantivum, denotans *ſimilitudinem*, vel aliquando plus etiam, quam ſimilitudinem, ut arbitratur Boeclerus Ind. in Vell. Pat. Quod ſi verum est, quidni etiam praepoſitionem recipiat? At contra pugnant veterum exempla. Fateor, quod ad pleroſque: Iustinus tamen praepoſitionem addit v. c. XXXVI, 3. *Vallis, quae ad inſtar castrorum clauditur:* Iustinum autem ſaepe ipſius Trogi verba adhibere, omnes ſciunt. Praeſtet ergo fortaſse magis receptum morem ſequi, non illum continuo in vitio eſse arbitror, qui praepoſitionem addiderit.

P. 601. *Iis tempp.*) Natus est Cuperus XIV. Sept. a. 1644. in vico Hemmenſi prope Neomagum. Patrem habuit GULIELM. CUPERUM (*Kuiper*) qui fuit a tabulis eius Collegii, cui cura aggerum est demandata.

P. 602. *Io. Mauritius.*) De eo Vid. SAXIUS Onomaſt. T. V. p. 67. Nuperrime Principis huius merita eleganti oratione celebravit Cl. V. *Io. Gul. de Crane*, edita illa T. I. horum Annal.

P. 602. *Io. Schultingio.*) Ibid. p. 122. Ceteri, minus noti, fuere Chriſtoph. Wittichius, Theod. Cranenius, et Pet. de Greve.

P. 603. *Hogerſio.*) Et de hoc ornamento Athenaei Daventrienſis videndus Saxius p. 112.

P. 603. *Obſervationum Volumine.*) Obſervationum libros tres excuſos Ultraiecti edidit a. 1670. form. 8a quibus dein addidit librum quartum Daventriae 1678.

P. 604. *Diem obiit ſupremum.*) Anno 1716. aet. 72.

P. 604. *Editis ſcriptis.*) Satis accuratam notitiam ſcriptorum editorum Cuperi dedit Niceronus d. l cui adde Saxium.

P. 604. *Locupletiora adſunt monumenta*) Cum laborioſiſsimus ſemper fuerit Cuperus, et nullam non occaſionem arripuerit adnotandi, excerpendi et colligendi ea, quae vel ipſe invenerat, vel ex aliorum obſervationibus ſcitu digna iudicabat, factum est, ut innumera id genus ſcripta post mortem relinqueret. Horum autem pars quidem publice diſtracta, et ubique diſperſa fuit, praeſtantisſima tamen ac maior pars in heredum poteſtate remanſit, et varios ſortita est caſus, e quibus feliciter ſervata posſesſorem iam habet IORDENSIUM (*), virum ut ingenio et eruditione, ita humanitate ac morum ſuavitate praeſtantem, cuius amicitiam me nactum eſse, impenſe mihi gaudeo: huius igitur benevolentia non inſpectionem tantum, ſed et aditum uſumque horum ſcriptorum liberaliter mihi concesſit. Ut autem de praeſtantia horum operum, quibus additus est catalogus ab ipſo Cupero confectus, quodammodo iudicari posſit, paucis, quibus potisſimum ſcriptionibus conſtet collectio illa, monere non inutile duxi. Et

(*) C. A. van Munster Jordens.

Digitized by Google

primum quidem magnum continet epiſtolarum numerum, cum earum, quas ad alios ſcripſit Cup., tum quae ab aliis ad eum misſae ſunt, in quibus recondita latet adhuc ſuper variis rebus, quae vel eruditionem vel res civiles ſpectant, exploratio. Verum difficilem laborem ille ſuſcipiat necesſe est, qui ex iis aliquando quaedam in publicam lucem proferre voluerit, quum multa quoque contineant, quae divulgare nihil attinet; multa, quae alio loco latius et melius auctor explicuit; multa, quae inſecutis temporibus ab aliis occupata iam ſunt, et omnia denique per varias epiſtolas ſunt diſperſa. Deinde alia multa ſunt varii generis opuscula, partim abſoluta, partim etiam indigeſta, plerumque antiquitates illuſtrantia, de quorum pretio ut et penes alios ſit iudicium, nonnullorum titulos, ſicut ab ipſo auctore in catalogum illati ſunt, lectorum oculis ſubiiciam. Pauca tantum, prout prioribus catalogi paginis occurrunt, attulisſe ſufficiat.

„Itinerarium Palmyrenum, Anglice et Belgice. Cuperi et Calkberneri, Conſulis Aleppenſis, epi„ſtolae VII. Sequuntur variorum eruditorum epiſtolae, in quibus inſcriptiones Palmyrenae elucidan„tur — P. Dan. Huetii, Bern. Montfauconii cet. una cum ectypis variorum nummorum Phoenicio„rum. Cuperi notae variae in illud Itinerarium."

„Ordinum Generalium Literae ad Imp. Rom., Reges Sueciae, Poloniae, aliosque Principes, a Cu„pero ſcriptae, una cum reſponſis, numero LII."

„De templis urbis Romae: in quo opere agitur de eorum conditoribus, ornamentis, ſtatuisque, et „quidquid ad eam rem pertinet."

„Collectanea de re navali; de re funebri; de re veſtiaria. III Voll.

„Hiſtoria trium Gordianorum, mirum in modum aucta. II Voll." Huius operis novam editionem parabat auctor, ſed edendi conſilio mors intervenit. Eius tamen editionis promulſidem iam dederat, quae et exſtat in Hiſt. Critica Reip. Liter. (Hiſtoire Critique de la Rep. des Lettres) T. II. p. 197. Longum est omnia recenſere, quae ſecundo volumine tractantur: v. c. de titulis Imperatorum; de praefecto praetorio, vel qualis fuerit praefectus praetorius; de ſigillis Imperatorum Rom., Regum Perſarum et aliorum cet.

„Alexander M. verus et falſus. Opus indigeſtum."

„Notae breves in Varronem. — Voces propriae variis Graeciae populis. De mutatione nominum „propriorum variorum populorum et hominum. Geographia Homerica. Excerpta ex auctore Etym. „M. Catalogus auctorum qui ei laudantur."

„Notae in Val. Max., in Senecam Trag., in Philoſtrati Herodem, in Phil. Iud., in Cteſiae Indica, „et alia multa adnotata in vett. et recent. auctores."

Sed haec, puto, ſufficient, ut omnibus pateſcat, ea, quae ſuper ineditis his Cuperi ſcriptis a me dicta ſunt, non esſe nimis magnifice iactata. Ceterum praeter illa, quae a Iordenſio ſervantur manu Cuperi ſcripta, etiam alia exſtare, argumento ſunt epiſtolae Iano Bergio (Ioan. van de Bergh) Conſuli Leidenſi misſae, et marmora antiqua Papenburgica, quae mecum communicavit vir nobilisſimus et humanisſimus Cornelius Aſcanius Sypeſtenius (van Sijpeſteijn) qui Maiorum ſuorum exemplo ex praeſtantisſima ſua monumentorum, quae patrios annales ſpectant, collectione petentibus omnia promte et alacriter exhibere ſolet.

P. 605. *Quod alicubi ait Tullius.*) Ad Q. fr. L. I. ep. 1. Cum iis, quae de uſu communi linguae Latinae dixi, conferat lector orationem Cl. V. Kemperi, qua Academiam Leidenſem ſolemniter conſtituit p. 31 in nota.

78

Digitized by Google

P. 606. ***Disputationes de Elephantis*** cet.) Prius opus post mortem auctoris edidit Salengrius in Thes. nov. Antiq. Rom. T. III. Disputationis de Harpocrate optima editio est, quae prodiit Trai. ad Rh. 1687. in 4°. Apotheosis Homeri edita est Amst. 1683. 4°. Historia trium Gordianorum, de qua modo diximus, Daventr. 1697. in 8°.

P. 607. ***Induciarum foedera faciendi negotium.***) Vide v. c. Wagenarium Hist. pat. T. XV. p. m. 243.

P. 607. ***Cum Cicerone.***) De Inv. II. 55.

Ibid. *Plinius.*) L. VI. ep. 21.

P. 608. ***Sic declarat.***) In diss. de Elephantis non procul a fine.

P. 608. ***Leibnitzius.***) In epistola ad Cuperum, cuius pars exstat in fasciculo epistolarum a Bayero edito p. 129.

P. 609. ***Legeret atque excerperet.***) Ibid. p. 410. De Veneto legato, nomine Cornaro, et de Romano, nomine Fabro vide ibid. p. 228 et 408.

Digitized by Google

ORATIO

DE

LITERARUM STUDIO IN PRIMIS GRAECARUM CUM IURISPRUDENTIA CONIUNGENDO,

QUAM HABUIT

ADR. CATH. HOLTIUS,

a. d. XXIV Octobr. anni CIƆIƆCCCXVI;

QUUM IN ILLUSTRI ATHEN. DAVENTRIENSI IURIS PROFESSIONEM AUSPICARETUR.

Digitized by Google

Digitized by Google

DAVENTRIAE CONSULES ET SENATORES, VIRI AMPLISSIMI!

ILLUSTRIS ATHENAEI IN HAC URBE CURATORES PRUDENTISSIMI!

CAUSARUM QUAESTOR, PRAESES, IUDICES, TRIBUNALIS QUOD IN REGIONE DAVENTRIENSI EST, VIRI SEVERISSIMI!

QUI COLLEGIIS ILLIS AB ACTIS ESTIS, VIRI CONSULTISSIMI!

ARTIUM DOCTRINARUMQUE PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

DIVINORUM INTERPRETES ORACULORUM, VIRI SANCTISSIMI!

DISCIPLINARUM DOCTORES ET MAGISTRI ERUDITISSIMI!

CETERI LIBERALIS DOCTRINAE CULTORES ET FAUTORES, OMNIS ORDINIS AC LOCI, QUOTQUOT ADESTIS, EXOPTATISSIMI!

BONARUM ARTIUM STUDIOSI, IUVENES LECTISSIMI!

AUDITORES HUMANISSIMI!

Ex quo, post renatas literas, in diverſas ſaepe ſententias itum est de cuiusque doctrinae addiscendae ratione, graves ſubinde quaestiones agitatae ſunt de meliore ſtudio iurisprudentiae. Hanc alii, omnium artium quae ab humanitate appellantur auxilio indigere, alii iisdem artibus corrumpi, et a vero ſuo conſilio abduc ,

Digitized by Google

contendebant. Inde controversiae, partes, sectae, quae multum abest ut veri semper studio cernerentur, exstiterunt.

Nostra vero aetate, postquam Realistae atque Humanistae, (hisce enim nominibus utebantur qui barbaram rationem propugnabant), abierunt iam dudum, *quo Tullus dives et Ancus*, universe quidem constat, magnam esse literarum humaniorum vim, cum in unumquodque disciplinarum genus, tum in iurisprudentiam. Verumtamen, vel hodie etiam, de ratione qua utrumque studium rite coniungatur, non semper eadem est omnium sententia, et quod Graecas in primis literas attinet, verbis quam re magis consentire videntur.

Alii enim Graeca commendare solent, (sunt autem liberaliores), eo duntaxat, quod ad antiquitatis Romanae studium magnopere iuvant; alii, quod plurium Novellarum in corpore iuris constitutionum textus, et Basilicorum libri, Graece scripti sunt. Quasi scilicet is operae pretium facturus sit, qui ad haec unice legenda, linguam Graecam addiscat.

Equidem ita semper existimavi, inreconsulto Graecas literas non minore studio, quam Latinas esse prosequendas. Etenim videbam continuo, quotquot aliquando civilis prudentiae fama inclaruerant, hos non modo Latinis literis, sed plerosque etiam Graecis, sedulo operam dedisse; et qua ego iuris institutione ipse usus sum, ea hanc unice viam, tanquam utilissimam eandemque iucundissimam, indicabat.

Inde factum est, ut cum eandem in nobili illo edicto de institutione publica, quod anno superiore benignissimus princeps constituit, confirmatam et sancitam viderem, non possem non patriae meae gratulari, quae iam pristinae gloriae spem recuperasse videbatur; praesertim in iurisprudentia, qua maiores nostri, quam haberent Rempublicam armis partam, legibus stabilire, et sapientiae suae fama immortalem reddere potuerunt. Atqui hoc grato sensu multo magis etiam commovebar, cum mihi, fateor praeter merita, ex amplissimi huius senatus munificentia contingeret, ut illius praeclari instituti particeps fierem, et iuris docendi provincia in illustri hocce Athenaeo, tantis nominibus claro, ornarer. Quam iccirco, more veteri, oratione auspicaturo, non incommodum mihi visum est dicendi argumentum, iuris studii cum utroque literarum genere societas. Itaque verba faciam: *de literarum studio in primis Graecarum cum iurisprudentia coniungendo.*

Digitized by Google

Huius autem argumenti, A. A., partem aliquam illa video obſervatione contineri, historiam cuiusvis doctrinae, optimam eſse eius interius percipiendae rationem. Investigando enim quibus ex initiis, per quas vicisſitudines, eius conditio praeſens exiſtiterit, ultro eo adducere, ut quaeras quae de eius natura homines variis temporibus opinati ſint, quibus ſubinde principiis totam doctrinam, tanquam fundamento ſuperſtruxerint, quemadmodum ſingulas eius ſententias regulasve inde deduxerint, quibus adiumentis et opportunitatibus uſi ſint et adducti, ad eas inveniendas. Ita apprime poteris intelligere, quid maxime valuerit ad illam provehendam, eamque rationem ipſe ſequi; ita errores quibus aliquando depravata fuerit aut retardata, cognoscere, eosque cavere; principium quod firmum ſit invenire, quod ei conveniat ſeligere, ſeponere, ordinare; quod disciplina tua alienum asciverit reſecare, quod ei exciderit vindicare; atque ita tibi imaginem eius animo inſigere ſuis partibus abſolutam, quae ſimplicitate pariter placeat ac varietate, quaeque aeternas veri leges exprimat.

Quod, ſi univerſe probabile ſit, maxime etiam de iurisprudentia valere puto. Illam enim, qua hodie Europae populi utuntur, eſse ab antiquitate profectam, neminem fugit. Ius civile Romanum omnes ſive immutando fecerunt patrium, ſive in ſuarum legum ſubſidium ſolent adhibere. Eius regulis etiam nunc tam interpretandi, quam iudicandi, pasſim ſtrepunt tribunalia; auctoritatem eius ipſi legum conditores continuo ſequuntur. Hinc merito et maiorum et nostra quoque memoria, ſemper ius Romanum in univerſae iurisprudentiae proluſione poſitum est. At quum ſit illud e Graecis non minus quam e Romanis fontibus ortum, legibus et ſcriptis iureconſultorum congestum, non unius ſaepe ſaeculi intervallo a ſe invicem remotis, et non uno Reipublicae ſtatu latis et compoſitis: quomodo velis ad eius notitiam pervenire, ſi in omnes antiquitatis receſsus non penetraveris, ſi linguas Graecam et Latinam non ſedulo didiceris, mores populi, cultus incrementa, fata eius, et converſiones in Republica, quae tanta univerſae Historiae pars ſunt, non pervestigaveris, verbo, ſi quidquid hodie humaniorum nomine literarum continetur, omni mentis intentione perſequendo, non ipſe quodammodo antiquus factus fueris?

Quodſi ex ipſis fontibus ducere iurisprudentiam velimus, é dictis iam patet, A. A., antiquas literas, nec minus Graecas quam Latinas, ſedulo eſse tractan-

das. Sed est alius etiam, longe uberrimus earundem literarum fructus, qui ipſa cernitur hominum gentiumque perfectione.

Eo ferri tempora nostra puto, ut internam aliquando hominis rationem civitatis leges referant, ut utilitatem non ſolum, aut plurimorum voluntatem reſpiciant, ſed ad humanae naturae dignitatem tuendam, quae libertate conſiſtit, tanquam ſummum finem, contendant. Huius ſane imperii tempus nondum venit, ſed propius abeſſe multa declarant. Monuit quidem ultimum ſuperioris ſaeculi vicennium, verum homines ſuae libertatis uſum nondum noſſe: at fracta etiam ubivis tyrannis, abolita, frustra renitente avaritia dominorum, ſervitus, reges virtutis foedere iuncti, creſcentem ſaeculi humanitatem arguunt. Leges igitur ſi ad humanam dignitatem et rationis praeſtantiam nondum conformari poſſunt, homines ſunt ad legum emendationem informandi. Ab eruditione et inſtitutione, priorum temporum medela iam repetetur, atque unice expectabitur. Iccirco illa non ita deinceps erit comparata, ut privatas utilitates, quaeſtum, mercaturam, artem, munus quoddam aut officium ſpectet, et iuvenes ad eam metam delati finem iam attigiſſe inſtitutionis ſuae ſibi videantur: ſed id agetur, ut qualicumque ſe arti vitaeve rationi addicant, in quacunque ſive privata ſive publica conditione verſentur, optimi ſemper homines et ſint et habeantur. Ita inſtituentur, ut ipſis totius vitae curriculum ſua ſchola ſit, quo ad humanitatem et naturae ſublime conſilium continuo evehantur. Quod ut fiat, mature et a tenera inde aetate in iuvenum animis excitabitur ille pulcri venustique ſenſus, quo, tanquam vinculo, naturae conditor in homine rationem et cupiditates, quantumvis ſibi adverſantes, conſociari voluit, ut utraeque facultates ad eius perfectionem conſpirent atque conſentiant. Ille autem pulcri ſenſus, cuius tanta vis est in homine erudiendo, viguit inter Antiquos; illo ad nil non praeclarum et ſublime patriae, virtutis, honesti cauſa ſuſcipiendum, incitabantur. Cernitur ille in eorum moribus, legibus, opinionibus, univerſa vita; ſpirat adhuc cum in iis artis operibus, quorum reliquiae omnium omni post tempore et mentes et oculos defixos tenuerunt, tum ſcriptis illis, quorum monumenta, tanto ſaeculorum ſpatio, multi quidem admirati ſunt, nonnulli etiam imitati, aequare vero adhuc potuit nemo.

Illam autem Graeciam penitus fuiſſe ab omni recentioris Europae ratione diverſam non infitior, neque is ſum qui eam dicam in omni genere nostri tem-

Digitized by Google

poris hominibus palmam praeripuisſe. Solummodo dicam: ſi pulcritudo ſit tam potens virtutum effectrix, Graeci autem prae caeteris tam antiquis quam recentioribus eam ſenſerint atque expresſerint, a Graecis literis esſe omnem animi ingeniique cultum repetendum. Haud facile haec eorum praeſtantia in dubium vocabitur; ſed quo interius percipiatur, in eius nunc cauſas oculos coniiciamus: ſic ſimul apparebit, quid ita Antiqui et Recentiores differant, quibusque illi felicisſimis opportunitatibus ad tantam ſui perfectionem pervenire potuerint.

Graeci ab ipſa natura acceperunt prima humanitatis ſemina. In terra habitabant amoenisſima, celſis montibus distincta et vallibus perpetuo vere florentibus; ubi mitisſimo coelo et luxuriante ſolo uterentur. Cuius iucundisſimae naturae cum intima ſamiliaritate, et ut ita dicam, necesſitudine verſarentur, ut primum ſenſibus percepta verbis exprimere ſtuderent, fieri non poterat, quin continuo imaginibus a naturalibus rebus deſumtis, affectus istos exprimerent. Progresſi deinde ad notiones rerum incorporearum, divini numinis, animi facultatum, naturae virium nondum intellectarum, et quaecunque communis vitae experientiam excederent, eandem rationem ſervarunt, ſed pulcriorem illam fecerunt et augustiorem. Sic ſenſim ſenſimque doctrina illa mythologica exſtitit, omnisque rerum natura veluti frequentata est illa deorum heroumque familia, quae Veterum poëſi tam lâetos affudit colores; quos Recentiores, non eodem quo illi ſenſu moti atque inſpirati, nequicquam imitari conantur. Atque ita factum est, ut naturae res ad ea quae mente concipiuntur transferrent, eas nobilitarent et ſublimiori forma induerent; mente vero concepta ad naturam accommodarent, eisque materiam attribuerent: qua ratione felix illa apud ipſos naturae et mentis coniunctio exſtitit, qua pulcrum quodvis et praeclarum concipere et exprimere potuerunt.

Praeterea vero Graecis neſcio quo fortunae favore contigit, ut populi, ipſo iuventutis flore, ſuam humanitatis vitam vivere inciperent, cum animi et corporis facultates illis integrae etiam tum erant et infractae, cum ſummo libertatis ardore inflammati nil non magnum continuo appetentes, belli gloriam nullo non periculo, morte etiam, redimere audebant. Admirabili huic felicitati Homerum et Pindarum, Herodotum et Thucydidem debuerunt, ea iam populi aetate florentes, qua Recentioribus denſa barbarie obrutis, feritatem ſuam ſocietatis fructu mutare, nondum in mentem venerat. Hi enim neque ex iisdem initiis quibus illi profecti, neque eadem via progresſi ſunt. A religione maiores

noſtri ſuum ingenii cultum acceperunt, ſimplici quidem ea ac ſublimi, ſed in homines incidente ad eius praeſtantiam percipiendam parum idoneos. Hi ritus et caerimonias pro vera doctrina conſectantes in nullas non ſuperſtitiones lapſi ſunt, quibus eam brevi incredibiliter depravarunt. Itaque factum est, ut ſacrorum et religioſae vitae male ſtudioſi contemnerent continuo, quidquid huius vitae erat, quidquid ſenſibus gratificari, et a coelesti itinere animum abducturum videbatur. Sic totos ſe ad contemplandum et meditationes, quotquot aliquo lumine collustrari coeperant, converterunt. Quo quidem pravo religionis ſtudio impellebantur continuo, ut ſolitudines peterent, et ab omni hominum conſortio remoti vitae futurae perpetuo inhiarent, peccata peregrinationibus et laboribus redimerent, armati in longinquas regiones ruentes coeli ſibi viam munire viderentur; artium vero, Historiaeque ſtudio, non poterat in his animis locus ſuperesſe. In eo genere tum demum proficere aliquid coeperunt, postquam deferbuerat iam multum ille religionis ἐνθουσιασμὸς, cum in Italia primum, et uno alteroque ſaeculo post in Francia caeterisque Europae regionibus, antiquarum literarum, praeſertim Graecae linguae, ſtudium natum erat et in dies creſcebat. Tum vero iuventutis ἀκμὴ populorum iam cesſaverat, morum ſimplicitatem, quae ingenii cultum videbatur exſpectare non posſe, luxuries et mollities exceperant. Manebat interea originis et primi impulſus vis et efficacia, alio tantum converſa, alia arripiens. Quae hactenus ad ſacrarum literarum dogmata et religionem inclinaverant hominum ſtudia, iam in naturae arcanis explorandis atque extricandis philoſophiae ſubtilitatibus tota fuerunt. Hinc etiam philoſophia nostra aetate, posteaquam iam dudum omne humanitatis lumen quaquaverſum diffuſum erat, tantis brevi incrementis aucta fuit, ut niſi infinitum esſe humanum ingenium cogites, ultimos illam prope ſui terminos attigisſe, nec posteritati quidquam reliqui fecisſe existimaveris.

Ex illa igitur diverſa Antiquorum et Recentiorum proficiendi via et ratione, ex illis diverſisſimis quibus uſi ſunt opportunitatibus, effici quodammodo poterit, quid de utrisque ſit existimandum. Quidquid naturam refert et a naturae imitatione ſuam praeſtantiam habet, in eo Antiqui; quidquid vero intima tantum cognitione, attenta animi cogitatione asſequi licet, in eo Recentiores esſe principes videntur. Illi artibus, poëſi in primis et eloquentia, hi naturae ſcientia, historiae veritate, philoſophiae ſubtilitate praeſtant. Paucis, elegantiae illi, hi diligentiae laudem meruerunt. Caeterum ut Antiqui acerrimo illo valebant pul-

Digitized by Google

cri venustique ſenſu, ita placere non potuerunt Recentiores niſi illorum ſtudio exercitati. Pictura enim et ſculptura illi maxime excelluerunt, quibus magis quam caeteris antiquae artis monumenta in oculis erant; eloquentia et poëſi qui ſe Veteribus informandos tradiderant. Celebratisſimus Italiae poëta Petrarca, idem fuit Latinarum literarum in patria ſua inſtaurator. Boccacius patria oratione inter ſuos homines hactenus princeps, Graeca exemplaria et legendi et colligendi ſtudioſisſimus erat. Franciae ſcriptorum elegantisſimorum cohortem non enumero: ſunt enim in manibus omnium; neque Anglorum ſuperioris ſaeculi, aut Germaniae novisſima aetate praeclara ingenia. Nostri homines non uno in genere quot et quanti fuerunt! omnes autem nocturna diurnaque manu veterum volumina verſabant.

Patere arbitror A. A. ex tota hac nostra disquiſitione, qualis fuerit antiqua illa Graecia, quam Graecis natura disſimiles fuerint recentiores Europae gentes, quamque neceſse ſit, ut antiquis tractandis monumentis et pulcri imbuamur ſenſu et ad verum proficiamus cultum atque perfectionem. Uberius autem hac de re dixi, quandoquidem iurisconſultus, qui vere ſic vocatur, unus in paucis maxime erudiendus excolendusque videtur. Etenim non intelligimus hoc nomine iuris legumque peritos, qui in cauſis agendis eximie verſantur: illos ſignificamus *iurisconſultos*, qui et hanc bene teneant diſciplinam, et ſimul res univerſe ac iura gentium interius perſpicientes, vel ipſi rebus politicis praeſunt, vel iuvenes ad publica obtinenda munera informant, omninoque principibus quibusque viris conſilio ſuo et prudentia proſunt. Huiusmodi ſane iurisconſultos, ut nomen revera ſuum tueantur, prae caeteris plerisque hominum generibus excultos eſse oportet. Scilicet intereſse puto, ut in primis humani et ſapientes ſint ii, a quibus plurimi pendeant, ut qui plus posſunt, ii etiam plus nôrint, et quorum curae Respublica committitur, ii et rerum et hominum rationes plurimum perſpectas habeant. Quoniam autem omnis Reipublicae recta procuratio in iustitia atque aequa officiorum distributione verſatur, nostra aetate, cum tam varia ſint et multiplicia negotia publica et privata, omniaque in dies ſubtiliore ratione agantur agendaque videantur, invaluit, ut iureconſulti maxime apti dignique ad illam procurandam haberi ſoleant, et eorum ductu qui prudentia civili non pollent ſeſe continuo adiuvari patiantur. Cui est conſequens, ut rectane deinceps an prava Reipublicae administratione, bonis an malis legibus, iustis an iniquis iudiciis, verbo, ſocietatis huma-

Digitized by Google

nae commodis, necne, ſimus uſuri, ab ipſorum inſtitutione iureconſultorum vel liberali et humana, vel illiberali et mercenaria exſpectandum ſit.

Primum igitur iureconſultus, qui ſevera ratione, quemadmodum nunc conſtitutum est, proficere ſtudet, cum Cicerone (1) *iuris conſtituendi exordium ab illa lege capiet, quae ſaeculis omnibus ante nata est quam ſcripta lex ulla est, aut quam omnino civitas conſtituta.* Ante omnia in humanam naturam inquiret, eius facultates, deſideria, motus, actiones, et quid tandem, ratione iudice, homo ab homine expoſcere posſit, definiet. Sic obligatione naturali metietur leges civiles, eamque ſibi normam conſtituet, qua primario loco diiudicet hominum negotia; ſic item gentes qua inter ſe mutua conditione, quaque agendi ratione uti deceat, intelliget. Ad hoc autem ſtudium ſi veterum, praeſertim Graecorum, lectionem adhibeat, quam utile erit illud ipſi, quamque patriae fructuoſum! Apud veteres vita privata erat cum Republica arctisſime copulata: quidquid ad patriam pertinebat, id cuncti cives ſuum esſe, et ipſos non minus ſingulos, quam univerſos ſpectare existimabant. Patriae amor ipſis antiquior erat, quam parentum liberorumque pietas aut caritas coniugum. Eius gloriam ſuae quisque auctoritati, potentiam privatis opibus anteponebant. Quidquid eius cauſa ſuſciperent, id ipſi prodesſe videbant, atque omnium ore audiebant celebrari: in patria omnino diligenda ſuam quisque vim maxime ſentiebat. Accedebat plenisſima ſingulorum hominum, plenisſima populorum libertas, qua omnes Graeciae civitates inter ſe coniungebantur. Hinc cogitandi facultas ut ſe primum in hominum animis exſereret, Rempublicam omni intentione amplectebatur, neque hominem niſi cum civitate coniunctum conſiderabat. Ita ſententia conſtitit inter omnes, ad hominis exemplum Rempublicam conformandam atque procurandam esſe. Notio iſta dominatur in illa optimae civitatis effigie quam a Platone adumbratam habemus, cuius philoſophia politica temporis olim ſuperſtitione vel neglecta vel depravata, reviviſcere deinceps in cultioribus populis coepit; et magis magisque, uberiore veluti in ſolo, in animis hominum radices agere, fructusque aliquando uberrimos latura videtur. Ea enim continetur, et mirifica ac ſingulari plane orationis facundia exprimitur, coniunctio illa repugnantium in homine facultatum,

---

(1) *De Legibus.* Lib. I. C. 6.

Digitized by Google

rationis atque cupiditatum, cuius solum ope iustae civitatis iusti esse cives possumus, praeterea nulla. Spirant haec placita in plerisque Ciceronis scriptis, maxime in libris eius de Legibus, omnesque illa hodie melioris notae iureconsulti maximopere demirantur. Quodsi haec Platonis philosophia, quam aegri capitis somnia nimis diu profecto multi putarunt et etiam nunc putant, ad nostra tempora accommodata veluti postliminio revertetur, nemo erit in posterum iureconsultus, nisi qui de stillicidiis unice aut tigno iuncto cogitat, qui non otii sui et industriae partem eius studio deberi putet. Hocce vero studio fiet, ut quibus leges interpretandae atque applicandae committuntur, ii etiam dum caussas legum considerare discunt, legesque emendandi et ad crescentem humanitatem conformandi auctores esse volunt, illa simul imbuantur prudentia, moderatione, constantia, iustitia, virtute, sine qua tanta res suscipi nec debet nec potest.

Leges autem emendare et ad procedentem humanitatem conformare, hoc nimirum nobile constituit vinculum, quo cum philosophia et omni doctrinarum genere iurisprudentia copulatur. Quidquid illa pervestiganda humana natura invenerit, explicuerit, praeceperit, id iureconsulti est, ad vitam communem accommodare et veluti sanciendo confirmare, ut quod hactenus intimis animi recessibus erat abditum, eius ope evigilet et agat. Non igitur sufficit omnem cogitandi vim ad aeternas rationis leges, quibus actiones hominum regi debeant, adhibuisse, sed societatis civilis cognitio industriam nostram sibi proxime vindicat.

Et sponte ita accedimus A. A. ad Historiae disciplinam, qua non minus profecto quam Philosophia imbutum esse decet iureconsultum: imbui autem rite non potest, sine iusto antiquarum literarum studio. Etenim cum non ita comparata sit natura nostra, ut intellectu tantum et iudicio qualemcumque artem assequamur, in iurisprudentia in primis tractanda ad saeculorum nobis experientiam confugiendum est, et Historiae auxilium arcessendum. Verum enim vero quantum interest ad huius disciplinae fructum, ut de eius studio recte existimemus! Certe, si Historiam, tanquam factorum longam seriem et temporum diligentem enarrationem, annorum numeris veluti punctis interstinctam, consideramus, non erit sane eius usus qui tantos labores compenset. At, si rerum caussas ex ipsis monumentis, et ubi illa deficiunt, (deficiunt autem saepe), caute et prudenter analogia et similitudine exquirimus; si iis rebus naviter in primis operam nava-

Digitized by Google

mus, quae in praesentem populorum conditionem vim et efficaciam habuerunt; si eo semper annitimur, ut quod fortuito eventu exstitisse videtur, e rerum humanarum conditione explicemus, ac, Polybiana ratione mentis nostrae imperio experientiae regiones subiiciamus, tum demum docebimur, tum vero delectabimur Historia. Illustrat ita ingenium nostrum, et inflammat animum honesti ardore. A vulgari et humili rerum aestimatione mens desuefacta, cum veluti in tabula picta temporum et populorum imagines contempletur, temere atque illiberaliter aetatis opinione quidquam metiri, aut sua utilitate ponderare, dediscet. Historia hominem coniungens cum antiquitate remotissima, eum simul mentis acie futuris interesse saeculis permittit. Sic breve vitae spatium producit, eius fines ultra profert, ac populorum interitum, hominum genere servato, quod immortalitatis simulacrum est, consolatur.

Ita de Historia existimarunt Veteres. Hanc eius imaginem adumbrarunt scriptis ipsi suis antiqui Historici. Nec est sane, A. A., ut his eius laudibus aliquid addam. Vetat enim cum praeclarissimae disciplinae maiestas, tum infantia mea. Et sponte videtis, lucem hancce veritatis, testem temporum, vitam memoriae, magistram vitae, nunciam vetustatis omnium minime deesse oportere iureconsulto. Illud vero nobis non praetermittendum, huic in primis ex ipsis fontibus ducendam esse omnem Historiae cognitionem. Iureconsulti enim, si cuiusquam, interest, ne incerta sit et fluctuans sua scientia. Ei, si leges Romanorum nosse debet, historiam Romanam ignorare non licet. E conditione Reipublicae pendet legum ferendarum ratio, ad eam saepe ipsae leges aut unice pertinent, aut duntaxat respiciunt; legibus fortuna publica, bella, seditiones, patrum insolentia, plebis licentia, aerarii inopia, severitas aut corruptela morum, alia quaevis causa, plerumque ansam dedit. Haec autem a scriptoribus Romanis non eadem, sed ab aliis alia ratione memoriae prodita esse, neque ipsis omnia, sed maiorem etiam partem Graecis deberi, novimus. Ergo omnes diligenter explorandi, nec Latini magis quam Graeci legendi sunt, si quidem auctoritatem cuiusque scriptoris aestimare, si verum undecunque eruere oporteat. Livium continuo legimus et Tacitum, utrumque sane cum magna tam voluptate quam utilitate; Velleium etiam, Florum, Suetonium, alios, neutiquam negligendos. Attamen quantum abest, ut ex hisce historia Romana percipi possit! Antiquissima eius aetas sub regibus, Dionysio Halicarnassensi fere debetur et Plutarcho; bella Punica probe demum cognoscimus, Livii narrationibus cum

Digitized by Google

Polybio comparatis. Quis enim a Romanis res Romanas vere ſcriptas esſe, aut etiam ſcribi potuisſe putet? Quantopere alius patriam celebrandi, alius principi adulandi ſtudic indulſerunt! Magna est merito apud nos auctoritas Hoofdii et Wagenaerii: at ſi hos de rebus maiorum memoria gestis ſolos conſulueris, Thuanum vero, Stradam, Burgundium, Meurſium, Hopperum, caeteros, neglexeris, vide ne ſubinde avorum laudes edidicisſe magis, quam res eorum pervestigasſe videaris.

Sed alio etiam nomine Graecorum ſtudium Historicorum iurisconſulto ſe commendat, vel nulla habita iuris Romani ratione. Fuit illa Graecia quae nunc barbarie oppresſa iacet, ut ſupra diximus, libertatis olim ſedes, et liberis civitatibus communi foedere conſociatis plena. Felicisſima profecto opportunitas, quae ad legum et Reipublicae ſtudium, ad artem omnino politicam, animos hominum ſua ſponte converteret! Huic vero ſtudio uti Platonem debemus et Aristotelem, ita, cum cogitatis dictisque hominum raro ſua in populum vis deësſet, in leges civitatis et regiminis formam iam mature multum valuit. Ita factum est, ut leges istae Antiquis imitatione, Recentioribus omni cura et labore dignae ſemper habitae ſint. Lycurgi et Solonis inſtituta a ſe invicem non minus quam a nostra ratione diverſisſima, a renatis inde literis, Philoſophis, Historicis, Iurisconſultis et Politicis admirationi et ſtudio fuerunt et etiam nunc ſunt. Machiavellii, Grotii, Montesquivii, Humii, Schilleri ſcripta innumeras continent obſervationes, comparationes, regulas et concluſiones, e Graecarum legum ſtudio natas. Illorum tamen curas iureconſulto plane ignorasſe, non est turpius, credo, quam auctoritatem ſequi ſemper, et linguae inſcientia, tanquam magistrorum in verba iurasſe, periculoſius.

Audire aliquem hic mihi videor dicentem, peritos esſe posſe iureconſultos Graecarum literarum penitus ignaros, contra Graeca probe callentes, iuris tamen parum conſultos. Fateor: imo affirmo, excellentes nonnunquam fuisſe iureconſultos, qui non esſent Graeca docti. Sed attendas accuratius eorum ingenia, ſtudia, labores: videbis totos ſe illos inſinuasſe in antiqui aevi mores, conſuetudines, cogitandi, ſcribendique rationem: et quam Graecos non legentes ſcriptores, quod inſtitutionis vitio non poterant, illa ſtudioſisſime tractasſe Latii monumenta, quae Atticae rationem et veluti ſalubritatem maxime ſpirarent. Probarunt ita ſtudiis ipſi ſuis, quantae ſit iureconſulto utilitatis, Gracarum literarum non esſe expertem. Quod autem dicitur, Graece reperiri peritisſimos, qui parum ſint iure conſulti: doleo, ſed quis tandem contendat ſufficere ad iurispru-

dentiae facultatem Graecae linguae peritiam? Neque magis moveor eorum ſententia, qui verſionum ope ſcriptores Graecos legi ſatis commode et intelligi posſe opinantur. Etenim qui ſic existimant, non vident, quam ſit vanum de eo quod ignoras iudicium, deinde ipſorum qui verterunt conſilium neſciunt. Verſiones illae, egregiae ſubinde, eorum quidem causa magnam partem compoſitae ſunt, qui non posſunt ad fontes recurrere, non ideo tamen, ut illi ne fontes istos deſiderent: ſed ut derivato ex fluvio gustantes, limpidioris amnis lymphas ſitiant, ut rerum gravitate, orationis ſpecie excitentur ad interiorem ſibi earum cognitionem comparandam, et nativos imaginum colores contemplandos. Et vero ſi quis Graecorum librorum verſiones omnino ſufficere contendat, quidni idem de Latinis affirmet? Et hos etiam plerosque pulcra, ut aiunt, veste ornarunt Recentiores. Ipſarum adeo Pandectarum verſiones Francicae et Germanicae cum diligentia et fide conſcriptae extant. Sed haec mittamus et nostra deinceps via procedamus.

Ut tantae ſunt cum utilitatis tum necesſitatis rationes quae iureconſultum impellant, et cogant paene, ut literarum ſocietatem ad iuris et publici et privati ſtudium conferat, utriusque item iuris tractationem, ſive ea forenſis ſit, ſive media in Republica verſetur, literae illae egregie amplificant. Virtus enim eximia illa, qua Antiquitas univerſa prae Recentioribus excellit, nullo in genere magis cernitur quam eloqentia. Quod quidem nemini mirum videbitur opportunitates huius artis reputanti, quae apud Veteres tantae fuerunt, apud nos fere nullae ſunt. Apud illos in concione populi audientibus aliquot hominum millibus dicebatur. Populo flectendo oratores Rempublicam moderabantur, et ſibi ſummos honores inter aequales, immortalitatem apud posteros pariebant. Quanti ſtimuli ad omnes animi facultates intendendas! *Demosthenem audiendi cauſa concurſus fiebant ex tota Graecia* (2); dicendo ille univerſae Graeciae vires unus oppoſuit Philippo (3); dicendo idem immortalitati commendavit nomen ſuum. Accedebat materies, ſive de Republica, ſive apud iudices diceretur, liberior, et ut ita dicam, ſolutior. Rerum administratio ſimplex erat et paucis legibus adſtricta; ab opinione et voluntate populi pro re nata iubentis plerumque pendebat. Quam ſecus hodie! Omnia legibus prae-

(2) Cic. *de claris Oratoribus.* (3) Plutarch. *Demosth.* Cap. XVII.

Digitized by Google

finita, diligenter composita, veluti machinis moveri atque dirigi videntur. Omnia divisa atque disfecta habemus: singula in suo genere perfecte exculta, parum tamen ad totius consensionem conspirantia. In suo quisque munere gerendo versans, ad munus istud suas ingenii vires confert, tanta plerumque eius cura occupatus, ut cuius illud pars sit raro videat, et communis omnium consilii immemor, utilitati alicui, eique satis humili saepe, toto pectore incumbat. Cuius utilitatis studio eo adducimur, ut patriae fere obliti nobis ipsi unice, aut quo nomine res illa honestari solet, familiae nostrae, consulamus. Consequens est, ut, cum de eo quod non sentitur, dici desierit, eloquentiae civili digna materies deficiat, atque nobilis illa ars inter Recentiores iacere prorsus videatur. Verumtamen caveamus, ne ideo illam aut omnino supra nos positam, aut iam inutilem factam esse opinemur. Si dicendi desit, scribendi manet copia et materies, et latius haec hodie patet et uberior est, quam fuit apud Veteres. Hi Graecis et Romanis dicebant, nobis commercium omnium gentium ubivis terrarum patet. Horum egregia in quovis genere opera multa aetatem non tulerunt; nostra quidquid oblivione eximi meretur, arte typographica quaquaversum defertur, et ab interitu, ut iure speramus, vindicatur. Neque semper dominabitur abiectum illud utilitatis studium, quod prava philosophia et rerum divinarum contemtus genuerunt. Libertate in Europa restituta, omnibus culturae impedimentis quae tyrannis struxerat remotis, saniores notiones existunt in dies et longe lateque propagantur. Principes et reges doctrinam provehunt liberaliter atque defendunt: eius ope religio, mores, ius, suam sedem in hominum animis recuperare debent et possunt. Hoc autem iuvare liberale consilium, idque in Republica procuranda, et legibus ferendis atque interpretandis omni ope provehere, in primis decet iureconsultos. Quod ut fiat, illa sane ars nobis curae esse debet, quae tota ad persuadendum est comparata. Exulare debet rabularum deformis oratio foro et conciliis: simplex illa substituatur et elegans, qua veteres Graeci et Romani hominum intimos animi sensus movere, et, quae sola iusta est eloquentiae vis, persuadendo sibi subiicere solebant. Legamus igitur atque sedula manu tractemus exempla illa, in quibus tanta formae maiestas enitet. Et vero sic ea tractemus, ut tantae sensu perfectionis imbuti, illud semper intueamur pulcrum, quod in omni genere inest, quodque, ut eloquentissimus ille Romanorum: „ne-

„ que oculis, inquit, neque auribus, neque ullo ſenſu percipi potest: cogitati-
„ one tantum et mente complectimur." (4)

Huiusmodi esſe videtur, A. A. quae iurisprudentiae cum literis intercedit, necesſitudo. Nec vero minus literis prodest iurisprudentiae, quam iurisprudentiae literarum ſtudium. Sed, ut hoc a propoſito argumento alienum est, ita ſilentio non praetermittendum, utraque haec ſtudia pari habenda esſe honore, nec, ut nonnullis placet, alterum alteri ſervire. Parum profecto liberaliter ita de praeſtantisſimis rebus existimemus. Equidem cenſeam neutrum neutri praeferendum, utrumque eodem animi ardore amplectendum esſe, nec mehercule a iureconſulto magis humaniores literas, quam ipſam humanitatem, ſuae disciplinae famulas haberi oportere. Sed ne provinciae meae fines transgrediar, eo nunc accedo quo tempus et officium iam dudum me vocant.

Vobis primum, Curatores amplisſimi, qui tanto me honore ornastis, religioni habeo ostendere, quid me debere putem. Munus quod vobis deferentibus accepi magni facio. Nimirum disciplinae inſtitutio mihi delata est, ad humanitatem literarum connubio propagandam comparatae. Studium ſane gravisſimum, in quo hominis aetas facile conſumatur: ſed ſua etiam amoenitate eum recreans continuo atque reficiens. Equidem ingenue fateor, nihil optatius mihi accidere potuisſe quam ut in illo ſemper ſtudio verſarer, praeſertim ea, quae nunc mihi data est, opportunitate. Generoſae iuventuti, quae Reipublicae ſe et iustitiae addixit, comes et dux additus ſum. Sic doctrinas illas, quas hactenus alio ſaepe avocatus, ſubſecivo tantum tempore et feriando tractare potui, posthac unice proſequar. Quidquid profecero, continuo in aliorum utilitatem conferam; quidquid ex legibus et ſcriptoribus haustum meditando meum reddidero, omne id ſemper cum aliis communicabo, ea ſpe gaudens, non omnia intra parietum umbram occulta fore, ſed ad vitae uſum et hominum emolumentum aliquantulum collatura. Hac ego ſpe inductus, neque labori, neque tempori, neque industriae parcam, ut vana ne ſit vestra de me exſpectatio, atque praeceptoribus meis non

(4) Cic. *Orat.* II.

Digitized by Google

omnino indignus videar discipulus. Horum ftudio virorum quidquid fum aut posfum me debere, grato animo testificor. Vestra quidem laus, Rhoeri, Arntzeni, Heusdi, meo praeconio non indiget: ego vero, ne dedignemini, vestra in me collata beneficia quanti faciam, aveo palam profiteri. Si ego iurisprudentiae cum literis humanioribus necesfitudinem quantulumcumque perfpectam habeo, fi mihi germanae philofophiae fenfus non omnino deest: Rhoerio id acceptum refero. Si iuris Romani praeftantia me ad ipfius ftudium advertit: Arntzenium audienti primum mihi placere huius iuris dotes coeperunt. Heusdium vero qui posfim non commemorare! cuius inftitutionem nemo facile discipulorum, quotquot ad eum audiendum convenire folent, non libenter recordabitur: mihi certe illa nunquam animo excidet. Adolefcentulum me, omnis elegantioris doctrinae expertem, ille maxime docuit, quantum Historiae auctoritas, Antiquitatis gravitas, Poëfeos forma et venustas ad vitae felicitatem dignitatemque valeant; ut fi in his literis aliquid ftudii pofui, id eo auctore et commendatore fecerim. Ille me deinde, quae tum erat temporum iniquitas, a Mufarum confortio paulisper divertentem, ne literas defererem, humanisfime monere nunquam destitit. Caeterum, quod mihi antiquisfimum est, quem discipulum erudiendum fusceperat, eundem me in amicis fuis haberi voluit. Plura viri de me merita non refero, hora magis quam re deficiente. Vos ignofcite mihi, viri amplisfimi, in recordatione gratisfima honestisfimaque longius immorato; reddendum erat beneficium: *reddit autem qui libenter debet.* (5) De provincia vero mihi tradita, quid pollicear, habetis. Equidem iuvenis fum, tirociniis vix egresfus; fed iuvenili ardore quae mihi incumbunt officia explere ftudeo. Parum abest ut tanto muneri impar fim; at quod vires meae nunc ferre recufant, voluntate et ftudio levatum vestris aliquando aufpiciis exfequar. Ergo vestra etiam prudentia me regatis, vestris me confiliis adiuvetis, quaeque vobis huius augustae fcholae cura est, ea me quoque complectamini. Quidquid vero five literarum, five Reipublicae et civitatis caufa gesferitis, id omne Summi Numinis benignitas felix faustumque faxit, enixe precor.

Vos iam compellaturo, Viri eruditisfimi, huius Minervae facerdotes, varia mihi commotione animus afficitur. Dolet, quod deesfe video confesfui vestro,

(5) Seneca *de benef. Lib. I. C.* 1.

Digitized by Google

omnium in hac urbe, et vestrum praesertim desiderium, CHERNACIUM. Coelo iam beatum doctum senem flere quidem nos vetamur; sed mores eius amabiles, ingenium, doctrinam requirentibus amicis, dulcis est viri recordatio. At vero, ut huic Athenaeo et vobis et mihi ipse gratularer, fecit senatus illius provida cura, qua tanta clades mox reparata est. Adlectum vobis virum habetis, qui si CHERNACIUM amissum non consolatur, unus in paucis habetur, pace eius adsidentis dixerim, qui tantum virum excipiat dignissimus. Quod ad me attinet, ubi ipsum et vos adspicio, et meam reputo tenuitatem, cuiusque in locum vobis adscriptus sim, metuo plane. Nimirum viris auctoritate, doctrina, sapientia, vitae usu, famae celebritate excellentibus collega accedo, collegam ipsis desideratissimum excipiens. Ego vero vobis facultate quidem minime par, studio tamen atque exercitatione praestantiam vestram imitari connitar. Quare hoc etiam mihi persuasum habeo, qua estis humanitate, iuvenem me non despicietis. Scio equidem et lubentissime confiteor, quem collegam habuistis et amicum, ingenio non minus et doctrina, quam moribus vobis probatum, hunc me compensare nullo modo posse: at, quo ego quoque amico glorior, cuius dulcissima affinitate gaudeo, eius causa me nunc in vestrae familiaritatis, et, si dignus videar, amicitiae societatem admittite. Sic fore confido, ut vestra consuetudine informatus, vestro exemplo incitatus, nihil unquam molestum, nihil ultra vires meas existimem, quo ad huius Athenaei emolumentum, et commune humanitatis consilium, aliquid conferre potero.

Ad vos tandem me converto, iuris Romani et Hodierni studiosi, commilitones et amici! ita enim vos compellare, me et iuvat et decet. Namque a praeceptoris severitate aetas mea pariter et ingenium abhorrent. Ipse liberali institutione usus, novi quam parum ista severitas sit ad iuvenum animos cuiuscumodi disciplinae conciliandos idonea, quam vero efficax sit ad eius commendationem facilitas et familiaris consuetudo. Quare obsecro vos, ut ad me tanquam sodalem et si velitis amicum viae ducem, non vero tanquam ad austerum magistrum accedatis. Doctrinam tractamus gravem latissimeque patentem, asperam vero aut ieiunam minime. Ita vero eam adgrediamini, ut in quo principium omnis eruditionis posuistis, antiquarum studio literarum, id nunquam vobis postea excidat. Nam cum literis, medius fidius, nostra disciplina arctissime est coniuncta. Cuius ego vos eo lubentius admoneo, quia habetis quem sequamini in illo genere doctorem, cum paterna institutione tum sua scribendi ele-

gantia, commendatum et probatum. Eius lectiones Graecas, Latinas, Historicas ſtudioſe audiatis: ita profecto in iure discendo omnis difficultas, ſi qua ſit, evanescet. Omnia ſtatim vobis plana erunt, et iucunda, et fructuoſa. Caeterum res ratione non eget ad perſuadendum. Facitis quod opto, et in posterum quoque facietis libenter. Agite dum amici, ſtadium indefesſi percurramus, quod humanitatis est, virtutis, gloriae!

Unum mihi restat, A. A. H. H. (ut iam dimittam hanc concionem), vobis univerſis agere gratias. Benevolis auribus mihi dicenti interfuistis; ſed eadem etiam benevolentia et facili iudicio me proſequi pergite. Non ego nescio, quam gravi de re et quam tenui facundia dixerim, nec quam ſint ab aliis haec ornatius ſaepe et copioſius tractata. At quod in dicentis facultate requiritis, id liberali, quaeſo, conatui eius et placendi certe ſtudio, condonetis. Vobis in primis me meaque commendo, cives Daventriae, quibus ego (honoris cauſa dico), iam civis optimo iure accenſeor. Quod potero faciam, ut vestros mihi amimos conciliem. Vobis ita vitam tranquillam et iucundam me debiturum intelligo. Vestris etiam ſuffragiis incendar maxime, ut huius Athenaei emolumento omnes animi mei vires voveam.

Te vero, Deus Optime Maxime, ut propoſito meo adſis, et munus quod tuis auſpiciis ſuscipio feliciter explere posſim, etiam atque etiam precor.

D I X I.

Digitized by Google

Digitized by Google

IACOBI NIEUWENHUIS

ORATIO

DE

VARIA PHILOSOPHANDI RATIONE, CUM MENTIS HUMANAE INDOLE ET PROGRESSIBUS COMPARATA;

HABITA

a. d. XXXI Octob. MDCCCVI.

QUUM IN ILLUSTRI ATHENAEO DAVENTRIENSI MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE PROFESSIONEM AUSPICARETUR.

Digitized by Google

Digitized by Google

CIVITATIS DAVENTRIENSIS CONSULES ET SENATORES, VIRI GRAVISSIMI!

CETERIQUE REGIONIS DAVENTRIENSIS RECTORES ET IUDICES, VIRI AMPLISSIMI!

ILLUSTRIS ATHENAEI CURATORES PRUDENTISSIMI!

QUI COLLEGIIS ILLIS AB ACTIS ESTIS, VIRI HONORATISSIMI!

MAGNIFICE RECTOR, CETERIQUE ARTIUM DOCTRINARUMQUE PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

LITERARUM DIVINARUM INTERPRETES FIDELISSIMI! PLURIMUM VENERANDI!

QUARUMVIS ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES ET MAGISTRI ERUDITISSIMI!

CIVES, HOSPITES, CUIUSCUNQUE LOCI, ORDINIS AC DIGNITATIS, AUDITORES OPTATISSIMI!

VOS DENIQUE IUVENES LECTISSIMI, QUI IN ILLUSTRI HOC ATHENAEO AD INGENII DOCTRINAEQUE LAUDEM CONTENDITIS, NOSTRA CURA ET VOLUPTAS!

Varias opiniones proferre, θεωρίας conflare, in partes oppositas modò vario abeuntes, saepius neglectis experientiae testimoniis; Συστήματα componere, concursum philosophorum sustinere, vel de omnibus dubitare, omne veri criterium tollere, omnem humanae cognitionis fidem atque auctoritatem labefactare: denique, viribus confectis, eclecticam philosophandi rationem sequi, aut mysticam illam, quae nostris temporibus *Platonicorum Alexandrinorum* sententias, ut et

Digitized by Google

IORDANI BRUNI placita ab Orco reduces in lucem protraxit: — En A. A. H. H. fata philoſophiae theoreticae, ad hunc usque diem, praecipua!

Quae modo ex arctisſimo poſitionum nexu deduxerunt PLATO, ARISTOTELES, LEIBNITIUS, KANTIUS, aliique Viri acutisſimi, argumenta in dubium revocare; ſequentibus philoſophis non est religio.

Quae cum ita ſint, non miror, quapropter res philoſophicas pauciores curent: non miror, quare de philoſophica iuventutis disciplina plurimi perverſe ſentiant, atque disſenſu philoſophorum commoti, vehementer querantur de philoſophiae theoreticae vanitate! Licet autem nostrum non ſit tantas lites componere, easque nullo fundamento nixas esſe minime arbitremur; longisſime tamen erraremus, ſi e disſenſu philoſophorum ipſam philoſophiam iudicare vellemus. Hoc quidem nostris temporibus pluribus accidit, qui ſtudia philoſophica prorſus negligentes, proelii rumores e longinquo audiunt, multos de ſuo curru triumphali quippe fragili ipſos cecidisſe in vulgum ſpargunt, terrore panico commoti circumſpiciunt, per totum ſcientiarum orbem devastationem timent, et de via clamitant, ut concurſus fiat bonorum omnium, quaeque ex eorum opinione rebus publicis ſacrisque minentur, discrimina evitentur.

Cogitanti ſaepe numero de his ſimilibusque erroribus, qui e disſenſu philoſophorum vulgo hauriuntur, tanquam ex ipſo fonte turbulento, nec a perſona quam hic gero, nec a muneris quod hodie auſpicor, ratione, nec etiam a nostro tempore alienum mihi viſum est, ſi ex ipſa philoſophiae historia, ex ipſo philoſophorum disſenſu, praeſtantiam ingenii humani, dignitatemque philoſophiae vobis ostendam.

Sed quis ego ſum, qui hoc opus, tot tantisque difficultatibus presſum, aggrediar? — Quin etiam, hoc isto labore munus aggrediar, Clarisſimorum quibus ante me haec provincia mandata fuit, Virorum doctrina ſplendidisſimum?

Iam video A. A. in me omnium Vestrum oculos converſos. Multos esſe intelligo, mei ingenii, facultatisque docendi, quamvis exiguae, aestimatores immodicos.

Hos omnes etiam atque etiam rogo, ut potius de hoc meo periculo ſollicitos esſe velint: quippe abhinc annis ſexdecim venerandum muneris ſacri curriculum ingresſus, ſi quam exercitationem dicendi per totum hoc tempus acquiſiverim, ea patrio ſermoni adſtricta, et circa argumenta, gravitate quidem ac praeſtantia eminentia, populariter vero ad cuiusque captum tractanda, verſata est.

Digitized by Google

Quod ſi animo oratoris perpendo officia, cui in hominum, ſumma doctrina praeditorum coronam nihil niſi perfectum ingenio ac elaboratum industria afferendum est: huius operis mei laborisque difficultates totus intelligo. Celebratur autem erga tales viros indulgentia, qui ſua qualicunque eruditione ipſi minime contenti, quotidie et omni ſtudio ad maiora tendunt. Ad hanc vestram benevolentiam ac humanitatem confugienti, animis linguisque mihi favete A. A. dicturo *de varia philoſophandi ratione cum mentis humanae indole et progresſibus comparata.*

Quod nostrum propoſitum ut accuratius cognoſcatur; primum hoc nobis enitendum videtur, ut, quanam in re ponenda ſit haec varia philoſophandi ratio, intelligamus. Deinde huius comparatio inſtituatur cum mentis humanae indole et progresſibus.

De cognitionis philoſophicae indole et amplitudine pauca tantum praemittemus, cum hoc argumentum viris doctis cognitum penitus et perſpectum ſit. Verum inſtituti ratio postulat ut leviter iam ab aliis vulgata tangamus de philoſophiae indole finibusque.

Apud antiquos varias philoſophiae definitiones invenimus. Recentiores itidem vario modo philoſophiam definiverunt: cum ſuae quemque meditationes in latisſimum vehant contemplationis campum. Plurimae vero ſcientiae noſtrae deſcriptiones arctisſimo et communi vinculo inter ſe cohaerent. Sive enim cum Antiquis ſapientia intelligamus rerum divinarum et humanarum, causſarumque, quibus hae res continentur, ſcientiam; atque philoſophia, PYTHAGORA duce, huius ſapientiae ſtudium et amorem; vel, cum PLATONICIS, animi corporisque ſolutionem et converſionem quandam ad ea, quae re vera ſunt; aut ARISTOTELEM ſequentes, eam artem artium ac ſcientiam ſcientiarum appellemus; ſive, cum recentioribus, illam quae fieri posſunt rerum ſcientiam; vel, ex mente KANTIANA, notitiam rationalem ex conceptibus haustam definiamus: omnes cum veteres tum recentiores philoſophantes germanam poſuerunt ſcientiam in abſoluta veri cognitione, et in vita moribusque ad huius ſcientiae praecepta compoſitis.

Duplici igitur modo philoſophiam posſumus delineare, ratione *formae*, ſeu modi cognoſcendi, ac ratione *argumenti*, ſeu materiae finiumque.

Si formam conſideramus, omnes cum PLATONE, ad cognitionem certam

Digitized by Google

ſtabilemque tendimus, contemnentes variam illam et mutabilem opinionem, quae ſpeciem veri prae ſe ferens, ut ignis fatuus, tetris tenebris viatores allicit, fugientesque ſequitur.

Ad argumentum vero quod adtinet, ſeu indolem obiectorum et latitudinem; conſtat, philoſophum, ſenſu latisſimo, magno teneri deſiderio ſcientiae cuiusvis rei, quae rationis lumine cognoſcatur; neque vero, quod probe notetur, ſola ratiocinii vi, ſeu intellectus lumine, ſed quoque per ceteras animi facultates.

Cogitanti ergo de natura ſua, ac mentis humanae indole, cuique patebit, rationem noſtram in aeternum, ſummum abſolutumque niti. Hoc abſolutum intellectus deſiderat notionibus veris, voluntas conſtantia, ſenſus pulcri elegantia. Ubicunque ergo in abſoluta ratione vivere, moveri et eſſe, vehementer quaerimus.

Haec autem rationis abſolutae cognitio activa, quae in Deo est ſumma ſapientia, nec homini neque cuiquam in rerum natura tribui poteſt.

Modeſti ergo est philoſophi, ſe ipſum noſcere; flagrantisſimo ſapientiae ſtudio incendi quidem, nunquam vero oblivisci finitae humanae naturae, ac mentis caliginis: quippe Deus O. M. ſolus ſapit. Quod ſi haec ſemper conſideraſſent ſapientiae amatores; philoſophi multi non a naturae iudicio tantopere discesſisent. Verum, ut in regione incognita per ambages peregrinator facile errat, niſi ducem peritum inveniat, ita diverſas quoque vias ingresſi ſunt rerum perſcrutatores, quarum exitus, ſaepe numero ab ipſo ſcopo averterent. Quo factum est, ut varii varia φιλοσοφουμενα proferrent, et diverſam in rebus philoſophicis rationem ſequerentur.

Huius autem rei explicatio ut paucis commode fiat, triplici modo nobis inſtituenda videtur. Quoad enim longisſime posſumus reſpicere decurſum philoſophiae ſpatium; omnis philoſophandi rationis varietas vel ad fontes humanae cognitionis pertinet, vel ad ipſam materiae diverſitatem, vel ad methodum philoſophorum ſpectat.

Ad fontes autem quod adtinet, e quibus ſapientiae doctores placita ſua hauriunt; iam pridem BACO DE VERULAMIO accurate et eleganter animadvertit: „*Qui tractaverunt ſcientias, aut empirici, aut rationales fuerunt. Empirici* „*formicarum more, congerunt tantum et utuntur. Rationales, aranearum*

Digitized by Google

„ *more, telas ex se conficiunt. Apis vero ratio media est, quae materiam ex*
„ *floribus horti et agri elicit; sed tamen eam propria facultate vertit ac dige-*
„ *rit.*" (1)

Hos inter empiricos ex antiquis ARISTOTELES, e recentioribus LOCKIUS principes sunt qui nominentur. Ambo enim, universis et conceptibus et decretis ab experientia derivatis, eo usque utrorumque usum extendunt, ut et Deum esse, animumque immortalitate gaudere argumentis empiricis aeque evidenter se posse evincere contendant, ac Mathematici quodvis suae artis perceptum demonstrant.

Rationalium vero, *qui scientiam nusquam esse censebant, nisi in animi notionibus atque rationibus* (2), prae ceteris eminent PLATO, LEIBNITIUS, FICHTIUS, SCHELLINGIUS, notitias innatas, vel e sola mentis actione procreatas, longe praeferentes tabulae rasae ARISTOTELIS, LOCKII, et ceterorum recentiorum Gallorum, Anglorumque, qui, ex LEIBNITII sententia, ἐξωτερικῶς philosophantur.

Hos omnes, aranearum more, telas ex se conficere, omnibus notum est, quibus e variis hisce ingeniis excellentissima vel libare contigerit.

Ex his utrisque empiricis et rationalibus exemplum illud illustre exstitisse vehementer admiramur, quod nobis in aeternam sui memoriam NEWTONUS reliquit. Hic enim summi ingenii vir, in mathematicis philosophiae naturalis principiis, et in suis optices lectionibus, illa procul dubio BACONIS apis est, seu ratio media, quae materiam, ex floribus experientiae manatam, propria mentis facultate vertit ac digerit.

Alteram deinde philosophandi rationem ponimus in delectu materiae vel obiectorum, quae quidem cognitioni humanae certa atque explorata esse possunt. Quamvis enim ab initio a philosophis multa quaesita et disputata sint de summi Numinis virtutibus, beneficiis, voluntate; nec non de hominis natura finibusque; de magnis Dei operibus in hoc mundo adspectabili, totiusque Universi ordine et consensu: ratione tamen notae veri, vel *sensum* sequebantur ducem vel *intellectum:* unde non immerito appellantur philosophi *sensuales* vel *intellectuales.* Sensualium princeps EPICURUS totam et contemsit et irrisit diale-

(1) BACO *de interpretatione nat.* Aphor. XCV. (2) CIC. Acad. Quaest. l. I.

Digitized by Google

cticam, iudicia rerum in ſenſibus poſuit, quibus fallentibus ſublatum eſſe omne iudicium veri et falſi putavit. Huic ſententiae ſe opponens PLATO, intellectualium chorum ducens, contendit, in ſenſibus ineſſe nihil niſi ſpeciem, ſolaque intelligentia verum cognosci.

Ut varia philoſophandi ratio exponatur, veniat denique in medium diverſa *methodus*, quae haud incommode in quatuor claſſes nobis diſtribuenda videtur. Prima ſit *dogmaticorum* ſtatuentium vel negantium, verum et eſſe et percipi poſſe. Altera *Scepticorum* est, qui iudicium cohibent et deliberant. Horum ratio egregie explicata est, et eruditis cognita SEXTI EMPIRICI, SCHULZII (3) STAEUDLENII que (4) ſcriptis.

Tertium methodi genus, quod nobis hiſtoria offert, ratio est *eclectica*, cuius adſectatores apum exemplum ſequuntur, e floribus ſuccum exſugunt, atque profitentur ſe ex omnibus optima ſectis eligere, earumque diſſenſum ad conſenſum redigere.

His tribus philoſophandi methodis adiungamus quartam, antiquis *ſocraticam*, recentioribus autem magis excultam, *anthropologicam* dictam. Socratica autem quam hic dicimus methodus de ratione philoſophandi debet intelligi, neque reſpicit ſocraticam docendi methodum. De ipſius autem ratione philoſophandi audiamus CICERONEM, referentem: „*Socratem primum philoſopham devocaſſe* „*e coelo, et in urbibus collocaſſe, et in domos etiam introduxiſſe, et coegiſſe* „*de vita et moribus, rebusque bonis et malis quaerere*" (5). Ex Socraticrum libris intelligitur, eius rationem philoſophandi conſiſtere „*in profeſſione igno-* „*rantiae, in dubitatione de omnibus rebus, quae cum virtutis ſtudio non con-* „*iunctae eſſe videntur; in opinione coelestia, quin etiam maiorem humanae* „*doctrinae partem procul eſſe a nostra cognitione, vel ſi maxime cognita eſ-* „*ſent, nihil tamen ad bene vivendum*". (6)

SOCRATIS ergo philoſophia popularis quidem, ad ſenſum communem compoſita, in omnes partes activa, ninime vero *ſcientia* dicenda est: quippe SOCRATES neſcit, quo usque humana procedat ſcientia, quis nostrae cognitionis ſit finis, qui ambitus indolesque.

---

(3) Conf. *kritik der theoretiſchen Philoſophie von* G. E. SCHULZE. (4) *Geſchichte und Geist der Scepticismus von* C. F. STAEUDLIN. (5) *Cic. Tuscul.* 5, 4. (6) *Acad. Quaest. l. l. c.* 4.

Digitized by Google

Recentiori demum aetate HUMIUS, FEDERUS, PLATNERUS, GARVIUS, aliique viri acutisſimi, praecipue autem HEMSTERHUSIUS noster, TIBERII filius, philoſophus aeque ſubtilis atque elegans, ſocraticam illam perfecerunt rationem, quae KANTIO critica, aliis anthropologica nominata, cum animi facultates, tum rerum cognoscendarum materiam, ſuis finibus circumſcribere ſtudet, ut appareat, quo usque et haec pateat et humana facultas pervenire posſit.

Iam perſpecta diverſa philoſophandi ratione, ſuccedat praecipue nobis poſita questio. Venimus enim A. A. ad alteram orationis partem, qua varia haecce ratio cum mentis humanae indole ac progresſibus comparetur.

Sed hic magnus ſe nobis aperit campus, in quo oratoribus poëtisque liceat late vagari, minime autem philoſopho. Huic ſedulo cavendum est ne quae dilecta opinio vel partium ſtudium de progresſu philoſophicae cognitionis iudicium praecurrant et occupent.

Nihil enim niſi verum quaerimus: nec ulla nobis de philoſophiae ſtudio indoleque placere ſententia potest niſi vero congruat.

Ut ergo, ſub ipſam itineris ingresſionem, viam, ut aiunt, *apriori* evitemus; de philoſophiae fatis historia aequo animo conſulatur necesſe est, ſemper quidem ratione habita ſtatus imperii, literarum, cultus, religionis, indolisque gentium, quae omnia vel maxime valent ad philoſophandi facultatem in hominum ingeniis informandis vel impediendis.

Neque vero haec historica cognitio methodusque ad ſcopum ducent, niſi cognitam variam philoſophandi rationem cum ipſa mentis indole pro diverſa generis humani aetate ac progresſibus comparemus, nobisque quaestionem continuo ponamus, qua potisſimum ratione ingenii facultates ad philoſophiam tractandam exerceantur.

His omnibus bene perpenſis, philoſophiae historiam a prima inde origine repetere, et memoratas ſervare regulas, ad quas iudicium de philoſophiae conditione dirigatur, difficillimum est negotium, herculeusque labor! Quippe ad ſimilium quaestionum ſolutiones etſi multi multa contulerunt, et ab illustribus ſcientiarum academiis ſplendidis ſunt praemiis condecorati; multum tamen restat operis, multumque restabit, usque adeo donec philoſophi de optima philoſophandi ratione ipſi conſenſerint. Huius autem rei enarratio cum longior ſit, quae hac contineatur oratione, ſiquidem omnia, quae huc pertineant in medium proſerre velim; respiciamus tantum philoſophiae, quam modo explicuimus, va-

Digitized by Google

rietatem, ratione fontium, incrementorum et viciſſitudinum, cum hiſtorice tum pſychologice.

Totius philoſophiae initia ex Graecia repetenda eſſe, ſatis multis veterum monumentis conſtat. Si quidem apud Barbaros disciplinae huius ſpecies ſuit exigua, eam natam propemodum Graeci acceperunt, denuo protulerunt, educarunt, auxerunt.

Graeci fuerunt plerique eorum, qui ſeptem ſapientum nomine celebrantur. Graeci fuerunt Gnomici, qui vitae praecepta carmine reliquerunt. Post vero quam poëſis iam diu ante alias doctrinas floruerat, Iones fuerunt, qui primi, THALETE duce, philoſophati ſunt de rerum ortu et natura, de coeleſtibus corporibus, de immenſo et infinito, de materiae mentisque motu, atque discendi dilectationi, divino quodam afflatu, toto ſe animo dederunt.

His temporibus, ut eleganter obſervarunt WYTTENBACHIUS et MEINERSIUS (7), Viri celeberrimi, multis locis philoſophi cum poëtis conſentiunt.

Prius enim poëtae cecinerunt Deorum generationes, ortumque naturae, ut philoſophi, ex poëtarum imaginibus, notiones univerſales derivarent, atque ita, ne imaginibus quidem ſpretis, puerilem generis humani aetatem ad philoſophiam informarent. Ita quidem ex ſenſu pulcri ſublimisque, ex admiratione nata est philoſophia, ex animi commoti in rem admirabilem intuitione, ex puerili ignoti cognoscendi cupidine.

Totum hoc theatrum pulcherrimum, ſol ſplendidiſſimus, terra munificentisſima, mundi corpora, foſſilia, vegetabilia, animantia, coeleſtium motuum harmonia, virium efficacia, haec omnia animum ad ſummum excitant, divino pulcri ſublimisque ſenſu imbuunt. Circa fontes et rivos, ubi cecinerant poëtae:

Felix qui potuit rerum cognoscere cauſas!

Ibi, amoeniſſimis locis, poëtas excipiunt philoſophi, ut rerum naturam contemplentur, et de conſenſu partium, de harmonia univerſi meditentur.

Hoc ſeculo aureo, puerili ſane; ſed felici imaginationis aetate, nil propemodum ſine imaginibus cogitabatur: in ſingulis philoſophiae partibus nulla quidem erat perfectio, nullum adhibebatur artificium; nullum Ἀρχέτυπον niſi ipſa natura proponebatur; nullam ſequebantur ſcholarum methodum, ſed per o-

(7) Vid. Biblioth. Crit. T. 8. p. 95. ſqq.

Digitized by Google

mnia Graecorum antiquisſimae philoſophiae monumenta, per placita *Eleaticorum* et carmina, per ordinem atque rationem PYTHAGORAE, per univerſas Veterum meditationes philoſophicas vigent ingenii vis, imaginationis dotes, rationis imperium.

Mundum adſpectabilem et intellectualem, coelum et terram, Deum atque hominem, animum et materiam, libertatem et fatum, omnia philoſophica argumenta his temporibus promiscue contemplabantur homines, et quod cognitum aut probabile, quod pulcrum vel ſublime, quod bonum et honestum videretur, per colloquia vel carmina cum amicis communicabant.

At alia prorſus est ratio philoſophiae in dies crescentis. Quae ex admiratione nata est filia mox matrem expellit, ſeu ipſum ſtuporem, ab ignoratione profectum. Ubi enim ſcientia incipit, ibi admiratio deſinit. Quo ſpectat HORATIANUM illud ad NUMICIUM:

Nil admirari prope res est una, Numici!
Solaque quae posſit facere et ſervare beatum.

Plurimi vero, iuvenilem aetatem vix aut ne vix quidem attingentes, ſcire ſibi videntur quae neſciunt. In utramque partem incipiunt δογματίζειν, qui neque asſiduis obſervationibus rerum naturam ſatis explorarunt, neque ſuas ipſi meditationes, aut acceptas a patribus traditiones, aequo animo examinarunt. Sunt qui puerilia tractent, ex chartis luſoriis domus fabricent, quas Συστήματα vocent, easque firmas et ſtabiles esſe tenaciter contendant. Sunt qui aliorum iudicia, ut ſatellites, ſequantur, et cum PYTHAGORAE discipulis in verba magistri iurent.

Ne vero putetis A. A. totam dogmaticorum rationem nobis contemnendam videri. Quod ſi fieret, de ipſa philoſophiae indole ac finibus perperam iudicaremus. Gaudio potius afficimur magno, conſiderantes naturae nostrae conditionem, quae ſingulari Dei beneficio est eiusmodi, ut cognitionis ſyſtematicae, ad ſummum tendentis omnibusque numeris abſolutae vel maximo flagremur deſiderio. Quippe in animo humano, duce atque imperatore vitae mortalium, est ipſum certi principium, evidentiae claritas et ardor, atque fontis perennis inſtar, ſummum conſenſus integritatisque ſtudium.

Ante vero quam hunc ſcopum attingit mens humana, quod in aeterna vita nobis eius penſum esſe videtur, multis lentisque gradibus ab humilioribus ad ſuperiora adſcendat est necesſe. Senſim enim ad ingenii cultum, lentisſime ad

Digitized by Google

ἀκμὴν ſuam gentes perveniunt. Per varios caſus labuntur, vel ab aliis victae populis politioribus, in eorum ſtudia et mores traducuntur. Simile quid humano philoſophanti ingenio accidit. Variae naturae dotes, animi facultates, notiones empiricae, obſervationes, inductiones; variae itidem loci temporisque opportunitates, ceterarum artium et disciplinarum fata praecipua, quadam rerum cognatione mirifice conſpirant ad varia φιλοσοφούμενα producenda.

Ionica, ut primum in vivido poëtarum pectore viguit philoſophia, et ab admiratione poëtica profecta esſe videtur, ab initio imaginibus fuit ornata multis. Senſim autem imaginationis fervorem refrigerat intellectus. Iam poëtico fere habitu in oratorum imperium tranſiit, quorum rationem dicendi et ornandi ad ſubtilius quoddam veri inquirendi atque disſerendi genus adhibuit; mox vero poëtarum imagines oratorumque ornatum contemſit; et ſic, per temporum curſum, quam multis laudibus veteres celebrant, artem *dialecticam* Eleatici in philoſophiam introduxerunt.

Antiquisſimis vero temporibus dialectica *rationem* ſignificavit *philoſophandi notionibus abſtractis, a ſenſibus remotis.* Mox autem in dies creſcens ad artem criticam de *notionibus rerum veris*, viam ſtravit dialectica ad *Sophisticam*, quae de omnibus rebus in utramque partem disſerit. Ut pueri malefici, excitati primo calliditatis ſpecimine feliciter exhibito, ad inſolentiam facile transeunt, omnesque vires intendunt, quo petulantius agere posſint; ita propemodum hac Sophistarum aetate, mens humana omnes ſcientias artesque rhetoricas in malam partem adhibuit.

Quaenam fuerit noxia, in Graecos, Sophisticae artis efficacia; quae deinceps corrupta puerorum inſtitutio ab illis profecta; quae a Sophistis perturbata rerum conditio: paucis abhinc annis, a DE GEERIO nostro, viro Amplisſimo, eleganter et copioſe explicatum est. (8)

Ex eleaticis meditationibus bipartita philoſophandi methodus orta est, rationalis et empirica, ita ut dogmaticorum Sectae, ab eo inde tempore, in has duas partes praecipuas discrepent; duorum ramorum inſtar, qui ex eodem trunco emisſi, ex eadem terra ſuccum traxerant, unaque creſcentes, uberrimos aliquando fructus promiſerant, ſed, manu malefica ab arbore abrupti,

---

(8) Cf. *Diatribe in politices Platonicae principia*, *auctore* I. L. G. DE GEER.

etiamnunc virides per terram iacent, mox autem exsiccati flaccescere incipiunt.

O felicem humanae mentis indolem, quae omne unius partis studium prohibeat, vel, si tanta vi, quae frangi non possit, nonnumquam, perverse impellatur, laesae naturae crimen denique gravitate poenarum compenset, suamque potestatem resumat!

Ita, quo tempore Sophistarum fraudes permulta in perniciem traxerant ingenia, SOCRATES, vir in aeternum venerandus apparuit, seculi depravationi se opposuit, Sophistarum calliditatem artemque vanam ludibrio exposuit, humanam mentem ex aridis dialecticae contemplationis regionibus ad ipsam vitae sapientiam reduxit, atque „*a rebus occultis et ab ipsa natura involutis, in quibus omnes ante eum philosophi occupati fuerant, philosophiam avocavit.*" (9)

Nec tamen SOCRATES innatam rerum occultarum cognoscendarum cupidinem expellere potuit. Philosophiam ad communem hominum captum instituit; ab una parte activam prorsus in vita ac moribus posuit, ab altera vero contemplativam removit, contemsit, neglexit. Inde factum, ut ab illo plures ortae sint familiae dissentientes, omnes quidem ad summum bonum tendentes, verum id ipsum diversis modis persequentes. Quinam autem in hoc literarum genere tam hospites sunt, ut PLATONIS, ARISTOTELIS, ZENONIS, et EPICURI nomina nesciant, nec eorum meritis immortalitatis laudes tribuant? O terram illam beatam, horum virorum patriam, ubi non modo Musae res gestas heroum descripserunt, et cecinerunt, sed insuper summa et acutissima philosophorum floruerunt ingenia! Vel unus PLATO suffecisset gloriae tuae ad sidera tollendae!

Ne timeatis A. A. hunc Graeciae in rebus philosophicis splendorem obscurari magna Scepticorum nube. Hoc quoque ex natura mentis facile explicatur φαινόμενον, quin etiam cum eius progressibus arctissime est coniunctum.

Cognitio veri, boni atque pulcri absoluta quidem et integra magna est totius philosophiae argumentum. Certum Socratici frustra renuntiant, ac probabile sibi satis esse contendunt. Mens humana non quiescit, nisi verum invenerit, nec

---

(9) CIC. *Acad. Quaest. l. I. c.* 4.

Digitized by Google

professione ignorantiae contenta est, nisi fines scientiae causasque designare possit. Quibus nondum perspectis haesitat, et quaerere pergit, ne de sua ipsa indole discedat.

Sin vero quisquam verum se invenisse venditat, aut philosophus modestus placitorum seriem systematice ordinatam in lucem ducit: mens humana, omni qua par est aequitate et scientiae cupiditate, ad Σύστημα contemplandum examinandumque accedit; fundamentum, aedificium, architecturam perscrutatur; principia, definitiones, axiomata, postulata, theses, nexus, consequentias, omnia perpendit; atque rerum novitate, formarum elegantia, partiumque dispositione decepta, cum ARCHIMEDE saepius clamat εὕρηκα, εὕρηκα! Sed „*opinionum commenta delet dies, naturae iudicia confirmat.*" E prima consternatione revalescens mens humana, philosophiae palatium quod fulget fortassis seculi splendore, oculorum aciem coecanti, denuo examinat; omnia artis criticae adminicula adhibet; omnia explorat; partes cum partibus comparat: fundamenta labefactare conatur; et ecce! labuntur! — Quid mirum, si dubitare pergat, si scepticus maneat.

Is vero semper manere nequit, cum positam ἀταραξίαν e scepticorum ἐποχῇ profluentem numquam attingat! Hinc illae lacrymae de vanitate scientiarum, de rebus fictis, de phrenesi philosophorum, de ipsis rationis limitibus! Quo usque tandem ars philosophica procedet in systematibus condendis? — Nonne PLATONIS, ARISTOTELIS, ZENONIS, EPICURI, CARTESII, SPINOSAE, LEIBNITII, FICHTII, SCHELLINGII placita sufficiunt ad finitam humanam naturam mentisque caliginem manifestandam? In quem finem abutentur philosophi acutissimis viribus; ingenii dotibus, temporum opportunitatibus? — Ad has similesque quaestiones humani ingenii indoles respondet: *in ipso vero unice requiesco!* vel cum TULLII verbis „*Neque istas quaestiones exterminandas puto. Est enim animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum; consideratio contemplatioque naturae. Erigimur; elatiores fieri videmur; humana despicimus; cogitantesque supera atque coelestia, haec nostra, ut exigua et minima, contemnimus. Indagatio ipsa rerum tum* MAXIMARUM, *tum etiam* OCCULTISSIMARUM, *habet oblectationem.*" (10)

---

(10) CICER. *Acad. quaest. l. IV.* 41.

Digitized by Google

Quid ergo? cum lateant ista omnia, nullique philofopho contingat penetrare in coelum? — Ne philofophemur, nec quietem philofophorum quaeramus! In illam potius nitamur, ut

patulae recubans fub tegmine fagi
Ac lentus in umbra

cuiusque captus, fenfusque communis, quisque dicat:

O Meliboee! Deus nobis haec otia fecit!

In rebus autem philofophicis talia otia fummo iure irridentes, alii philofophorum disfenfum ad confenfum redigere ftudent. Hanc eclecticam methodum, bene directam, magni esfe momenti, nemo facile infitias ibit, qui eius naturam, principia et fines bene cognoverit. Quippe omnes non omnia posfumus, variarum philofophiae partium magna est amplitudo, in diesque extenditur. Nec unius hominis aut aetatis est, fed omnium gentium cultarum, philofophiam ad ἀκμὴν fuam promovere. Praeterea hanc philofophia partium habet conftitutionem, ut quaedam ex longinquis multisque obfervationibus dirivandae fint; aliae vero partes arte critica, ingenio acutisfimo, rerum peritia multarum, anthropologicarum, civilium, cosmologicarum, aliarum indigeant. Quid plura? Omnium fcientiarum opera ac ftudio philofophia per bis mille et quadringentos annos, lento gradu procedens, faepiusque a veritate deflectens ad eam rerum conditionem pervenit, quam hodie obtinet.

Praeftat igitur, cum Eclecticis, maiorum inventa perficere, quam philofophos fequi, qui, verbis faltem et nominibus, disciplinam prorfus novam condere gestiunt.

Verum fi quae philofophiae eclecticae vera fit commendatio: quaeritur, idque ab illuftri fcientiarum focietate (11) quaeritur: *Qualis illa tum esfe debeat?* Utrum liceat, varias inter fe connectere thefes, quarum principia e diverfis fontibus manent, ac toto coelo diftent? — An illa fit Eclecticorum ratio commendanda, ut, ad calcem cuiusvis fyftematis, variis locis, noftras ipfi cogitationes, aliasque diverforum antiqui et recentioris aevi fcriptorum inferamus, atque ita Σκελετὸν vitiofum variis varii coloris materiaeque laciniis vestiamus? — Quod cum plu-

---

(11) Propofita est haec quaestio ab Academia Danorum regia quae est *Haphniae* A°. MDCCCVIII. Vid. Univerf. liter. Nuncius (*Allgem. Literatur-Zeitung*) a. e. p. 446.

ribus antiquis et recentioribus eclecticis accidisse constet, nullus dubito, quin Vos, A. A. mecum consentiatis de eclecticae rationis virtute vitiisque. Materiam quod adtinet, philosophia eclectica magnum est multae scientiae horreum. Hoc intuentes veneremur cum SENECA (12) „*inventa sapientiae inventoresque: adire tanquam multorum hereditatem iuvat.*"

Ipsius autem methodi eclecticae ratione, cum eodem philosopho dicamus: „*Etiamsi omnia a Veteribus inventa essent, hoc semper novum erit,* USUS „*et inventorum ab aliis* SCIENTIA *et* DISPOSITIO."

Nam tota eclectica ratio nihil valet, nisi prius ars critica ad scientiam ac dispositionem viam straverit. Haec est illa antiqua Socratica, recentioribus anthropologica ratio, quae hominem, priusquam de rebus philosophari incipiat, ad seipsum attendere docet, cuiusque fons, principium et finis est illud delphico templo inscriptum: Γνῶθι σεαυτόν.

E magno recentiorum numero GROTIUS noster activam, HEMSTERHUSIUS vero et KANTIUS utramque philosophiam exemplis illustrarunt.

Immortalis *Operis de iure belli et pacis* Auctor experimentalem, a BACONE commendatam viam ingressus est. Ubicunque diversas seculi formas, variam hominum gentiumque indolem, diversos populorum mores respicit. More eclecticorum, ex ingenti sua memoria, fontis perennis instar, doctrinae copiam pro lubitu ac re nata hausit. Eximiis vero ingenii dotibus praeditus artem criticam naturalem adhibuit, et lumine rationis praelucente viam empiricam, egregium opus absolvit.

De HEMSTERHUSII meritis in germanam philosophiae rationem quid est quod hic loci dicamus, cum praestantissimi huius viri scriptis quanta vis insit ad promulgandam philosophiae dignitatem eiusque studium recte instituendum, nondum explicatum satis sit, ut paucis verbis absolvatur.

Philosophus Regiomontanus, etiamsi nobis in multis errasse videatur, nec in omnibus KANTII methodus placeat, criticam philosophandi rationem restituit, ad maiorum inventa diiudicanda adhibuit, viamque ad germanam philosophiam aperuit, quam FRIESIUS feliciter ingressus excoluit atque omni ex parte perfecit. Utinam vero nullus sit, qui servili animo hos aliosve sequatur philoso-

(12) Ep. LXIV.

Digitized by Google

phos! nullus ſit, qui partium ſtudio ſe ductus, a via regia anthropologica unquam recedat! ſed quotidie id ſtudeamus, ut materiam, more empericorum et eclecticorum congestam, propria facultate, more rationalium digeramus.

Quae ſi nobis ſit ratio philoſophandi, naturae noſtrae ſenſuali et rationali aeque congrua, verum bonum et pulcrum videbimus, quatenus mentis aciem neque fugiant, neque vires noſtrae videre recuſent. Eo usque ergo philoſophemur, donec humanae ſcientiae limites attingamus, PASCALII ſententiae memores: „ *Sapientis esſe ſcire ubi ſtatuendum, de quibus dubitandum, quando credendum ſit.*" (13)

Ad hanc ſapientiam illuſtris huius Athenaei Cives ducere, ipſum munus officiumque est, quod, hodierno die, Summi Numinis benignitate, ſolemni actu auſpicor.

Ad Vos ergo ſe mea convertit oratio, Daventriae Rectores et Athenaei Curatores, Viri Amplisſimi! Gravisſimi! Gratias Vobis ago quam maxim is pro veſtris in me collatis beneficiis, pro hoc mihi oblato munere, praeſtantia et honoris gravitate conſpicuo! Ex veſtro igitur Senatus Amplisſimi decreto huc vocatus ſum ad eas ſcientias docendas,. quas a prima inde iuventute per totam vitam vel maxime dilexi, vehementer veneror, ultimamque ad metam amabo. His ergo, ex veſtra voluntate, me totum dedicabo! O inaeſtimabile gaudium! O voluptatem dulcisſimam, qua fruuntur ii, qui, cum alio munere impediti, non niſi horas ſubſecivas his ſtudiis impendere potuisſent, iam iisdem ex officio, per totam vitam, dediti esſe posſint; quibus, ſi qua polleant ingenii vi, ac magno eorum deſiderio flagrent, ſe natos esſe ſentiant! Maximae imprimis ſunt deliciae e ſtudiis mathematicis et philoſophicis profluentes. Utinam illas, quantas animo ſentio, cum Auditoribus meis communicare liceat! Ad eas percipiendas, et in animos iuveniles effundendas, aliam vitae rationem, non minus honorificam, urbem amoenisſimam, necesſarios, amicos, cetera omnia reliqui, et ad Vos transii. Pro veſtra humanitate, Viri Amplisſimi! eadem benevolentia, qua me in hoc ſuggesto hodie conſtituiſtis, honorare me pergatis, etiam atque etiam rogo. Vires meas, qualescunque, intendam omnes, ne tanto favore indignus fiam. Me totum domumque meam Veſtro patrocinio enixe commendo. Deus Optimus Maximus Vos, omniaque veſtra conſervet; Viri Amplisſimi, omnibusque veſtris

(13) Vid. *Penſées de* PASCAL. *Soumisſion et uſage de la Raiſon.*

Digitized by Google

conatibus felicem ſucceſſum largiatur in augendam Civitatis ſalutem, in Athenaei gloriam promovendam!

Rector Magnifice! ceterique huius Athenaei Profeſſores, Viri Clariſſimi! Ad vos accedo, omni, qua par est, veneratione, cum veſtras ingenii animique dotes et mearum virium tenuitatem penitus ſentiam. Lugubri fato praeſtantiſſimum Anteceſſorem, a cuius conſiliis, rerum uſu et humanitate tantam voluptatem percipere, aliquando ſperaveram, vivum mihi videre, eheu! non contigit; Ad Beatorum ſedes ex hac mortalium vita tranſiit LADISLAUS CHERNACIUS, Vir Clariſſimus, de ſcientiis, de hoc illuſtri Athenaeo optime meritus, cuius obitu Vos omnes Collegam amiſiſtis eruditiſſimum, integerrimum. Me iam recepiſtis eius ſucceſſorem omni benevolentia, gratus enim et acceptus ad Vos veni. Conſiliis ergo veſtris et doctrina aeque atque amicitia pergite quaeſo me ſuſtentare ubi vires deficiunt. Recipite me, bonarum artium ac disciplinarum aemulatorem, qui pro viribus Athenaei gloriam Vobiscum tueri ſemper conabor. Pater Omnipotens ſervet Vos incolumes, noſtrumque animorum conſenſum! Ille ſuſtentet vires veſtras in Scientiarum, Eccleſiae Patriaeque ſalutem!

Denique Vos compello, Iuvenes Ornatiſſimi! Commilitones dilectiſſimi! De varia et optima philoſophandi ratione noſtram audiviſtis ſententiam, ad BACONIS iudicium compoſitam. Utinam vobis illa ſtudendi ratio placeat, qua nulli priusquam philoſophari liceat in ſcientiis mathematicis phyſicisque perinde atque in literis humanioribus probe verſatus ſit. Hanc a PLATONE ceterisque antiquis vehementer commendatam viam ſi vos ingredi velitis, recipite me, iam ab itineris ingreſſione, ut veſtrum ducem et amicum. Vobis ſtudiisque veſtris me totum devovebo. Utinam germanam, qua in hoc Athenaeo imbuitur, iuvenum animus ſervet ſapientiam, adhibeatque in Patriae Eccleſiaeque ſalutem!

Quod quidem hoc ipſo die lubenter fit, ſupereſt, ut benevolentiae veſtrae me commendem! Cives! Hoſpites! Amici! omnis ordinis, loci, dignitatisque. Fugit hora, reſtat opus. Ut ſuum quisque pro viribus abſolvat, adſit omnibus DEUS OPTIMUS MAXIMUS!

D I X I.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
REFERENCE DEPARTMENT

This book is under no circumstances to be taken from the Building

form 410

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google